














~~Frid. Ulr.~~ XXXIV

CALIXT

Frid. Ulr.

FRIDERICI VLRICI CALIXTI
S. THEOL. D. ET IN ACAD. JVLIA PROF.
Ordinarii ac in Senatu Ecclesiastico Guelpher-
bytano Consiliarii

DEMONSTRATIO
LIQVIDISSIMA
Quòd

CONSENSVS REPE-
TITVS FIDEI VERE
LVTHERANÆ

QVEM
ABRAHAMVS CALOVIVS S. Theol. D. &
Prof. ac Superint. Eccles. Witteberg.
Superiore anno in vulgus sparsit

Nec CONSENSVS fidei vere Lutheranæ
censeri mereatur

NEC
VERO fidei verè Lutheranæ

CONSENSVI
DD. GEORGIVS CALIXTVS & CONRADVS
HORNEIVS contraria docuerint.

DEFENDENDAE INNOCENTIAE
& Calumniæ retundendæ
AVTORITATE PVBLICA
Conscripta.



HELMESTADII,
In typographéo CALIXTINO
Excudit HENNINGVS MVLLERVS, Acad. typ.

CIↃ IↃ C LXVII.

C

SERENISSIMORVM ET CELSISSI-
MORVM
DVCVM BRVNSVICENSIVM ET LVNE-
BVRGENSIVM REGNANTIVM
CONSILIARIIS PRIMARIIS
GENEROSIS MAGNIFICIS
ET NOBILISSIMIS
DOMINIS,
PAVLO IOACHIMO A BüLOW
Consiliario intimo & Præsidi Regiminis Cello-
Lüneburgici, Hæreditario Domino
in Abbensen & Seelsen &c.
HENRICO LANGENBECK ICto
ET ORATORI, Consiliario intimo & Regiminis
Brunsvico-Calenbergici Cancellario
HERMANNO HÖPFNERO ICto
ET ORATORI, Consiliario intimo & Regimi-
nis Guelpherbytani Cancellario
FRIDERICO AB HEIMBVRG
Consiliario intimo & aulæ Guelphicæ Supremo
Mareschallo, Hæreditario Domino in
Grossen Goltern / &c.
VIRIS
DE PATRIA VNIVERSA PRÆCLARE MERI-
TIS ET INDIES MERENTIBVS
DOMINIS ET FAVTORIBVS SVIS
SVSPICIENDIS
Vindicias has Paternæ Famæ sibi
demandatas
reverenter D.D.D.
FRIDERICVS VLRICVS CALIXTVS D.

Generosi, Magnifici & Consultißimi Viri, Domini & Patroni omni reverentia suspiciendi.

SEmestre & quod excurrit est elapsum, ex quo Brunsvicum, ubi nomine totius Serenissimæ Domus Brunsvico-Luneburgicæ de Patriæ universæ salute consilia inituri conveneratis, scriptis literis me evocastis, & clementissimam voluntatem Serenissimorum & Potentissimorum Dominorum Ducum Regnantium Brunsvico-Luneburgicorum, Principum ac Dominorum nostrorum Clementissimorum, mihi indicastis. Pervenerat videlicet ad aures Maximorum Principum, & fama & justa querela de novâ injuriâ ab ABRAHAMO CALOVIO Theol. D. & Professore Wittebergensi non tantùm Parenti meo D. GEORGIO CALIXTO dudum in Do-

mino

mino quiescenti, sed per ejus quoque latus toti Academiæ Juliæ petulanter prorsus illatâ. Qui non contentus, beate defunctum olim cum adhuc in vivis esset, horribilibus, sed vanissimis tamen scriptis atrociter insectari, nunc venenum omne per caudam quasi effusurus, in sepulchro jacentem coram Christiano orbe non dubitavit (falso & per palpabilē injuriam) proclamare, quasi *puræ & invariatæ Augustanæ Confeßioni aliisque libris symbolicis in Formula Concordiæ* (ad quam tamen Academia Julia à Serenissimis Ducibus Brunsvicensibus & Luneburgensibus, Nutritiis & Dominis suis Clementissimis nunquam fuit adstricta) *comprehensis, per octuaginta quinque puncta* contravenisset, illosque *scriptis publicis* impugnasset. Atrocissima hæc accusatio, quum jugulum Academiæ Juliæ, quam uno Potentatu

hodie Serenissimi Principes comple-ctuntur peteret, ejusque summa iniquitas multis viris bonis statim deprehensa, literis passim scriptis quotidie indicaretur, noluerunt Potentissimi Principes, ut Academia ipsorum Julia unius infesti hominis cõglomeratis calumniis aliquid detrimenti caperet. Per Vos itaque, Generosi & Nobilissimi Domini, me jusserunt, ut Refutationem Caloviani Libelli, cui Titulum *Consensus repetiti Fidei veræ Lutheranæ* fallaciter indidit, à capite illius ad calcem usque quantocyus susciperem & adornarem, præsertim quum naturalis pietas in Parentem, quẽ potissimùm decolorare conatus esset Calovius, à me jure quodam illud flagitaret. Erat tunc quidem in Serenissimâ Domo Brunsvico-Luneburgicâ ratione senii primore loco Divus Ille

AVGV-

AVGVSTVS, omini nominis ſui ex omni parte ſimillimus Princeps, nunc inter Cœlites, immortali in terris laude relictâ, triumphans. Diſplicuiſſe autem clementisſimè demandati operis exſecutionem Serenisſimo Succeſſori, Paternarum Virtutum pariter atque amplisſimarum Ditionum Hæredi tantum abeſt, ut Sereniſſima Celſitudo ejus accelerandæ editioni calcar potius addiderit. Ad Tantorum igitur Heroum nutum me humilimè componens, laborem illum, etſi ſatis ingratum ſuſcepi, ac Deo adjuvante perfeci. Qui quum jam in publicum prodeat, Veſtris, Generoſi & Nobiliſſimi Domini, Celeberrimis Nominibus eum inſcribendum duxi, tum quod Sereniſſimorum Principum Mandatum Vobis interpretibus mihi innotuerit,

tum

tum ut ſplendorem & Patrocinium à Vobis mutuò ſumeret. Accipite igitur quicquid hujus eſt, benevola fronte, & me autorem ſcripti, favore, patrocinio ac protectione dignamini. Ego Deum precabor, ut Conſilia Veſtra, bono Sereniſſimæ Domus Principalis nunquam non cedere faxit, & Vos incolumes florentesque diu tueatur, ac cœleſti olim felicitate propitius mactet.

ÆQVO



ÆQVO ATQVE CANDIDO

LECTORI

S. D.

FRIDERICVS VLRICVS CALIXTVS D.



On poterit Tibi ignotum esse Æque atq; Candide Lector, quantâ animorum cum vehementiâ, Theologorum quorundam *fœderationibus secretioribus initiò conspirantium*, sed mox ubi satis validam firmamque factionem putarent, in apertum bellum erumpentium, cohors, in Parentem meum GEORGIVM CALIXTVM, S.Theol. D. & Professorem Academiæ hujus Iuliæ Primarium, atque Abbatem Regio-Lothariensem τὸν νῦν ἐν ἁγίοις, à plurimis annis, horribilibus & virulentissimis scriptis invecta sit atque sævierit. Prætextus sævitiei petitus est à diversitate sententiarum, quod Parens meus omni operâ, industriâ ac conatu rationem & modum investigare ac ostendere laboraret, quo Ecclesia Christi, in plures proh dolor! partes lacerata atque discerpta, positis tandē aliquando odiis, & sublatis mutuis condemnationibus paulatim in Concordiam redigi, aut certè, si spes illa nimia esset, Christiana saltem inter dissidentes tolerantia introduci posset, veritate interim fundamentali

tali & cuivis ad salutẽ creditu necessariâ ac sufficiente illæsâ & extra periculum subversionis constituta. Piè enim & rectè utique existimabat, quando crederentur & salva manerent quæ creditu ad salutem essent necessaria, hactenus finem, in quem Deus Scripturam, ministerium docendi, & universam Theologiam dirigi voluit, omninò obtineri. Atque

Epicrif. ad Colloq. Thorun. Th. 3. 4.

hinc porrò non dubitavit pronunciare, *se omnes eos, qui suscepto baptismo, unum Deum creatorem cœli & terræ, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum venerantur & adorant, & credunt Filium ex virgine natum hominemque factum, paßione & morte suâ, à peccatis & peccatorum pœnis nos redemisse, resurrexisse, in cœlos ascendisse, ibi regnare & inde rediturum ad suscitandum mortuos, & judicandum cunctos homines, CIVES regni Dei, ac Christi* se *habere, nec eorum quenquam, nisi de eius adversus conscientiam peccandi libidine certò constet, excludere audere* Quin etiam ulterius, etsi satis prævideret, qui convitiorum nimbi, quæ maledictorum procellæ in se essent irrituræ, stimulante conscientiâ pectus recludens, *ita credere eos qui hodie* in Ecclesiâ Occidentali *Pontificii, Lutherani & Calviniani vocantur notum,* atque hinc *consequens esse, hanc fidem iis ad salutem sufficere, & modò non secundum carnem ambulent sed secundum spiritum, salvos fore*, non reformidavit apertè profiteri.

Thesi. 5

Cautè tamen simul & illud adjecit, *quamvis fundamenta salutis quatenus in articulis fidei, ab intellectu apprehendendis,*

dendis sita sint, apud quamvis trium illarum partium integra superesse videantur, non tamen perinde fore, quam ex iis sequaris, vel liberum pro libitu ab una ad alteram transire. Quibus rationibus hanc animi sui sententiam superstruxerit ac confirmaverit, si hîc repetere vellem, nimis longa erat futura oratio. Exstant quæ hanc in rem consuli poterunt scripta Viri publicè impressa, & porrò tanto sæpius, *dolente* licet atque ringente D. Calovio imprimenda, quanto indies avidius passim expetuntur.

Pollicitus quidem sibi videtur D. Calovius, se scripta illa Parentis non parum depressurum, si diceret, *apparatum ad eam rem* (ad *consociationem* ut ille ambiguâ voce loquitur, *Ecclesiarum Lutheranarum, Calvinianarum, Pontificiarum, ceu in fundamento fidei haud dissonantium*) *accepisse* Calixtum *à Georgio Cassandro & Marco Antonio de Dominis, viris magnæ eruditionis, sed non minoris in religionis negotio levitatis; qui à suis hanc reportarint mercedem, ut alter auctor damnatus haberetur, alterius cadaver, ut ut Palinodiâ editâ Papæ assentaretur, ad rogum damnatum fuerit.* Verùm, ut nec nihil nec omnia Parens ab his auctoribus acceperit, quod scriptorum diligens & candida collatio docebit; quis ignorat, vitia personarum, si quæ sint, sententiarum veritati nihil posse detrahere? Hæc enim apud quemcunque reperiatur, *intaminatis fulget honoribus*, à sequiore qualitate proferentis, nihil quicquam maculata vel infe-

cta. Conſcripta eſt à Philippo ipſa Auguſtana Confeſſio ejusque Apologia. De poſteriore res notior eſt quam ut oſtendi opus ſit. De priore etiam Ioachimus Camerarius Vir Clariſſimus & Philippi ſummus amicus, Epitaphio ipſi poſito;

Scripta ſed illius memorabilia inter & acta,
Plurima quæ ſolidæ nomina laudis habent
Vnum opus eximium eſt, fidei Confeſſio ſanctæ
Ante tuos Cæſar Carole lecta pedes.

Philippi interim in religionis negotio inconſtantiam, Calovius poſt alios, Proœmio in Auguſtanam Conf. longiſſimâ narratione perſtringit, ad quod *apparatum accepit* è Facultatis Theologicæ VVittebergenſis Refutatione Hiſtoriæ Peucerianæ. Quàm non volet Calovius decerpere id quicquam veritati Auguſtanæ Confeſſionis hujusque Apologiæ, quod Philippus e-
pag. 253. jus auctor *perpetuo fuerit* ἀλλοπρόσαλλος, ut Refutatio Hiſtoriæ Peucerianæ VVittebergica de illo loquitur, tàm non detrahet quicquam præſtantiæ librorum Marci Antonii, quo minus ad informationem in controverſiis Theologicis & emendationem Eccleſiæ plurimùm faciant, quòd Auctor eorum blanditiis Hiſpanicis ineſcatus, ad Pontificiam partem, quã antea recto judicio reliquerat, ſeſe, magno ſuo cum damno, & poſt mortem irrogatâ ignominiâ retrahi eſt paſſus. Agnoſcamus hîc potiùs exemplum humanæ infirmitatis, & qui ſibi belle videntur *ſtare*, *videant ne*

&

& ipsi *cadant*. Georgium tamen Cassandrum, Caloviano more hactenus non tractarunt Theologi nostri, Calovio etiam superiores, nec *magnæ in religione levitatis virum* appellarunt. Ipse D. Hulsemannus in Manuali Iesuitæ Hagero opposito, vocat eum *laudatissimum Theologum*; Disput. XVII. de Bonis operibus Th. XXII, *hominem ingenuum*; Disp. XIIX, de cultu sanctorum Th. XXII, quem *invictissimi Imperatores, Ferdinandus I. & Maximilianus II.* (at quanti Principes!) *eximiæ eruditionis, singularis pietatis, & ardentissimi studii ad iuvandam Ecclesiam Catholicam, pium, discretum, & in sacris literis valdè benè versatum virum iudicaverint*. Imò præclara hæc tantorum Imperatorum de Cassandro judicia, Doctores nostri Iesuitarum furiosis calumniis, quibus Cassandrum illi lancinare & tanquam *damnatum auctorem* proclamare solent, opponere hactenus consueverunt. Doctissimus Ioh. Gerhardus Loco de Morte Th. CCCCXXXIII. sub finem. *Cassander apud Iesuitas in exiguo vel potius nullo loco censetur, unde Bellarminus libro de Laicis cap.* 19. *ex professo contra ipsum disputat; interim constat eum Augustissimis Imperatoribus, Ferdinando I. &, Maximiliano II. fuisse carissimum, quod testatum faciunt eorum literæ operibus Cassandri præfixæ &c.* Gemina his perscripsit Loco de Conjugio Cap. III §. 31. Idem vir optimus Bellarmino ὀρθοδοξίας teste Disput. ultima postquam verba Cassandri de ritibus Ecclesiasticis ex Articulo XV Consultationis adduxisset, subjun-

Disp. v. de Bon. oper. §. 13.

jungit & concludit: *In hac Cassandri moderatione utinam adversarij & in hac, & in reliquis controversiis plerisque omnibus acquiescerent! esset de quo Ecclesiæ Christi gratularemur, quove in spem sarciendæ concordiæ si non totalis, partialis tamen erigeremur!* At Calovij, Mislentæ & complicum secta, Georgio Cassandro viro juxta elogium Balthasaris etiam Mentzeri, Exeges. in A.C. ad Art. 11 Num. 11 in fine, *doctissimo & moderato*, cum Iesuitis orbis Phaetontibus convicium facere malunt, quàm cum Imperatorum laudatissimis, pacisque Ecclesiasticæ sitientissimis, & hos secutis præstantissimis Doctoribus nostris, candidum viri juvandæ in Ecclesiâ collapsæ Concordiæ studium, laudare.

Sed ad Parentem meum mihi est revertendum. Studium sive Concordiæ sive mutuæ tolerantiæ inter Ecclesias Christianas tantopere divulsas reducendæ, quod in omni occasione proposuit & ursit, potissima fuit occasio quam *arripientes* conjurati ejus hostes, Mislenta, VVellerus, Hülsemannus, Dorscheus, &, qui omnium horum virulentiam unus superat, quemque appellatione quam ille *syncreticis* quos vocat, imponit, κακὸν θηρίον jure vicissim nomines, *Præfat. Consens.* ABRAHAMVS CALOVIUS, Disputationibus, voluminibus, invectivis, Germanico etiam ad vulgus concitandum idiomate scriptis, tantopere in Calixtum Parentem meum debachati sunt, ut atrocius res geri non potuisset, si contra hæreticorum desperatissimum

tissimum, aut aliquem infensissimum totius Christianæ Religionis hostem, stilo præliandum fuisset. Cæterùm nihil obstante illâ acerrimorum persequutorum immanitate, Calixtinum nihilominus pacis ac Concordiæ Ecclesiasticæ Desiderium studiumque, atque ejus ad illam ipsam concordiam recuperandam proposita media atque consilia, minimè paucis, multò certè pluribus quam insectatores ejus vellent, eruditissimis in omni doctrinâ, atque omnium in sacro atque civili vitæ genere ordinum, inter Protestantes degentibus viris, arridere atque probari cæperunt. Torsit hoc ipsum tantopere Calovium Præfatione hujus sui Consensus, ut frendente ac fremente ore fateri coactus sit, *ob schema Concordiæ Ecclesiasticæ, non adversos omnino Novatorum sectæ fuisse*, viros modo commemoratos. Et ipse ergò, & reliqui acerrimi Calixti hostes & oppressores id ipsum probè animadvertentes, ad aliam quandam nomini Calixtino prorsus exitialem futuram, ut crediderunt, technam conversi, impudentissimè spargere cæperunt, Calixtum à libris Ecclesiarum nostrarum Symbolicis prorsus defecisse, & contraria omnibus Augustanæ Confessionis Articulis, docuisse, sensisse, scripsisse. Nempe, ut doloso hoc compendio, odio Ecclesiæ Protestantium publico, imperitorum imprimis, eum objicerent, & simul omnes qui doctrinam viri inter nos sequuntur, tanquam ab Augustanâ Confessione, cui

pax

pax publica in Imperio nostro Germanico est indulta, recedentes, pace quoque illa ipsâ, quantum quidem in ipsis esset situm, exturbarent. Tentavit hanc malitiosam, Calixtinos ut vocant, evertendi rationem jam dudum, sed *pingui crassaque Minervâ*, consarcinator quidam Germanici illius libelli, qui sub initium squalidi & monstrosi illius *Vermis Conscientiæ* Hulsemanianæ comparet. Verùm ita statim transparuit insulsa & pudenda calumnia, ut apud nullos nisi auctoris ejus similes, aliquid fidei invenerit. Nostrum certè nemini abstersionem aut refutationem mereri unquam est visa. Acquievimus in contestatione quam Parens scripto vernaculo, Verantwortung auff das Churfürstl. Sächsische Schreiben / Thesi III. luculenter fecerat. Was angehet die Hauptlehr / Articul des Glaubens und was zu der Seligkeit unůmbgenglich erfordert wird. Was diese Lehren anlanget / beruff ich mich auff die Symbola und Confessiones sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, ejusq; primorum & Oecumenicorum Conciliorum. Welche ich zu dem ende des 1649 Jahrs trucken lassen. Sind dieses newerung / so ist es wunder über wunder / und rerum natura gantz ůmbgekehret. —— Werden über diß newe Confessiones erfodert / so thue ich hin zu die Augßburgische Confession und Corpus Doctrinæ Iulium. Wie wol an auctorität diese dem vorigen nicht können gleich geschätzet werden. Rem eandem verbis paulo aliis proponit infra Th. xxix, quæ ita habent; daß Churf. Durchl. begehren uns zu befehlen / unsere Bekändtnis auffs eheste und binnen gewisser zeit durch und durch Schrifftlich zu übergeben / darauff antworte ich / daß ich solch Bekändtniß fürlengst gethan. Wehm es beliebet / der besehe Digressionem de Arte Novâ pag. 463.

463, und Responsum maledicis Theologorum Moguntinorum vindiciis oppositum numero 139. Kan einer darinnen Newerungen oder eine Span newe Religion und Lehre finden / mus sein wunder über wunder. Begehret aber jemand ein mehres / so spreche ich daß ich mich zu der Augspurgischen Confession, wie dieselbe nach jhren Worten lautet / bekenne. Wil Er noch ein mehres haben / so thue ich hinzu das Corpus doctrinæ Iulium. Weiters bin ich niemanden gestendig / werde mich auch nicht dahin lassen bringen / daß ich newe Confessiones solte schmieden. Die Uhralten habe ich anjtzo lassen beyeinander trucken / und denen bin ich nechst heiliger Schrifft / als Christlichen Symbolis und Bekandtnissen zugethan. Hanc contestationem apud eruditos & affectibus non fascinatos, plus valituram persuasi fuimus, quam malevoli alicuius futilem & tantum non palpabilem calumniam. Accessit, quod ex illo ante decem nunc integros elapsos annos, Parens meus satur vitæ & laborum, Christo duce, ex hac vita in illam meliorem, h. e. cœlestem, placidè migraverit. Existimabamus itaque, subtractâ odii & invidiæ materiâ, hostium atrocitatem tandem satiatum, insectationibusque aliquando finem impositum iri, & auctores earum ad meliorem mentem reversuros, præsertim quum nemo nostrum illis occurrere, & bellum toties licet quærentibus atque offerentibus, pugnandi rixandique copiam facere vellet. Cogitabamus enim illud sapientissimi Poetæ; *Vidi ego iactatas motâ face crescere flammas, & vidi nullo concutiente mori.*

Fefellit tamen nos insigniter ista quamvis prudentis.

dentissimorum alias hominum, opinio. Etsi enim progressu temporis Deus ipse, non paucis ex illo iratorum & implacabilium agmine per mortem evocatis, silentium imposuerit, aliqui etiam, pœnitentiâ credo tacti, remissius hactenus sint criminati, unius tamen præ aliis D. Abrahami Calovii illa *atra veneno invidiæ, nigroque undantia pectora felle*, quantumcunque hujus totis Harmoniis, Syncretismis, & centum similibus vehiculis egessisset, purgari adeò non potuerunt, ut nuper denuo magnam bilis illius suæ copiam in Calixtum, mortuum Leonem, eructaverit impudentissimo & *pestilentissimo* (sic ille de Calixti scriptis loqui amat) libello, cui titulum *Consensus repetiti fidei verè Lutheranæ* insidiosè & fallaciter præfixit. In hunc egregium, si Dîs placet, libellum, præfatus D. Abrahamus noster, perfrictâ fronte non dubitavit proclamare, Parentis mei publicam doctrinam *non in uno, duobus aut tribus, sed in plerisque omnibus* Augustanæ Confessionis, *ejusque in Formulâ Concordiæ traditæ* ut ille loquitur *Exegeseos*, articulis, per OCTVAGINTA QVINQVE PVNCTA, (audi Lector grandesonantem & aures largiter implentem numerum) *dissonare, totumque illud Symbolum Lutheranum funditus* (hem *effrene falsiloquium!* ut Caloviana phrasi utar) *subvertere*; adeoque, quod inde sequebatur, Parentem meum & eos qui cum illo sentiant, *non dignos esse Theologorum Augustanæ Confessionis nomine.* Atque ut gravissima

hæc

hæc criminatio hominum animis passim tanto altius infigeretur, simul gloriatur, *Synopsin quandam errorum Calixti & complicum à COLLEGIIS integris Theologicis* (credat Iudæus Apella, non ego) *ita esse adornatam, ut distantia ab Augustanâ Confessione, & aliis libris Symbolicis Ecclesiarum nostrarum* πρὸσ ὄμμα *exhiberetur & uno veluti intuitu haberi posset*, eamque *superioribus suis esse probatam, atq; operam* porro *datam*, ut *non Latino solùm, sed & Germanico idiomate Synopsis ejusmodi concinnaretur, idque ea ratione, ut è libris quidem Symbolicis in Thesi, ipsis etiam verbis quoad fieri potuerit*, (retentis) *constans & unanimis Ecclesiarum nostrarum sententia sisteretur, è scriptis autem Novatorum in antithesi, contraria dogmata propriis eorummet verbis producerentur, ut nemo non simpliciorum quoque ingens illud* διάςημα *inter doctrinas Ecclesiarum August. Confessionis, & heterodoxias Novatorum perspicere queat.*

Vt autem opus deprædicatum, suum non occultaret, simul & commendaret artificem, ratione probandi impactas Calixto & Horneio tot numero accusationes, hâc ferè utitur Calovius. Compilat hinc inde corrasa librorum Symbolicorum, nec horum tantùm, sed Præfationum quoque & Appendicum verba, sæpius nec cœlum nec terram tangentia, iisque sua ipsius, eodem characterum genere, ne dolus pelluceat, audacter subinde tanquam ozymum inter olera ad lætiorem proventum, interserit. Quin imò

interdum eorum quæ *Profitetur & docet* locis in margine citatis ne γρῦ quidem exstat, sed meri sunt Caloviani Dictatus, qui pro librorum Symbolicorum verbis & sententiis venditantur. Quod sicut indignum Theologo, ita apud viros ingenuos haud usu receptum esse memini. Sub æquali igitur Characterum tegumento occultata fraus ut detegatur, diversum ego literarum genus adhibere, atque iteratam fallacis hujus *Consensus* editionem, ita adornari volui, ut erectæ literæ (*antiquæ* aliàs dictæ) citatorum librorum Symbolicorum genuina & germana verba, declinantes verò (*cursivas* seu currentes quas typothetæ vocant) ὑπόβλητα, & spuria exhiberent. Hâc nempè agendi ratione molestam à Lectore operam citatos consulendi codices amoliri, & oculorum ejus arbitrio, evidenter exponere visus mihi sum, quantopere adductæ Confessorum sententiæ Calovianis additamentis & corruptelis sint commaculatæ. Ista scilicet est, *summa* illa *fides*, quâ compilationem hanc è libris Symbolicis factam esse jactat Præfator. Et vix meliorem adhibet in recitandis quæ subjungit, Calixti & Horneii verbis. Etenim quæ ex ipsorum scriptis excerpta loca libris Symbolicis opponit, sæpè iterum integra non citat, nec infrequenter in sensum ab auctorum mente alienum abripit. Contradictiones autem inter Libros Symbolicos & Calixti ac Horneii doctrinam, quas plenis adeò

adeò buccis crepat, vix unquam vel conatur ſaltem oſtendere, contentus verba verbis objeciſſe, & relictâ aliis operâ, quomodo confictam contradictionem vel velint vel poſſint conſpicari. Hæc ferè eſt ſumma, & hæc meta laborum. Ecquis autem unquam, Lector, non dicam Theologus, nedum tantus, ſed Chriſtianus etiam de vulgo, proximum ſuum ejusmodi agendi ratione, coram orbe Chriſtiano ſuſtinuit ἐκθεατρίζειν? *Hoc* certè priſcus *Abraham non fecit*. Neque tamen erubeſcit noſter ille Abraham obdurato affirmare animo, collectionem *Syſtematis* illius, verbis ejus modo productis deſcripti, *ſummâ fide eſſe factam*. Mirum profectò fuerit, ſi illa quam in hoc Conſenſu tornando à Calovio adhibita eſt fides, *ſumma* debeat haberi *fides*, quæ tum inferior aut minor ejusdem fides ſit futura? Nec velim ego, nec poſſim facilè credere affirmanti porrò, *à Theologis, quorum pleriq; nunc in cœlis triumphent*, ſcriptum illud tam ſubleſtæ fidei, *accuratè recognitum eſſe*. Quum enim Calovii fraudes, & falſas atque imprudentes plurimas aſſertiones, ſi *accurate*, ut ille ait, ejus collectionem recognoviſſent, non potuiſſent non manibus contrectare, tantam quantam Calovius illis relinquere cogitur oſcitantiam & ἀβλεψίαν, ne quid gravius dicam, de viris illis nondum cupio ego ſuſpicari.

Quod autem integrum *Collegium Theologicum Wittebergenſe*, in quo Calovius ipſe hodie regnat, *volumini*

cuidam *Consiliorum* nuper edito insertam exhibuerit hanc *Thaida* (recognoscat rursus vocem suam Calovius) id sicut facilè credo, ita nec miror ego, nec invideo; Relinquo lubens hanc expletam animi sui libidinem Calovio. Eat in seculorum secula, tàm præclarè gestæ memoria rei. Qui foveam alteri fodit, ipse incidit in eam. Qui Calixtum voluit traducere, ac populari odio objicere tanquam ab omnibus penè Augustanæ Confessionis articulis discedentem, ille se, ab æquitate, candore, & veritatis studio longissime remotum tàm egregiè depinxit ipsum, ut Apelles aliquis melius non potuisset. Hoc videlicet est promeritum calumniatorum præmium, ut, dum aliorum famam affligere laborant, suam ipsorum existimationem palàm prostituant ac imminutum eant.

Te Lector æque ac candide, quicunque mihi contigeris, pro dignitate rogo, velis Calovianum hunc falso dictum *Consensum Repetitum fidei verè Lutheranæ*, quem, fiduciâ bonæ caussæ, nihil dubitavi tibi integrum exhibere, cum annexo singulis Punctis meo Examine & Discussione, diligenter contendere, & tunc seposito affectu, præeunte eruditione, comite candore, liberrimè judicare, utrum Calovius de omnibus iis, de quibus ille in Domino quiescentes Viros, D. Georgium Calixtum, & D. Conradum Horneium, illum Parentem hunc Præceptorem meum, utrumq; optimè tàm de studiis, quàm de Ecclesiâ meritum,

ritum, reos egit, legitimâ probandi ratione convicerit? Videbis, ſat ſcio, nihil eum minus quàm hoc animi ſui propoſitum effectum dare potuiſſe. Videbis ex adverſo, ſuffragari viris innocentibus ac falsò & per injuriam accuſatis, præſtantiſſimos quosque Eccleſiæ noſtræ Dd etiam ex eorum numero, qui Formulæ Concordiæ juramento adſtricti fuerunt. Talium enim luculenta teſtimonia per ſingula pene Capita, nominatis auctorum locis & libris, optimâ atque integerrimâ fide producimus. Non ſpero Calovium & complices, ad tenuem illam ſe exceptiunculam eſſe recepturos, quod in orthodoxis multa tolerari poſſint, quæ in heterodoxis ſine inſectatione abire nequeant. Præterquam enim quod illis minimè conceſſero, nec ipſi unquam oſtenderint, heterodoxos illos eſſe, quos hic ab intentatis accuſationibus ego vindico; prorſus quoque abſurda eſt illa προσωποληψία, ut videlicet rectũ, verum, & acriori cenſuræ exemptum habeatur, quod hi aut illi ſcribunt vel loquuntur; idem verò ſi dicatur aut ſcribatur ab aliis, quos male conſulto odio proſequimur, confeſtim ſit falſum, heterodoxum, erroneum, nec ullo convitii genere ſatis lapidandum. Veritas enim ac falſitas ab objectis ſuis pendent, quicquid ſit de proloquentium perſonis. Dixi Lector, viſurum Te, Calovium illos quos immerentes magnâ atrocitate accuſavit, eorum quorum eos audaciſſime reos egit, non potuiſſe, ſicut decebat & par erat convincere. Te itaque velim,

velim pro ingenuo Tuo candore, liberrimè judicare, cujus ingenii, quâ indole ſit Calovius, eique Tuo arbitratu juxta Divini aut humani juris normam pœnam condignam decernere. Helmſtadienſes certè vindictæ adeò non fuere cupidi, ut Calovium impunè hactenus calumniari permiſerint, quibus tamen tacentibus, *lapides* interim ruricolarum prope VVittebergam *clamarunt* pro ipſis, & Calovii aures ac tempora ſtrenuè nuper circumſtrepuerunt. Quæ res, poſtquam ſermone & literis VVittebergâ non ſine ſale allata huc eſt, Tuum Lector judicium hac commeritæ pœnæ exhibitâ προγεύσει ruſtici iſti anticipaſſe, & Calovium viſi mihi ſunt monuiſſe, ut vel ſic tandem petulanter ſe gerere, & innocentum famam publicè proſcindere dediſceret.

Cæterùm, quemadmodum Divina benignitas & providentia peſſimas hominum molitiones in bonum quandoque finem dirigit, ita fato quoque factum crediderim, quod immenſa iſta iniquiſſimarum imputationũ, & falſiſſimarum accuſationum farrago, è vaſtis malevolorum voluminibus excerpta, in Calovianum hunc *Conſenſum* veluti in penum congeſta ſit, & in unam coaluerit maſſam. Abſq; hoc ipſo enim Conſenſu ſi fuiſſet, ſilentio porrò indulſiſſent Helmſtadienſes, nec ego evolvendis ingenti mole laborantibus codicibus, vel tempus perdidiſſem, vel ullam operam locaſſem, ſed Calovium ejusque ſimiles, ſuo ſenſu abundare, & genio porrò indulgere permiſiſſem; certiſſimus interim mecum, cordatos

datos

datos & intelligentes, audacia ejusmodi commenta divulgantibus, haud suffragaturos. In imperitorum atque eorum qui auribus ducuntur & cum multitudine errant applausu, parum situm est momenti. Conniveant etiam, per me licet, vel dissimulent alii, qui rem rectius quidem intelligunt, ast sacram, quam nonnulli hodie exercent tyrannidem usque adeò reformidant, ut ne hiscere quidem, nedum apertè contradicere audeant. Omnia interim ista quemadmodum non ignorarunt, ita detestati quoq; sunt Serenissimi Brunsvicensium & Luneburgensiũ Duces, Principes & Domini nostri Regentes, ast non tanti esse prudenter judicarunt, propter quæ, ad majorẽ in Ecclesiâ edendum strepitũ, suos Theologos cum prurientibus istis scriptorib⁹ committerent, sed maluerunt eos injurias, ætatem non visuras, tolerare, quam ad exitiale schisma, quod alii non dicam meditantur tantum, sed quantum in ipsis est jam perfecerunt, promovendum quidquam conferre. Posteaquam verò Calovius prodigiosum hunc enixus est abortum, cui *Consensus repetiti Fidei verè Lutheranæ* nomen imponere non erubuit, supremum certè arrogantiæ gradum attigisse, & meruisse visus est, cujus temeritas nonnihil castigaretur. Et sic, expugnatâ tandem patientiâ, diuturnum illud silentium quo huc usq; indulsimus, rumpere jusserunt Celsissimi & Potentissimi Principes, Domini & nutricii nostri munificentissimi. Mihi verò potiùs quàm aliis ingratum hunc laborem clementissimè voluerunt de-

mandare, quod ipsa tùm erga Parentem, tùm Præceptorem meum, inter sanctos nunc agentes pietas, id ipsum videretur exigere. Neque detrectavi ego, sed eâ quâ par erat devotione Serenissimorum Heroum mandato lubens obtemperavi. Neque terruit me commissi operis vel difficultas, vel amplitudo, sed erecto animo aggressus illud sum, quamvis non tantum Calixti & Hornei proterve laceratam famam, sed ipsos quoque Libros Symbolicos, atque Ecclesiam Protestantium universam ab illata non vulgari injuria vindicandam mihi fore, animadverterem. Ecquis enim non interpretaretur injuriã, temerariâ manu corrumpere libros Symbolicos publicâ autoritate editos, & privata sua placita, tanquam Confessorum effata jactare? Ecquis non Ecclesiæ illatam injuriam censeat, unum hominem ita se efferre, ut Dictatoris instar inter alios eminens, inconsultis omnibus, ad quos religionis negotium non minus quàm ad ipsum pertinet, novitatibus inauditis scatentem Consensum (in quem præter ipsum vix quisquam alius consenserit) edere, Ecclesiæque obtrudere sibi sumat? Etenim, quî consenserint remotiores Theologi, si intra VVittebergæ pomœria ipsius Calovii id non fecerint Collegæ? Non autem fecisse singulos, satis indicant Disputationes quædam perbreves sub Præsidio D. Iohannis Meisneri anno superiore, per menses Iunium Iulium & Augustum habitæ, quum haud ita pridem, pridie scilicet Cal. Ianuarii anni ejusdem Consensum suum divulgas-

vulgasset, Abrahamus Calovius. Quàm verò ibi nonnulla cum *professione & doctrina Consensus* è diametro pugnantia & ex adverso iis quæ ibidem *reÿciuntur*, plane conformia, rectè docuerit Dn. Præses, in Appendice (pridem enim in manus meas inciderunt, ut singula ad suum locum referri non potuerint) quam coronidis instar Tractationi huic adjeci, exhibetur. Veritate igitur, intra ipsam VVittebergam incipiente movere lacertos, quid mirum, alibi marte aperto eandem propugnari & feliciori vindicari successu?

Et profecto confidenter affirmare ausim, quàm plurimos in Protestantium tùm Ecclesiis tùm Academiis superesse cordatos Theologos, qui oblatū sibi toties commemoratum Consensum, rejecturi potius, quam calculo suo sint approbaturi. Optaverim sanè, ut Principes & reliqui Imperii Status Ordinesq; quorum jurisdictioni Academiæ Protestantium subsunt & parent, sub fide juramenti, vel etiam præeunte juramento suos interrogarent Theologos, num Calovianū istum Consensum, pro Consensu Fidei verè Lutheranæ, dictante conscientiâ habeant, *in quo singuli* (juxta Calovii votum) *conservari ad ultimos usque spiritus* exoptent? certior sum eo qui est certissimus, quamplurimos reluctante conscientiâ non probaturos ea, quibus aliàs ob validam nimis tumultuantium factionem apertè contradicere fortè non sunt ausi. Et hunc finem tunc demum obtentum iri existimem, si non quidem integra interrogentur Theologorum

logorum Collegia ſed ſi ſinguli viritim animi ſententiam exponere jubeantur. Ita ſcilicet præjudiciis non gravabuntur, nec votum eorum vel contranitentium auctoritate deprimetur, vel multitudine Novitates pertinaciter propugnantium, penitus opprimetur.

Placet quidem Calovio accuſatos abs ſe pro lubitu viros, odioſa *Novatorum* appellatione, in criminatrice ſua Præfatione onerare. Aſt intueatur Lector, hunc ſaltem Conſenſum, & locupletem Novitatum pariter atque abſurditatum inveniet theſaurum. Vel, ſi majorem temporis jacturam facere, & multiloqua Calovii ſcripta (non poteſt autem non in tanto *multiloquio*, judicio Regum Sapientiſſimi ſæpius *ineſſe vanitas*) perreptare ſatagat, multò adhuc uberiorem novarum, falſarum & abſurdarum ſententiarum proventum, & faciliore quidem, quàm ipſe Conſenſum ſuum conſuit opera, veritate tamen magis ſuffragante ibi inventurũ eſſe polliceor.

Eccleſiam autem Proteſtantium univerſam, ceu communem & venerabilem noſtram Matrem, reverentiâ quâ poſſum & debeo obteſtor, dignetur illa maturo judicio conſiderare, utrum ejuſmodi temerarium arrogantiæ exemplum ſine juſta indignatione & ſeverâ animadverſione velit tranſmittere ad poſteros, ut unus aliquis *Lector* aut *Ludimagiſter* (Caloviana Lector noſti hæc eſſe vocabula) ſub ficto ſchemate *Conſenſus Repetiti fidei vere Lutheranæ*, quem ille prius verbis abs ſeſe pro lubitu paſſim inſertis, ad guſtum ſuum

con-

concinnaverit, ita dominetur, sibique sumat potestatem *Profitendi, Docendi*, præscribendi quicquid libitum fuerit: *Reyciendi* item, & ab Augustanæ Confessionis consortio excludendi, quos sibi pro animi malevolentiâ rejicere visum fuerit? Certè si hoc uni Calovio concedatur, habebimus deinceps redivivum Papatum intra viscera nostra enatum. Habebimus conditorem aliquem Dogmatum, qui sibi *sumat potestatem majorem* quàm ipse *Romanus Episcopus sibi sumit, quod magno cum dolore in aliquibus* suo tempore se *vidisse*, scripsit Philippus Melanchthon, Epist. à Casparo Peucero VVittebergæ anno MDLXX editarum libro I. paginâ 270.

Etiam illud in considerationem vocare velim omnes Augustanæ Confessioni seriò addictos, quantopere appellatione *Fidei verè Lutheranæ* abutatur D. Calovius, qui eam in hoc suo fictitio Consensu plurimis rebus prætexit, de quibus nihil unquam determinavit Lutherus, &, si maximè de talibus aliquid determinasset, tamen hoc solo nomine inter credenda & *Fidem* quam aliàs Ecclesia (à repurgatore Luthero discriminis ergo Lutherana dicta) profitetur, attinentia, recenseri neutiquam deberent. *Amicus enim Plato, amicus Aristoteles, sed magis amica veritas. Sic in disputationibus Theologicis amicus Lutherus, Chemnitius & omnes Theologi, sed magis amicus Christus & ejus verbum in Sacris Literis contentum*; rectè olim scripsit VVittebergæ D. Iacobus Martini Pædiæ Log. Libr. V. cap. XVI. pag. 755.

Formula Concordiæ in hac Academiâ non est recepta. Nemo tamen illi se opponit: suo eam loco relinquimus, etsi nec obtrudi nobis eam, ab iis inprimis, qui nullam in nos potestatem habent, patiamur. Et video inter Censuras Mislenticas Tremonianam satis candide & rectè monere, *pro absolutâ & generali veritatis normâ non facilè librum istum* (Formulam Concordiæ) *habendum, quia non minus MVLTÆ sint sinceræ Augustanæ Confessionis Ecclesiæ, quæ se ad illud Symbolum obligare noluerint.* At hodie in Symbolo isto ne quidem acquiescunt nonnulli, sed, etiam à Doctoribus merè privatis, adjiciuntur ad illud Appendices, quales sint (1) *Apologia Form. Concordiæ* (2) *Articuli visitationis Misnicæ* (3) *Decisio controversiæ Tübingensis, ejusque Apologia* (4) *Decisio controversiæ Rathmannianæ*, (5) *Defensio pupillæ Augustanæ Confessionis, ejusque Apologiæ.* Imò *horsum etiam refert* non nemo *quæ superioribus annis de exclusione resuscitatæ controversiæ Majoristicæ*, ut illi appellare libuit, *& necessitate bonorum operum ad salutem, à Theologis Saxonicis*, VVellero, Hulsemanno, Calovio & aliis, magnâ licet animorum intemperie *sunt scripta*. Quibus sine dubio, si ex Calovii res succedet sententiâ, præsens hic Consensus in cumulum deinceps accedet. Certè ut id fiat, non obscurè Auctor in calce ejusdem vovet.

Quorsum autem collimet talis scriptorum ejusmodi Canonizatio ut sic loquar, nemo tam hebes est qui

qui non facilè assequatur. Ego id prudentum Theologorum & Politicorum, pâcis Ecclesiæ & Principum suorum dignitatis studiosorum altiori indagini, meritò expendendum relinquo. Calovio interea, infruniti Consensus architecto, refrigerationem exorbitantis illius quo in Parentem meum hactenus æstuavit caloris, quantocius contingere exopto, eidemque ex animo precor, ut agnitis *Octuaginta quinque* illis tum in Parentem meum, tùm in D. Horneium, falso ac per manifestam injuriam conjectis accusationibus, nisi, non dicam *Theologi Augustanæ Confessionis*, sed Christiani saltem *nomine indignus* haberi velit, culpæ suæ apud Deum inprimis, tum & apud omnes viros bonos veniam humiliter quærat atque inveniat. Te verò, Lector æque atque candide salvere plurimùm, & res Tuas bono publico feliciter gerere jubeo. Scripsi in Serenissimorum & Potentissimorum Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium Academiâ Juliâ, quæ est Helmestadi Saxonum, Anno à Nato Servatore CIↃ IↃ C LXVII.

LECTORI BENEVOLO
S. P.
IN DOMINO JESV!

TVmulata videbatur multis cum D. GEORGIO CALIXTO, Academiæ Juliæ Profeſſore primario Novaturientium Secta illa, quæ pro ſcopo ſibi fixerat conſociationem Eccleſiarum Lutheranarum, Calvinianarum, Pontificiarum, ceu in fundamento fidei haud diſſonantium. Hic enim Thaidaiſtam præ aliis maximè ornarat, ingenii & Eloquentiæ dotibus nimium confiſus; tametſi apparatum ad eam rem acceperit à Georgio Caſſandro, & Marco Antonio de Dominis, Viris magnæ eruditionis, ſed non minoris in religione levitatis. Qui à ſuis hanc reportarunt mercedem, ut alter *autor damnatus* habeatur, alterius cadaver, ut ut palinodiâ editâ, Papæ aſſentaretur, ad rogum damnatum fuerit. Revireſcere tamen, & caput erigere viciſſim cepere illa Syncreticorum κακὰ θηρία, in Rintelenſibus, qui exequuti infeliciter ſunt, quod in votis & conſiliis erat Magiſtro ſuo defuncto, initâ pactione cum Marpurgenſibus Calvinianis: nec non in D. Chriſtiano Dreiero, qui cum Papicolis eandem πὺξ καὶ λὰξ molitur conteſſerationem, ut ſc. perfectius aſſequatur finem à Calixto præfixum. Quem dubium nullum eſt, Rintelenſes, aut certè præcipuum eorum D. Johannem Henichium, qui ſolus ibi nunc ſuperat, pariter intendere. Hic enim non dubitavit in Præfatione Inſtitutionum Theologicarum hoc anno editarum, hanc gratitudinis aram eidem erigere. *Sane ſicut hic vir (loquor de Calixto) cuivis veterum Doctorum comparari meretur* (ne Auguſtinum quidem, Aut Athanaſium excipiendum duxit) *ita tantum abeſt, ut ex ejus diſciplinâ me prodiiſſe negem, aut doleam, ut hoc ipſum GLORIAE mihi verti oportere, plane ſim perſuaſus. NIHIL ab ipſo unquam audivi, NIHIL didici, quod non AEQVE EXOSCVLER: nec permoveri me VLLA RATIONE ſinam, ut iis placere ſtudeam,*

quibus

quibus Calixtus NOSTER *displicuit.* Addit; *Neque aliter animati sunt Clarissimi Domini Collegæ mei, quo nomine non solum mihi, sed universæ huic Academiæ gratulor.* Non ergo est, quod dubitemus, Syncretismum, quem cum *Calvinianis* iniere Rintelenses, cum *Papistis* pariter intendere, ac promotum velle: Siquidem ex asse cum Calixto, qui eundem enixè intendebat, consulebat, ac provehere optabat, faciant.

Quum verò hic scopus, & universa Novatorum βδελύγματα non satis omnibus nota sint, nec vacet quibusvis prolixa volumina, quibus illa deteguntur, & confutantur, evolvere, desiderata fuit à *Magnis* Viris, *politicis* pariter & *Theologis Synopsis* quædam errorum Calixti & Complicum, à Collegiis integris Theologicis, & quidem ita adornata, ut distantia ab Augustanâ Confessione, & aliis libris Symbolicis Ecclesiarum nostrarum πρὸς ὄμμα exhiberetur, & uno velut intuitu haberi posset. Quod consilium, ubi *Superioribus nostris* imprimis sese probabat, opera data est non proletaria ut non *Latino* solùm, sed & *Germanico* idiomate Synopsis ejusmodi concinnaretur, idque eâ ratione, ut è libris quidem *Symbolicis* in *Thesi*, *ipsis* etiam *Verbis*, quo ad fieri posset, constans & unanimis Ecclesiarum nostrarum sententia sisteretur, è Scriptis autem *Novatorum* in *antithesi* contraria dogmata *propriis* eorummet *verbis* producerentur, ut nemo non, *simpliciorum* quoque, ingens διάστημα illud inter doctrinam ecclesiarum August. Confessionis, & heterodoxias Novatorum perspicere queat. Quod ubi summa fide factum, & à Theologis, quorum plerique nunc in cœlis triumphant, accuratè recognitum esset, passim à constantibus Evangelicæ veritatis Professoribus vehementer expetebatur; unde quum alia scripta publica, & consilia, inprimis etiam de iisdem causis, *Syncretisticis* sc. uno

Collegium Nostrum Theologicum ederet Volumine, votis Ecclesiæ, ejusque Antistitum, è quibus honoris causâ Theologos Beatissimos *DN. D. VVellerum* & *Dn. D. Hulsemannum*, viros Dei, de Ecclesia Christi præclarè meritos, nomino, gratificaturum, maximè autem Ecclesiæ necessitati velificaturum, istam quoque Synopsin exhibuit.

Quia vero neque omnium est, *Consilia ista Theologica* evolvere, nec quibusvis statim in iisdem obvium fit scriptum illud publicum, quod hodie in novis *Rintelio Dreierianis* turbis (ne de aliis, qui in rem suam eas in Papatu æque, & in Reformata Ecclesia vertunt, in præsenti quicquam dicam) factu summopere necessarium est, seorsim hic Ecclesiæ id sistendum duxi, quum non solum scripta hæterodoxa, maxime vero *Syncretismo* à D. Calixto consecrata, iterum iterumque sub prælum revocari, sed eandem etiam fabulam, mutatis solum personis, non uno in loco, agi viderem, ac lugerem.

Abhorrebunt, confido in Domino, *piæ mentes* à Sectâ novellâ, ejusque molitionibus, ubi *consensum* hunc *repetitum* in timore Domini legerint, *multi* tacitè fatebuntur, se non credidisse, tantam intercedere distantiam Augustanæ Confessioni, cum exegesi ejusdem in Formulâ Concordiæ traditâ, & erroribus Novatorum, *plerique* detestabuntur infestam Sectam, cui ob schema concordiæ Ecclesiasticæ non adversi omnino erant: *omnes*, quibus veritati, in solis disco positæ, obloqui religio, agnoscent, non dignos esse Theologorum Augustanæ Confessionis nomine, qui tam luculenter ab eadem non in uno, duobus aut tribus, sed in plerisque omnibus articulis, per *Octuaginta quinque puncta* dissonant, totumque illud symbolum Lutheranum, cujus assertio & defensio tanti piis magnorum Regum, E-

lecto-

lectorum, Ducum, Comitum, Dominorum, Rerum publicarum, Doctorum, Pastorum, fidelium Confessorum quorumvis, & martyrum animabus constitit, & κειμήλιον habitum est per integrum sesquiseculum in inæstimabile, funditus subruant.

Rogandus est Pater omnis misericordiæ precibus ardentissimis, ne ob neglectum & contemtum sancti istius depositi, aliaque scelera publica, candelabrum verbi sui loco moveat, pristinisque tenebris Cimmeriis, aut AEgyptiacis, Ecclesias, in quibus lumen verbi nitidissime fulsit, involvi patiatur: Confundat verò omnes, qui id moliuntur, aut tenebras magis amant, quam veritatis divinæ lucem, nisi converti à tenebris ad lucem velint, aut possint, idque propter Eum, qui per viscera misericordiæ ejus, Oriens ex alto, Nos visitare dignatus est, In quo *Ecclesiæ*, ejus *Nutritiis*, ac *Defensoribus*, terræ clypeis, atque *Antistibus fidelibus*, gratiam, virtutem ex alto, robur & constantiam, cum omnigena cælesti benedictione, ex intimis animi fibris, loco strenæ apprecor: Tibi verò, Lector Benevole, INTELLECTVM IN OMNIBVS ET PROFECTVM SALVTAREM!

Wittebergæ. Pride Kal. Januar. Anni Gratiæ novissimæ cIↄ Iↄc LXVI.

Abraham Calovius, D.

INDEX

INDEX CAPITVM

Articulus proœmialis I. continens totius negotii fundamentum p. 1.
Articulus proœmialis II. de SS. Scriptura, adsolvitur V. punctis. p. 20.
Articulus I. August. Confessionis de Deo, constat VI. punctis. p. 44.
Articulus II. & XIX. de peccato, eiusdemque causa, & quæ ei fuit opposita, imagine divina, habet XIII. puncta. p. 74.
Articulus III. de Christo XII. punctorum p. 143.
Articulus IV. VI. & XX. de iustificatione & bonis operibus XV. punctorum. p. 176.
Articulus V. de Verbo Dei, legis & Evangelii, puncto uno constat. p. 228.
Articulus VII. IIX. & XXIIX. de Ecclesia, punct. III. p. 233.
Articulus IX. & XIII. de Sacramentis in genere & speciatim de Baptismo, punctis IV. p. 260.
Articulus XXXII. & XXIV. de Cœna Domini & abusu circa eandem Missa sc. Papistica, punct. IIX. p. 281.
Articulus XII. de Pœnitentia punct. III. p. 315.
Articulus XVI. de Magistratu Politico, punct. II. p. 325.
Articulus XVII. de extremo iudicio, punct. III. p. 334.
Articulus XIIX. de libero arbitrio, punct. IV. p. 340.
Articulus XX. de cultu Sanctorum, punct. II. p. 351.
Conclusio. p. 356.

ARTI-



ARTICVLVS PROOEMIALIS PRIOR,

continens

Totius negotii fundamentum

PVNCTVM I.

P*Rofitemur & docemus, Eccles. Christ. Evang. seu Lutheranam*, cui postremis hisce temporibus ex maximâ Dei clementiâ, fideli operâ, *summâ pietate præditi* & præstantissimi *herois*, D. Martini Lutheri, è tenebris horrendis & plusquam Cimmeriis, quibus sub Papatu oppressa fuerat, puritas verbi divini *affulsit*, *veram esse Dei* Ecclesiam, in quâ Evangelium rectè docetur, & rectè administrantur Sacramenta.

Liber Concord. p. 633. Edit. Lat. Lips. in 8. publicatæ Anno 1612. 1626 & Ienæ 1654. Edit. Germ. in folio Dresdæ 1580 p. 256. Augustan. Conf. art. 7. pag. 2. Edit. Lips.

Rejicimus eos, qui criminantur, Ecclesiam Lutheranam vix minoribus erroribus inquinatam esse, quam est Papistica & Calviniana, & propterea aditum ad eandem dissuadent, vel non suadent. Sic autem habent verba D. Georgii Calixti in Epistola ad Christophorum Ranzovium editâ Moguntiæ CIↃ IↃC LII. Ecclesia Lutherana, quæ dogmati ubiquitatis adhæreſcit VIX MINOREM maculam contrahit, quam Calviniana, dum hunc SATIS CRASSUM errorem tuetur, & obtrudit. Mi nobilissime Ranzovi, ausim affirmare, vix alibi Ecclesiam inveniri melius comparatam, quàm in nostrâ patriâ, & hic in ducatu Brunswicensi, Ditionis Wulfenbutelicæ & Calenbergicæ. Exulant enim inde non modo superstitiones, & corruptelæ pontificiæ, sed etiam Calvinismus, qui præsentiam in Eucharistia negat, & illaudabile dogma Vbiquitatis. Idem statuit Calixtus in Responso ad Dn. Ernestum, Landgravium Hassiæ, p. 10. 11. 12. Si consideremus Ecclesias occidentales, quæ Latinæ esse, propter antiquum in iis latinæ linguæ usum perhibentur, & potissimum eas, quæ sunt in Imperio Romano Germanico, earum aliæ Pontificiæ audiunt, aliæ Lutheranæ, aliæ Calvinianæ. Nulla inter eas plura fundamento superaddidit, quam Pontificia. Lutheranæ aliæ simpliciter inhærent Augustanæ Confessioni, aliæ nonnulla dogmata addiderunt, inter quæ eminet dogma Vbiquitatis. Ago Deo grati-

gratias, quod natus & educatus sim in Ecclesia, quæ id ipsum nunquam receperit, & hodie vivam in Academia, quæ nunquam probaverit. Scio proinde, purioribus meritò accenseri, nec alibi puriores, præsertim quod doctrinam attinet, inveniri. Quod attinet sacros ritus & emendationem morum, nolim negare, in aliquibus vel illos commodiores, vel hanc majorem dari posse. Si ista, ut commodè fieri poterit, emendentur, non video causam, quare aliam Celsit. Tua velit quærere Ecclesiam, cui nomen det, & quæ sibi ultrò pateat, quam eam, in quâ natus fuit & innutritus (nata & innutrita) h. e. Calvinianam.

Σὺν τῷ Θεῷ

FRIDERICI VLRICI CALIXTI
S. Theol. D. & in Acad. Juliâ
Profess. Ordin.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI PRIMI.

Duo hîc ponuntur, quorum assertores *reiiciendos*, & orthodoxorum numero eximendos censet Auctor Consensus. Sed neutrum è D. Calixti scriptis, si loca citata accuratè expendantur, & integra Lectori exhibeantur, extorqueri poterit. Nam primò non dicit D. Calixtus, sicut hic ei tribuitur, *Ecclesiam Lutheranam vix minoribus erroribus inquinatam esse, quam est Papistica & Calviniana.* Non enim, nisi de uno *illaudabili dogmate* quod in Ecclesias Lutheranas irrepserit, conqueritur, & propter hoc ipsum defensum, *vix minorem maculam* sive opprobrium eam contrahere dicit, quam contrahat Calviniana Ecclesia, eò quod contra disertam Servatoris adsertionem veram corporis sanguinisq; Dominici in S. Eucharistiâ præsentiam inficietur.

Quantumvis verò dogma Ubiquitatis pro *errore satis crasso* in Ecclesiâ Lutherana habuerit, eo tamen ipso non contra-

contradixit Articulo VII Augustanæ Confessionis, ad *veram Ecclesiam* (*ad veram unitatem Ecclesiæ* habent verba Articuli) requirenti, ut in eâ *Evangelium rectè doceatur, & rectè administrentur sacramenta*, sive ut ipsissima verba Articuli, perperàm cum aliis commutata, habent, ut *consentiatur de doctrina Evangelii & administratione sacramentorum*. Ipse autem D. Calovius illa verba *Consentire de doctrina Evangelii*, restringit ad *articulos fidei ad salutem necessarios*. Verba ejus Mataeologiæ Papist. sect. IV. contr. X. num. I. hæc sunt. *Nos verò notas illas, quatenus à nostris discrepant, nothas & adulterinas, vel incertas pronunciamus, solumq́; nostras pro genuinis haberi debere profitemur, quas cum August. Conf. Art. VII revocamus ad consensum cum S. Scripturâ de doctrinâ Evangelii, vel articulis fidei ad salutem (NB.) scitu necessariis, & legitimâ Sacramentorum administratione.*

Non magis itaque propter talem errorem Lutherana Ecclesia juxta D. Calixtum desinit esse vera Ecclesia, quam homo ob contractum aliquod corporis vitium desinit esse verus homo. Etenim Ecclesiæ cujusdam particularis veritatem fundamentalem cum graviore quodam, sive *satis crasso errore* in doctrinâ benè consistere posse, etiam D. Johannes Gerhardus Loco de Ecclesiâ numero 126 agnovit. *Si strictè velimus loqui*, inquit ille, *posset una tantùm propria & essentialis nota Ecclesiæ constitui, videlicet pura verbi prædicatio, cujus appendix est legitimus Sacramentorum usus. — Et puritatis illius sunt certi quidam gradus, quia verbum Dei aliquando magis purè, aliquando verò minus purè in Ecclesiâ prædicatur, nec statim desinit esse* (vera) *Ecclesia, si vel maximè in quibusdam religionis capitibus non purè doceat.* D. Gerhardo jungo D. Albertum Gravverum, Academiæ Jenensis Theologum quondam celeberrimum, qui Disp. Anti-Jesuiticarum III. numero XXXIIX. ita scribit: *Potest etiam vera Ecclesia esse & manere, licet quo ad externum ministerium Verbi, non sit per omnia incorrupta & pura:*

aliud igitur est quærere de notis Ecclesiæ veræ, aliud vero de notis Ecclesiæ quoad omnes partes seu circumstantias integræ & incorruptæ. Verba hæc sua fecit & probavit D. Henricus Hopfnerus Theologus eximius, & meus quoque ante viginti quinque annos in Academiâ Lipsiensi præceptor, Disputatione de Notis Ecclesiæ in genere, Respondente M. Benedicto Mauritio Altorphino-Norico, Membro 1, Num. xv.

Nihil prohibet superioribus his adjungere quartum. Is est D. Andreas Keslerus, Responsione bello Ubiquitistico L. Foreri Jesuitâ, ad peculiare mandatum Ser^mi Saxoniæ Electoris oppositæ, libro II. sect. II, cap. IV, pag. 611, & 612. *Habet puritas doctrinæ prædicatæ suos gradus, secundum tempora & loca diversa. Vbi igitur purè verbum Dei prædicatur, ibi pura est Ecclesia, & quo purior est verbi prædicatio, eo purior Ecclesia. Neque verò, quod secundo loco notandum, Theologi Lutherani gloriantur, semper & ubique inter Lutheranos puritatem doctrinæ viguisse vel vigere: quin potius agnoscunt, quod Ecclesiis ab ipsis Apostolis plantatis contingit, etiam Lutheranis Ecclesiis contingere posse.*

Monui paulò ante, Confessionis verba de *verâ unitate Ecclesiæ* & iis quæ ad eam constituendam pertinent, loqui. Hic non possum me continere quin adscribam verba D. Iohannis Gerhardi è Loco de Ecclesiâ, Sectione VII, numero CCXXXI. pag. editionis Ienensis 1095. *Addendum etiam illud*, ait ibi, *quod VNITAS Fidei & doctrinæ in Ecclesiâ in hac vita NON SIT PERFECTA & numeris omnibus absoluta, quandoque enim inter veræ Ecclesiæ membra incidunt controversiæ, quibus sancta illa unitas scinditur: Distinguendum igitur inter VNITATEM ABSOLVTAM, perfectam & dissensionis omnis expertem; quæ in Ecclesia triumphante demum habebit locum, & inter VNITATEM FVNDAMENTALEM, quæ in consensione PRINCIPALIVM ARTICVLORVM consistit, licet de nonnullis fidei capitibus MINVS PRINCIPALIBVS, vel de ceremoniis*

remoniis adiaphoris, vel etiam de interpretatione quorundam Scripturæ locorum controversiæ incidant, ac talis est ILLA VNITAS quæ in Ecclesia militante locum habet, in ea enim nunquam reperitur tanta concordia, quin dissensionibus quibusdam sit permixta. Utinam D. Calovius hæc verba in animum suum dudum intromisisset, meliùs Ecclesiæ tranquillitati, meliùs proprio suo honori consultum ivisset!

Alterum crimen ab Autore Consensus in D. Calixtum detortum, hoc est, quod ad Ecclesiam Lutheranam propter assertum ab illa ubiquitatis dogma, *aditum dissuadeat, vel non suadeat.* Quâ suspicione ut oneret pium virum, è Responso primo Illmo Hassiæ Landgravio ante quindecim circiter annos dato nonnulla profert, malâ tamen fide, omissis intermediis verbis in quibus potissimũ momentũ est situm & ne indicio quidẽ lacunæ facto. *Non videre se causam*, inquit ibi Parens, *quare aliam Celsitudo ejus velit quærere Ecclesiam cui nomen det, & sibi ultrò pateat, quàm eam in qua nata sit & educata; si tamẽ* ISTA, *ut commode fieri poterit, emendentur*: Quænam verò ISTA sint, quorum emendationem flagitat, subdolè præterit Calovius quæ tamen si addidisset, magis candide egisset, operamque rectius locasset, quàm quod ibi occurrens in constructione πάρεργμα, insertâ parenthesi exagitat. Quæ igitur hic desiderantur, & datâ operâ omissa sunt, bonâ fide nos supplemus, & ita habent. *Calviniani nec ipsi inter se consentiunt, sed alii absolutum prædestinationis decretum admittunt, divisi tamen in Supralapsarios quos vocant, & Infralapsarios; alii reiiciunt. Supralapsarios vix puto aliquos superesse. Infralapsarii ad opinionem Augustini accedunt, quam etiamsi erroneam esse credam, hæreticam tamen dicere non ausim. Et agitantur hodie inter Pontificios similes controversiæ præsertim inter Dominicanos & Iesuitas. Nihilominus fœdus est error eorum, qui renatos peccatis atrocibus & contra conscientiam commissis fidem & Spiritum sanctum excutere vel amittere*

 negant

negant. Si in Hassia idem docetur, quod equidem nescio, rectè feceris Cel^do Tua, si non modò dissentiat ipsa, sed ut error exstirpetur, operam dederit. Itidem, ne valeat vel obtineat adsertio Calvini, Quod necesse sit corpus Christi ab Eucharistia apud nos administrata tanto locorum intervallo distare, quanto cœlum abest à terra. Quam Calvini vocem intolerabilem, esse ante XL. annos agnovit mihiq; fassus est eximius vir Isaacus Casaubonus. Credamus verum esse quod affirmat Servator, nempe eos qui accipiunt & manducant benedictum panem, accipere & manducare corpus Christi: modum quo praestet, ut verum sit quod affirmat, ipsius omniscientiæ & omnipotentiæ committamus.

Recenset hic Calvinianorum peculiaria & eorum cætibus propria dogmata, quorum alia pro erroneis quidem, non tamen pro hæreticis habet, alia *fœdos errores* olere, alia *intolerabilia* esse disertè affirmat: ista verò omnia antequam Ecclesiæ eorum aliquis nomen suum dare possit, *emendanda* & *exstirpanda* esse contendit. Ubi autem emendatæ & exstirpatæ fuerint istæ schisma inter nos & Reformatos alentes doctrinæ, vix quicquam relinquetur quod prohibere possit, quo minus sublato schismate actualis communio restauretur. Omnes igitur quotquot Calviniani hodie audiunt, post talem expurgationem & emendationem nihil habebunt causæ, quare aliam velint quærere Ecclesiam, cui nomen dent, quàm eam, in quâ nati sunt & enutriti: non enim tunc haberi poterit pro Ecclesiâ Calvinianorũ tali, qualis antea erat, sed respondebit alicui Ecclesiæ Protestantium, quæ novum ubiquitatis dogma non admisit. Utrum igitur beatus Parens meus, eum in sensum Illust^mum Hassiæ Landgravium compellans, aditum ad Ecclesiam nostram dissvaserit, alijs qui ab affectibus immunes sunt judicandum relinquo.

PUNCTUM II.

P*Rofitemur, & docemu*, nequaquam consilium & institutum nostrum esse, eos homines, qui ex quadam animi simplicitate errant nec tamen blasphemi in veritatem doctrinæ cœlestis sunt, multò verò minus totas Ecclesias, quæ vel sub Romano Imperio nationis Germanicæ, vel alibi sunt, damnare. Quin potius mens atque animus noster est, hac ratione fanaticas opiniones, & earundem pervicaces doctores & blasphemos, *quales sunt Pontificii, Calviniani*, duntaxat palam reprehendere & damnare, quod errores eorundem expresso Dei verbo repugnent, & quidem ita, ut cum eo conciliari nequeant, *ut ita Ecclesiæ nostræ ab Romanensib. aliisque rejectis & damnatis sectis & Hæresibus sejungantur.* Vide Præfat. Concord. pag. 14. & 15. Edit. Teutō. in præfat. § wasdan die Condemnationes. Form. Cōc. pag. 633. Teut. 256. fac. b.

Rejicimus eos, qui docent, apud Pontificios & Calvinianos, etiam Doctores, non obstantibus fœdis illis erroribus, quos contra doctrinam Evangelicam defendunt, fundamenta salutis, quatenus in articulis fidei ab intellectu apprehendendis sita sunt, integra superesse, eosdem fore cives regni cœlestis, & esse Christi membra, veræque Ecclesiæ concorpores & cohæredes.

Ita D. Georgius Calixtus in Consideratione & ἐπικρίσει ad colloquium Thoruniense, &c. edita Helmstadi CIↃ. IↃC. XLV. §. 3. 4. 5 9. 18. 44. 45. 46. Verba sunt hæc: Cur omnes eos, qui suscepto baptismo unum Deum creatorem cœli & terræ, Patrem, Filium & Sp. Sanctum venerantur & adorant: & credunt Filium ex Virgine natum, hominemque factum, passione & morte suâ à peccatis, & peccatorum pœnis nos redemisse, resurrexisse, in cœlos adscendisse, ibi regnare & inde rediturum ad suscitandum mortuos, & judicandum cunctos homines; Cur, inquam, hos OMNES, cives regni Dei ac Christi habeam, alibi exposui. Ita verò credere eos, qui hodie Pontificii, Lutherani & Calviniani (utar tantisper receptis vocabulis) vocantur, notum est & extra controversiam. Consequens igitur est, hanc fidem ad salutem iis sufficere, & modo non secundum carnem ambulent, sed secundum spiritum, salvos fore. Addit §. 5. Fundamenta Salutis, quatenus in articulis fidei ab intellectu apprehendendis sita sunt, apud quamvis trium illarum partium INTEGRA superesse videntur. Et iterum: §. 16. Equidem si tales, quales ibi §. 9. descri-

descripti sunt, fuerint, qui discutiendarũ Controversiarum Ecclesiasticarũ ergo, in Colloquio Thoruniensi ex Pontificiis, Lutheranis & Calvinianis convenerunt, profiteor & testor coram Deo & sanctis Angelis, me non posse alio loco habere, nec alio adfectu prosequi, quam civibus regni cœlestis & Christi membris, concorporibus & cohæredibus meis, debeo. Tales autem, quales ibi sunt descripti, sunt Pontificii & Calviniani, sicuti ex universo Tractatu allegato elucescit. Professores extraordinarii Regiomontani in literis ad D. Calixtum, & D. Hornejum Calend. Mart. An 1649 exaratis, profitentur, hosce in iisdem secum castris contra communes hostes & adversarios militare, in eâdem navi cum G. Cassandro, & M. Anton. de Dominis constitutos hoc agere, ut quicquid in omnibus partibus (Luth. Calvin. & Pontif.) rectum. & antiquæ catholicæ fidei, ac observationi consentaneum, unicè amplectantur. Iohan. Latermannus Declar. Apolog. pag. 105. Christianos Catholicos dicit qui utut in hac, vel illa parte vivere cogantur, nulli tamen ita addicti sint, ut alias penitus execrentur, & in suâ parte omnia approbent.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI II.

Hisce è Formulæ Concordiæ Præfatione concinnatis verbis quatuor distincta inculcantur (1) Protestantes neutiquam eos homines qui è quadam animi simplicitate errent, (2) multò minus *totas Ecclesias* heterodoxas quæ vel sub Romano Imperio nationis Germanicæ, vel alibi sunt, damnare. Ex adverso mentem & animum suum esse, (3) fanaticas opiniones, & (4) earundem PERVICACES Doctores & BLASPHEMOS DVNTAXAT, palam reprehendere & damnare, quod errores eorum expresso Dei verbo repugnent & quidem ita, ut cum eo conciliari nequeant. Videamus nunc, quid tanquam his oppositum iisque contradicens rejiciatur.

Reiicimus eos, qui docent, apud Pontificios & Calvinianos,

ETIAM Doctores, non obstantibus fœdis illis erroribus, quos contra doctrinam Evangelicam defendunt, fundamenta salutis, quatenus in articulis fidei ab intellectu apprehendendis sita sunt, integra superesse, eosdemque fore cives regni cœlestis, & esse Christi membra, veraque Ecclesiæ concorpores & cohæredes. Age Lector, confer sententiam D. Calixti quæ rejicitur, cum verbis Præfationis modo productis, & Calixtum ab ipsis illis haud dissentire, sed iis plane conformia docere, animadvertes. Dicit Præfatio, se nolle homines qui ex animi simplicitate errent, multo minus *totas Ecclesias* (Calvinianas, Pontificias, de talibus enim loquitur) damnare. Si *totæ* illæ Ecclesiæ quatenus ex publicâ doctrinâ sunt notæ, damnari non debent, si homines, qui in illis Ecclesiis è quadam animi simplicitate errant, damnari non merentur, *fundamenta salutis* oportet apud eas Ecclesias adhuc esse *integra*; siquidem nemo potest ab æternâ damnatione absolvi, nisi fundamentum salutis integrè retineat: Amicè igitur Præfatio Form. Concordiæ cum D. Calixti sententiâ consentit. Verùm, inquies, Præfatio tamen *fanaticas opiniones, & earundem pervicaces Doctores & blasphemos, quales sunt Pontificii, Calviniani, duntaxat reprehendit & damnat, quod errores eorum expresso Verbo Dei repugnent, & quidem ita, ut cum eo conciliari nequeant.* Calixtus autem *ETIAM Doctores* apud Pontificios & Calvinianos, *fundamenta salutis integra retinere, eosdemq; fore cives regni cœlestis, & esse Christi membra, veræq; Ecclesiæ concorpores & cohæredes*, contendit. Sed non pugnare cum Præfatione Calixtum, *etiam Doctoribus* tribuentem, quod illa de *totis Ecclesiis* prædicat & concedit, inde liquet, quod Doctores sunt primariæ Ecclesiarum suarum partes & antistites, quibus doctrinâ suâ publicâ præeunt. Si igitur *totæ* Ecclesiæ heterodoxæ non sunt damnandæ, *Etiam Doctores* earum promiscue omnes, non erunt damnandi. Adeoque potuit Calixtus rectè & ad mentem Præfatio-

fationis de *Doctoribus etiam* in mitionem partem descendere. Neque verò affirmat Præfatio, se *pervicaces Doctores & blasphemos*, QVALES SINT PONTIFICII, CALVINIANI, (ista nempè de suo addidit Auctor) *damnare*. Ecquis enim certò asseruerit, Doctores Pontificios & Calvinianos sine discrimine & ex æquo omnes, *pervicaces* esse? Præsertim quum pervicaciæ crimen intra penetralia cordis latens soli Deo notum sit, nos verò ex lege charitatis de plerisque minimùm Doctoribus heterodoxis, benè interim sperare oporteat. Quod ad cætera attinet, lubens fassus est D. Calixtus, errores Dd. Pontificiorum & Calvinianorum *cum Verbo Dei pugnare, nec cum eo conciliari posse*, & hoc nomine *reprehendendos esse*. Doctores autem ipsos errantes, sicut promiscuè omnes non damnavit, ita *pervicaces*, quos solum Deum in enumerato habere existimavit, damnationem certò certiùs incurrere, luce meridianâ clariùs perscripsit. Apponimus hanc in rem locum integrum, è Præfatione ad Ser^mum AVGVSTVM B. & L. D. Tractatui de Commun. sub utraque præmissâ. *Indignum*, ait, *se reddit favore Numinis, qui quod falsum esse novit, suffragio vel testimonio suo fulcit, quamvis de re agatur non magni momenti, & in quotidiano commercio positâ. Quanto magis igitur excidet Divinâ gratiâ, & damnationis reatum incurret, qui veritatem quam in sanctissimo religionis negotio perspectam habet, tenebris involvit ne appareat, aut sophismatibus opprimit ne emergat? Tantum autem & tam atrox crimen, quod inter penetralia pectoris clausum plerumq; delitescit, nos qui arcana cordium intueri non possumus, nemini temere impingamus.*

PVN-

PUNCTUM III.

PRofitemur & docemus, Symbolum Apostolicum & cætera Oecumenica Symbola esse breves quidem, maximeque pias, atque in verbo Dei solidè fundatas fidei Christianæ Confessiones quibus hæreses, quæ iis temporibus Ecclesias Christi perturbarunt, perspicuè & solidè in compendio refutantur: *minime vero in istis Symbolis, nedum in solo Symbolo Apostolico, omnes & singulos fidei articulos fundamentales, seu omnia, quæ homini Christiano ad salutem scitu & cognitu sunt necessaria, contineri, adeo ut nihil debeat haberi pro dogmate fidei fundamentali, quod in illo non contineatur, utque aliorum divinitus revelatorum omnium nec ignorantia, nec inficiatio per se exitiosa sit saluti, dummodo credantur ea, quæ in Symbolo isto Apostolico comprehenduntur, prout populari & simplici illo modo ac sensu in Symbolo expressa sunt*, quum multo PLURES sint Articuli FIDEI, neque tam paucis verbis satis significanter posint exprimi.

Vide solidæ Declarat. præfat. pag. 632. Teut. 259. f. b. Catech. mai. Luth. pag. 489. Teut. 202. f. b.

Rejicimus eos, qui docent, ea omnia, quæ cognitu & creditu sunt necessaria, necessitate tum medii, tum præcepti, contineri in Symbolo Apostolico, eosque, qui hæc contractius etiam exposita, sincerâ mente recipiunt & amplectuntur, pro Christianis, DEI filiis, & proinde fratribus & cohæredibus æternæ vitæ esse habendos.

Ita D. Georgius Calixtus Patre I. Responsi maledicis Theologorum Moguntinorum Vindiciis oppositi, §. 35. Symbolum Apostolicum continet summam totius doctrinæ Apostolicæ, cuivis adulto & rationis compoti ad salutem necessariæ. Item §. 42. QUI NIHIL ALIUD sciverint, vel intelligant, quam solum fidei capita, prout populari, & simplici illo modo, ac sensu in Symbolo sint expressa hæc ipsa iis SATIS ESSE ad salutem *§. 66.* Hisce ita expositis repetimus rerum ad fidem spectantium distinctionem, cujus etiam superius facta fuit mentio. Nempe alia antecedere, alia constituere, alia consequi. Quæ autem constituunt, hæc ipsa secundum se, & substantiam, ut sic dicam, suam, & quemadmodum declaratum est, cognitu & creditu sunt necessaria, necessitate tum medii, tum præcepti; & continentur Symbolo Apostolico. Gemina his in append. der Widerlegung A. 3. leguntur; Credenda comprehenduntur Symbolo Apostolico, simplicissimè quidem, & prout cuivis homini adulto ad salutem sufficiunt. Et in desiderio &

studio Concordiæ Ecclesiasticæ idem ille §. 5. ita scribit: Quæ (incommoda scil. præcedentia) valido argumento elidentur: si non obstante sententiarum aliquarum diversitate alter alterum Lutheranus Papistam s. Calvinianum) habeat Christianum, DEI filium, & proinde fratrem ac cohæredem æternæ vitæ. Nec aliter idem Calixtus in Consideratione, seu Epicrisi, ad Colloquium Thoruniense §. 20. Ad credenda, quæ ad intellectum pertinent, plus non requiri, quam ut Articuli fidei, ita nude, quemadmodum in Symbolo Apostolico proponuntur, credantur. Adde Drejer Erörterung pag. 644. Laterman im ersten Theil gründlichen Berichts vom Fundament der Seeligkeit/ cap. 11.

EXAMEN ET DISCVSSIO.

PVNCTI III.

QUæ puncto III è solidæ Declarationis &c. Præfatione & Catechismo Majore Lutheri citantur, quantopere sint interpolata, & prolixâ sermocinationis additione corrupta, è characterum diversitate, quâ genuina verba à spurijs distinctum ivimus, Lectori judicium facere est in proclivi. Quæ igitur rejiciuntur, neutiquam cum citatis scriptis, sed cum insertis à D. Calovio figmentis pugnant. Calixtum enim eorum quidquam quod Declarationis Præfatio Apostolico & cæteris Oecumenicis symbolis tribuit, ijs derogare, & sic Præfationi illi contradicere, tantum abest, ut etiam reliqua quæ *minimè in istis symbolis contineri*, non dictæ Præfationis, sed suis verbis persuasum it D. Calovius, lubens illis tribuat. Neque etiam B. Lutherus in Catechismo loco citato, quo de *duodecim Articulis* agit, intelligit articulos fidei propriè strictéque dictos & ad salutem simpliciter necessarios, sed quasvis disciplinæ Theologicæ *particulas quas tradit scriptura, & quæ ad fidem referendæ sunt*. Particulas verò eas sive articulos illos, *multo plures esse* quam ut symbolum Apostolicum *sigillatim eos comprehendat* nemo sanus negaverit. *Nam in ipsis præcipuis*

cipuis fidei articulis quædam sunt quæsita necessaria ac principalia, quædam minus, ait rectè Andr. Keslerus Respons. ad bellum Ubiquitisticum Föreri lib. 11. sect. 11, cap. 1. pag. 573. Vt tamen non quævis Christianæ religionis particulas, sed fundamentales *Articulos fidei*, hoc ipso loco intelligi persuadeat D. Calovius, *Articulos* simpliciter & sine appositione in Catechismo positos, addita particulâ *Fidei*, à latiore significatione ad arctiorem restringit. Quorsum verò tales additiones, nisi ut incautis fumus vendatur? D. Calixtus igitur quando *omnia quæ cognitu & creditu sunt necessaria, necessitate tùm medij tùm præcepti, in symbolo Apostolico contineri* docet, nulli libro symbolico, in quibus videlicet hujus positionis contradictoriam frustra quæsiveris, sed Calovianæ cuidam assertioni contradicit. Propositionem autem D. Calixti quam modo diximus, non disjunctivè sed conjunctivè, ne quis forte cavilletur, accipiendam monemus. Ita nempe, ut illa quæ symbolis continentur, necessaria habeantur *necessitate tùm medii tùm præcepti SIMUL*; minimè verò quod alia sint necessaria necessitate medij tantùm, alia tantùm necessitate præcepti. Quidquid nempe necessarium est ad salutem necessitate medij, necessariū quoque est necessitate præcepti; ast non vice versâ, quidquid necessarium est necessitate præcepti, necessarium quoque est necessitate medij. Neutiquam igitur etiam ea quæ sunt necessaria necessitate præcepti tantùm, symbolo inclusit B. Parens meus, optimè quippe intelligens, talia non tàm in credendis quàm agendis consistere, & hinc neque symbolo contineri, neque in pari necessitatis gradu collocanda esse cum ijs, quæ necessitate & medij & præcepti sunt necessaria. Luculentissimè rem exposuit Responsi Moguntinis redditi parte 1 Thesi LXV, eam quam Adversarius ipse citat proximè antecedente. *Hactenus*, inquit, *quod necessarium est necessitate medii, id ipsum etiam necessarium est necessitate præcepti. Idem quoque positivè*

concurrit & ſimpliciter eſt neceſſarium, adeò ut ſi deſit, quacunque tandem occaſione vel causâ defuerit, ſalute excludat; nec locum inveniat excuſatio ab ignorantiâ moraliter inſuperabili vel undecunque petatur. Quæ verò neceſſaria ſunt ſolâ neceſſitate præcepti, tanto rigore non conſtringuntur, quin ſi per ignorantiam inculpabilem, vel virium aut objecti, aut adminiculorum operi neceſſariorum abſentiam & defectum omittantur, veniam inveniant. Et huc refert *uſum ſacramentorum* quod adultos attinet. *Nec multum abſimilem* dicit *rationem obſervationis mandatorum Divinorum moralium*, quod omne Lector ipſe pluribus ibi expoſitum inveniet.

Cæterùm ne quid prætereamus, ſymbolis antiquis, non quidem liber aliquis Symbolicus, ſed D. Calovius, propria ſua pro verbis Præfationis venditare non erubeſcens, inter alia hoc derogat, quod dogmata ad ſalutem creditu neceſſaria ita plenè contineant, *ut aliorum Divinitus revelatorum omnium nec ignorantia nec inficiatio, per ſe exitioſa ſit ſaluti, dummodo credantur ea, quæ in ſymbolo iſto Apoſtolico comprehenduntur.* Inficiationem *aliorum* præter ea quæ in ſymbolo Apoſtolico continentur, *Divinitùs revelatorum*, quantum attinet, duo potiſſimùm circa illam notari merentur: primò *per ſe ſaluti exitioſam non eſſe*, ſi ab invincibili proficiſcatur ignorantiâ, & ille qui inficiatur, ob ſolum rectioris intellectus defectum, exclusâ animi improbitate, malitiâ & pertinaciâ, inficietur, veritatique, quod eam non penetret, nec melioris ſententiæ ſit capax, contradicat. Deinde quoque obſervandum, poſſe aliquem *alia* aliqua negare aut ponere quæ nullo quidem ſymbolo ſunt expreſſa, quibus tamen vel negatis vel poſitis, aliquis ſymboli articulus per facilem pronamque conſequentiam evertitur. Hujusmodi alicujus opinionis auctor, ſi ex hypotheſibus ſuis talia neceſſariò conſequi nec videat nec intelligat, accuſandus non fuerit, quod ipſe articulum ſymboli, cui firmiter adhæret & aſſentitur, everſum eat. Sic Flacio imputandum

dum non est, quod existimaverit, peccatum originis vel nullum esse, vel si sit, aut Deum peccati esse causam, aut aliud rerũ præter Deum independens dari principium; quum tamen alterutrum ex ejus hypothesibus sponte effluat. Si verò talis rectiùs informatus pertinaciam opponat, & opinionem quam tuetur & probat, citra existimationis suæ detrimentum missam se facere haud posse opinatur, adeoque illam Divinæ gloriæ ac veritati monstratæ anteponat, in hæreticum sine dubio tandem abit. Præclarè hanc rem iterum exposuit B. Parens meus, Responsi Moguntinis oppositi Num. LXXIX, qui locus, quum non tantum huic rei illustrandæ multum conferat, sed Puncto quoque sequenti lumen accendat, ab Auctore Consensus autem callidè, ut sensus Numeri præcedentis ab ipso allegati obscuretur, omissus sit, operæ precium facturi videmur, si eum hic legendum exhibeamus. *Huic*, inquit, *proximum est, si quis non quidem articulum, quendam fidei disertè neget, ea tamen neget aut ponat, è quibus per pronam & certam consequentiam articulus evertatur. Sit in exemplum, si quis, quòd non legatur in scripturâ Christus risisse, neget* Christum esse risibilem: *existimans fortè risibilitatem necessariò & per se non consequi humanam naturam, ut hac posita eam quoque necessum sit poni, aut, divinâ potentiâ ab humanitate Christi fuisse remotam. In promtu quidem est argumentari;* Omnis verus homo est risibilis. Christus non est risibilis. Ergo non est verus homo. *Argumentum est validum, & consequentia firma. Noster autem, qualem ponimus, articulo* quòd Christus sit verus homo, *firmiter adhæret & adsentitur. Interim non animadvertit aut intelligit opinionem suam simul cum articulo non consistere, seu alterum ab altero everti.* Id enim si *videret & intelligeret, utrumque simul non amplecteretur, sed aut errorem suum missum faceret, aut ex affectu erga suam opinionem, quod nonnullis contingit, articulum fundamentalem ei postponeret & expresse negaret, atque ita verus hæreticus evaderet.*

ret. Quamdiu autem fundamentum retinet & firmo assensu amplectitur, æternam damnationem homini intentare nolim. Malim mansuete errorem ob oculos statuere; monere, docere, à novitate deterrere. Pono enim hominem solo errore intellectus abripi: à malitiâ, ambitione, pertinaciâ, immunem esse; neque, si convictus fuerit, modo vim argumentorum adsequi possit, contrà quam demonstrari & evinci intellexerit, sive reclamante conscientiâ suâ, quidquam adserturum & defensurum. Lubens tamen fateor, quam diu errore tali laborat, ad officium docendi in Ecclesiâ admitti non posse. Quamvis enim articulum secundum substantiam & quatenus cuivis ad salutem creditu est necessarius, teneat; in eo tamen explicando (explicare autem Doctoris est officium) aberrat.

PUNCTUM IV.

Form. Conc. p. 632. & seq. Teut. p. 256. f. b.

P*Rofitemur & docemus*, in Symbolis Catholicis & generalibus hæreses *quidem*, quæ olim Ecclesias Christi perturbarunt refutatas esse, *nostris tamen temporibus propter subinde exortas hæreses, aliis insuper opus esse Symbolis; qualia sunt libelli Ecclesiarum nostrarum Symbolici, quibus illa* ab Romanensibus, aliisque *deinde enatis*, rejectis & damnatis hæresibus sejungantur.

Rejicimus eos, qui docent, hæreticos non esse, nisi qui Symboli Apostolici articulum quendam positivè, expressè ac directè negant, & tanquam falsum rejiciunt; ac salvis modò Symbolis antiquis, ceu fundamentis, diversitatem opinionum, utpote circa quæstiones solum juxta enatas, & minus sive necessarias, sive periculosas, ferendam esse.

Ita docet Calixtus Responso Moguntinis dato §. 78. Observandum autem fuerit, eos qui Christiani audire cupiunt & articulum quendam fidei nihilo minus expresse, ac directè negant, hæreticos esse, & quidem propriè & in rigore hæreticos: si ob defectum institutionis simpliciter nesciant, haberi poterunt tanquam Catechumeni & imperfecti Christiani: sed si propositum, & eatenus non incognitum positivè negent, id est, tanquã falsum rejiciant, hæretici fuerint. Quamvis enim judiciũ de hominis Christum professi damnatio-

natione nemo sibi temere arrogare debeat, VIDETVR tamen de eo, qui articulum fidei illo, quò diximus, pacto negaverit, in sequiorem partem sine temeritate pronunciari posse. Epitome Theol. Moral. pag. 462. Video equidem sperari non magis posse, ut vestra pars Augustanam Confessionem recipiat, quam ut nostra Tridentinum Concilium admittat. Illius igitur articulos porrò considerare, & cum hujus decretis, aut vestrorum sententiis conferre supersedebo. Compendium oportet facere, & fieri oportere, semper ego existimavi cum verborum, tum litis. Ad caput totius negotii & arcem causæ accedentes dicimus cum M. Basilio; Nos nec ab aliis præscriptam nobis recentiorem fidem acceptamus, nec ipsi aliis mentis nostræ fœtus obtrudere audemus, ne humana Commenta existimentur esse verba religionis, sed quæ à S. Patribus edocti sumus, ea interrogantibus nos annunciamus. Recensitis Symbolis addit Calixtus: Fundamentis salvis, diversitatem ut opinionum circa quæstiones juxta enatas, & minus sive necessarias, sive periculosas, ita quoque rituum & ceremoniarum ferre possumus. Vnde etiam est, quod censeat Calixtus; Solvi posse juramentis non minus eos, qui Augustanæ Confessioni, quam qui Concilii Tridentini decretis adstricti sunt, & affectum erga suam sectam deponere pag. 206. 207. quandoquidem quæstio de articulo fidei proprie ita dicto directè inter ipsos non moveatur, ut in Epicrisi ad colloquium Thoruniense §. 5. scribit. Drejerus Erörterung pag. 765. Doch ist nach der Eltesten Kirchenlehrer Meinung derselbe ein Ketzer/ der den Catholischen Verstand des Symboli, oder der Glaubens-Articul/ die allen zu wissen nöhtig sind/ leugnet. Auff die Art muß directè vom dem einfältigem allgemeinem Verstande des Symboli etwas geleugnet werden/ nicht per consequentiam. Die blosse contraria opinio des Symboli ist eine Ketzerey materialiter.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PVNCTI IV.

SEnsus Formulæ Concordiæ quem inserta verba aliquanto obscuriorem reddiderunt, consultis ipsis fontibus hic esse videtur, *Tria illa catholica & generalia summæ auctoritatis symbo-*

Symbola ... omnes hæreses quæ iis temporibus Ecclesias Christi perturbarunt perspicuè & solidè refutasse; hodie tamen Augustanâ Confessione (ejus enim tantùm, non, *aliorum Ecclesiarum nostrarum librorum symbolicorum* ibi fit mentio, nec Formula, sed D. Calovius *iis insuper opus esse* dicit) ceu *nostri temporis Symbolo Reformatas nostras Ecclesias à Romanensibus aliisq; rejectis & damnatis sectis & hæresibus sejungi*. Ex hisce verò nunc porro elicere & conficere conatur Auctor, hæreticos esse *etiam* alios quam qui articulum aliquem Symboli Apostolici *positivè, expressè ac directè negent*, Pontificios videlicet & Calvinianos. Atque hoc jam ita constituto, allegat B. Parentis verba Responsi Moguntinis oppositi Th. LXXVIII, quibus contrarium planè affirmetur. Sed hic primùm observo, quod verba Formulæ concordiæ sicut jacent sumta, *Romanenses à sectis & hæresibus*, quas iis adjungit omninò secernere videantur. Etenim distinctè ibi fit mentio *Romanensium aliarum QVE rejectarum & damnatarum sectarum & hæresium*, quales sunt, Antitrinitariorum & Anabaptistarum, quas ipsas, peculiariter oppositis iisdem articulis Augustana Confessio rejecit. Largiamur tamen & concedamus non tantùm has sectas, sed Romanenses quoque sub *hæresibus* modo dictis Formulam comprehendisse, nondum tamen Formulæ vel sic contradixerit D. Calixtus, nec ideò statim dabuntur hæreses (propriè & strictè quidem dictæ) aliæ, quàm quæ dogmatibus in veteribus Symbolis contentis, sint opposita. Notum videlicet est *hæreseos* vocem sæpe non in rigore, sed aliquanto latius, pro quovis graviore cum verbo Dei pugnante errore capi. In quâ latitudine hæreseos vocem acceptam, & Romanensium & Calvinianorum erroneis dogmatibus accommodari posse, atque ita multò plures hodie hæreses quam quæ catholicis priscæ Ecclesiæ Symbolis directè adversentur, dari reijciendasq; esse, D. Calixtus nunquam abnuit. Fidem facient huic assertioni verba ipsi-

us Parte I. Responsi Moguntinis redditi Th. LXXXVI. *His nunc addimus, quo vicinior est error eversioni fundamenti, sive quo pronius promtiusque & per pauciores & evidentiores consequentias à posito errore ad evertendum fundamentum iri potest, eò quoque periculosiorem illum esse & magis vitandum. Quanquam itaque qui ejusmodi errorem per meram ignorantiam & sine malitia erraverit, propter eum gehennæ non fuerit adjudicandus; non tamen poterit admitti ad munus docendi in Ecclesia, certè ut errorem suum disseminet aut doceat concedi ei non debet, nempe propter periculum, quod diximus, ab admisso illo errore ad evertendum fundamentum, quo via ducit, & quidem prona, pergendi. Quamvis enim ipse, de quo agitur eò non progrediatur; viam tamen munit, quâ ne progrediantur alij, meritò metuitur. Hujusmodi igitur errores itidem hæreses appellantur, etiamsi ALIO MODO hæreses sint, quam quæ articulum quendam fundamentalem directa contradictione sive negatione immediatè evertunt. Opponuntur enim articulo neque secundum mentem & intentionem hominis, neque per immediatam formalem contradictionem; sed mediante consequentia, quam tamen ille, ut hic sese habere ponimus, non capit aut admittit.* Quod autem in eodem modo citato Responso numero præced. LXXIIX. docuit, *Eos qui Christiani audire cupiunt & articulum quendam fidei nihilominus EXPRESSE & DIRECTE negant, hæreticos esse, & quidem propriè & in vigore hæreticos*, in eo iterum nihil docuit alieni à sententiâ aliorum Protestantium Doctorum, è quibus unum nunc quidem citasse sufficiat. Leonhardus Hutterus Irenici contra Pareum cap. XIII. *Statuimus ipsi non quemvis statim errorem facere hæreticum, & fundamentum fidei evertere: sed eum tantùm qui DIRECTE in articum aliquem fidei impingit, & pertinaciter defenditur. Directè autem dicitur error impingere in fundamentum fidei: (1) quando non in circumstantiam saltem aliquã sed in ipsam substantiam articuli fidei: (2) quando non reductivè per consequentias, sed πρώτως immediatè, & verbis & sensu in articulum fidei & salutis im-*

tis impingit. Exempli gratia. Error in fundamento est, quando Valentinus Gentilis, qui Bernæ supplicio affectus, contendit: Tres esse Spiritus æternos ESSENTIALI NVMERO *differentes. quia Scriptura disertè protestatur, Vnum esse numero & essentia Deum. Ergò error iste directè impingit in articulum fidei de unitate essentiæ Divinæ. Sic error in fundamento est, quando Arius docet, Christum non esse verum Deum Patri* ὁμοούσιον, *& directè negativa hæc impingit in Scripturam, æternam Divinitatem filij asserentem.*

ARTICVLVS PROOEMIALIS POSTERIOR

in quo agitur

De SS. Scriptura.

PVNCTVM I.

Formul. Concord. p. 632. & in Appendice pag. 881. Teuton. 556. & in App. p. 45.

P*Rofitemur & docemus*, quod scripta Prophetica & Apostolica Veteris & Novi testamenti, tanquam scripta Testium veritatis cælestis maximè ἀξιοπίστων, ut limpidissimi purissimique Israelis fontes, nec non ut unica & certissima credendorum Regula recipi debeat, *nec opus habeant aliquo testimonio certiore Patrum, ut Dei verbum esse cognoscantur.* Alioquin enim non forent unica & certissima credendorum Regula.

Reijcimus eos, qui docent, testimonium Ecclesiæ necessarium esse ad cognoscendum DEI verbum, ita ut sine illo per alia κριτήρια cognosci nequeat. Autoritatem S. literarum aliunde non constare, nisi è testificatione Ecclesiæ: Et qui inficiantur, è scripturis ipsis haberi posse autoritatem S. literarum divinam, librosque, quos habemus, sinceros, ac incorruptos esse; imò negant credendum esse Scripturæ S. de sui ipsius autoritate ac sinceritate testificanti, & requirunt ad eam credendam aliud Dei verbum, vel Ecclesiæ testimonium.

Ita Drejerus in der gründlichen Erörterung/ pag. 2. diese Indicia und Signa, Kenn- und Merckzeichen alle mit einander können jhren effect nicht erreichen/ es sey denn/ daß das Zeugniß der alten Kirchen/ die die

Bücher

Bücher von den Aposteln selbst empfangen/ vorher gehe/ oder darzu komme. Et pag. 3. Das Zeugnis der Kirchen ist eine nothwendige præsupposita conditio, ohne welche man das Innerliche Zeugnis deß Geistes Gottes im Hertzen nicht haben kan. Item pag. 5. Daß diese Episteln Pauli an die Römer/ Galater/ Epheser/ Göttliche Schrifften seyn/ die Episteln Pauli an Senecam keine Göttliche Schrifften seyn/ das ist nirgends geschrieben/ und wann es schon da stünde/ so wäre doch die Frage/ ob auch dasselbige Buch das rechte wäre/ das solches saget. Et pag. 6. Es hilfft auch nicht/ daß man sagen wolte/ der heilige Geist zeuget solches in den Hertzen der Gläubigen/ Aber durch die Schrifft/ wann sie dieselbige lesen und betrachten; Denn darinn stehet dieses Wort nicht/ das ist eine unverfälschte Göttliche Schrifft/ und wenn es schon darstünde/ so würde noch ein ander Wort/ und Zeugnis erfordert/ das auch von diesem Wort zeugete. De corruptelis, quæ in fontes irrepserint, videatur Calixtus Harmon. Evangelist. pag. 20. & 499.

EXAMEN ET DISCUSSIO

PUNCTI I.

QUæ hic D. Calovius de auctoritate S. Scripturæ contra D. Dreierum affert, possumus intacta præterire. Non enim nostra defensione opus habet Dreierus. Ut tamen intelligat Lector doctrinam illam quam Calovius sub ficto schemate Consensus Ecclesiæ Lutheranæ, hic pro suo lubitu reiicit, orthodoxam esse, & quod omnino auctoritas *sacrarum literarum* (de his enim, non de *verbo Dei* qualitercunque proposito, quia potest doctrina aliqua esse verbum Dei, quamvis ipse liber quo ea continetur, non sit θεόπνευστος, ut patet de Symbolo Nicæno, Augustanâ Conf. homiliis Patrum, libellis precum &c. quæstio est) ex Ecclesiæ testimonio innotescat, tanquam argumento unicè in hoc negotio firmo atque idoneo, adscribemus hic suffragia quædam præstantissimorum Ecclesiæ nostræ Doctorum. D. Leonhartus Hutterus, primarius quondam Theologiæ Professor in Acad. Witteber-

teberg in Locis Communibus, omnib⁹ ferè paginis quibus de S. Scripturâ agit, auctoritatem canonicam Scripturæ, tum Synagogæ sive Judæorum, tum Ecclesiæ sive Christianorum testimonio probat. E multis pauca in gratiam Lectoris adscribemus. Propositione IV Orthodoxa, ad quandam objectionem Jesuiticam respondens *Patrum Ecclesiasticorum* inquit in notificando Scripturarum V. T. canone *testimonium ultro admittimus, sed non quorumvis --- verum eorum tantùm quos constat Apostolorum ætati fuisse quàm maximè vicinos. Deinde quoad Judæos, ratio Iesuitica plane non militat. Neq; enim ex eorum abjectione, sed potius ex singulari illo Dei amore, quo populum istum prosecutus est, certitudo canonis V. T. dependet. Quâ de re David Psalmo 147, 10 & 20.* Qui annunciat verbum suum Iacob: Iustitias & judicia sua Israel: Non fecit taliter ulli nationi: & judicia sua non manifestavit eis. *Sic quoad Judæorum abjectionem, ea usq; adeò non Canonem suspectum nobis reddere potest, ut eum potius mirifice confirmet &c.* Ista mox excipit Propositio V. orthodoxa, & ita habet. *Libri apocryphi V. T. sunt, tùm, qui ne quidem in Iudaicâ Ecclesiâ pro authenticis fuerunt habiti: tum quibus deest Christi & Apostolorum testimonium: tum denique qui primitivæ Ecclesiæ catholico consensu, ad canonicorum librorum definitionem requisito destituuntur.* Legantur etiam quæ ibidem ad Propositionem primam Iesuiticam respondet B. Hutterus. Huttero succedat alius Theologus Wittebergensis D. Iacobus Martini: Is *Antiquitatem & historiam Ecclesiasticam, in hac quæstione,* nempe de Canonica auctoritate S. Scripturæ dicit *omninò consulendam esse. Cùm enim pertineat ad fidem historicam, ac à priori directè, ac apodicticè probari non possit, necesse est ut ex historiâ Ecclesiasticâ demonstremus, semper à primis Prophetarum & Apostolorum temporibus, nullos alios in Canone fuisse libros, & pro canonicis habitos: & qui primis temporibus in Canone non fuerunt, posterioribus temporibus in illum referri nequaquam potuisse: atq; ita veros*

Synopsi Photinianismi Cap. I. §. 24 p. 9.

veros libros Canonicos à primis usque temporibus quasi per manus nobis traditos fuisse. Non etiam tantum nitimur in hac disputatione autoritate Hieronymi (licet illa maxima sit & nondum falsitatis ab ullo convicta) sed totius antiquitatis, etiam Hebraeorum, ut ex disputationibus nostris contra Pontificios intelligere est. Suffragium his suum addat tertius recentior, satis fervidus Parentis mei hostis, D. Ioh. Georgius Dorscheus, qui Theologiæ Zacharianæ Parte II Disput. II, loco I Quæst. II. §. 52. *Ecclesia antiqua,* inquit, *& scriptorum sacrorum temporibus proxima, vel saltem non longe remota, circa divina volumina POTISSIMA MOMENTA cognoscendae Divinae autoritatis & Canonicae dignitatis sacrarum literarum confert. Hinc ubi ad humana & extra sacras literas posita testimonia descenditur, apud scriptores Ecclesiasticos in frontispicium semper ponitur primitivae Ecclesiae testimonium, & illarum suffragium Ecclesiarum, quae immediatè ab Apostolis sunt conditae, aut à viris Apostolica autoritate Ecclesiae praepositis, qui vel autographa Apostolorum viderunt, quae conservarunt dudum magnâ diligentiâ, vel ipsis Apostolis à manu fuerunt, vel Apostolorum de libris divinis testimonia audiverunt, vel assederunt scribentibus Apostolis, vel literas ab Apostolis conscriptas certis Ecclesiis detulerunt, vel signacula & Symbola Apostolorum agnoverunt &c. Sic & in Iudaica Ecclesia, ad antiquissimam Ecclesiam semper respectus habitus est, & quos ante captivitatem Babylonicam & paulò post à divinis viris accepit libros, ut divinos, eos solos retinuit.* Et rursus numero 55. *In Ecclesia Christiana judicium de Scripturae autoritate, & Canonica excellentia juxta VETERIS ECCLESIAE INPRIMIS CENSURAM formatum fuisse patet ex ipsis Ecclesiae scriptoribus.* Audiamus etiam D. Iohannem Musæum, qui animi sui hac de re sententiam satis perspicue scripto exposuit, & re ita exigente, voce uberius exponere valet. *Constat, quod Scripturae Canonicae propria autoritas aliunde nobis non innotescat, quàm ex Ecclesiae primitivae testimonio. Nam ut superius dictum; Scriptura*

Disp. Theol. I I. de Prin. Theol. §. 41. Addatur his §. seq. 42.

ptura S. habet hanc suam autoritatem à solo Deo, & quidem ex hoc, quòd Θεόπνευστ☉. & ex divina inspiratione conscripta est. Sed quinam libri à suis autoribus ex Divina inspiratione conscripti sint, nec ullis investigari argumentis, nec certò testari quisquam potest, præter Ecclesiam, non quidem quamlibet, sed illam duntaxat, quæ fuit temporum eorum, quibus Canonici Scriptores in carne vixerunt; quippe quæ sola quinam θεόπνευστοι fuerint Scriptores, exactè dignoscere, & quos ab ipsis libros genuinos acceperit, docere quàm rectissimè potuit. Hæc ita apertè illi, è quibus D. Calovius quoque rectè poterit informari.

Immiscet autem Calovius *Professioni* suæ hæc quoque verba; *Reÿcimus eos, qui inficiantur, libros quos habemus, sinceros & incorruptos esse*. Et post citata D. Dreieri verba vernacula hæc submittit. *De corruptelis quæ in fontes irrepserunt, videatur Calixtus Harmonia Evangelistarum pag. 20. & 499.* His licet oppido paucis verbis traducit B. Parentem meum, quasi ille integritatem fontium S. Scripturæ non satis retinuerit. Vt igitur manifesta fiat calumnia, producam hic verba Parentis, quibus suam de integritate fontium S. Scripturæ sententiam novissimè proposuit. Disputatione de Autoritate S. Scripturæ Parte II, Num. CVII. *Ipsa rerum indoles non permittit*, ait ibi, *ut fontibus aut textui originario æquetur aliqua translatio: ut autem præferatur prorsus est absurdum; nisi fortè ostendi possit, rarissima fuisse vel esse primi textus exempla, nec alia quam per insignem librariorum sive injuriam sive fraudem corrupta: integrum verò & sincerum unum fortè incidisse in manus egregiÿ fidique interpretis, eoque itidem suppresso aut amisso superesse ab hoc profectam versionem. Si detur casus, quem vix in illo infimæ classis auctore datum iri puto, concessero versionem ibi præferendam fonti. De Sacris autem Scripturæ libris simile quid affirmari, pugnaverit cum providentia Divina, quæ quemadmodum, ne ad capessendam viam salutis certi & authentici indices sive duces deessent, hos*

ipsos humano generi voluit impertire, ita quoque eadem fini conservare: pugnaverit cum singulari & propè incredibili diligentia Iudaeorum, quod V. Testamentum attinet, de quâ aliquid dictum, Num. XVII. Quin ipse Bellarminus validis quinq; argumentis pugnat contra eos, qui contendunt Iudæos in odium Christianæ fidei studiosè depravasse & corrupisse multa loca Scripturarum. *Quæ verò ad corruptelas adstruendas proferuntur, dissolvit clarissimus Collega D. Hornejus Tractatu de Scripturis, Disp. VII. Quæst. IV. De libris Novi corruptis, nisi fortè quod alicubi hallucinatione exscribentium (quos nemo, sive fontes sive versiones describant ἀναμαρτήτους constituit) peccatum fuerit, nulla est suspicio vel querela.* His equidem integritatem fontium sic satis assertam arbitror. Verba autem Harmoniæ Evangelicæ à Calovio indicata, cum hisce licet minimè pugnent, istâ tamen citatione & nuda loci indicatione Lectori incauto nescio quid sinistri persuadere laborat. Loci enim indicium saltem facit, verba integra producere non audet. Ego verò illa hic appono. *Emtio à Matthæo* (verba sunt Concordiæ citatæ) *facta esse dicitur, secundum vaticinium Prophetæ IEREMIAE, quum verba allegata apud ZACHARIAM legantur. Volunt nonnulli quorum princeps est Augustinus libro tertio de consensu Evangelistarum cap. VII, data opera unum nomen pro altero poni, ut commonefiamus omnes Prophetas unius ejusdemque Spiritus ductu locutos, atque eam ob rem perinde esse ex quo testimonia citentur, quod quæcunque per eos Spiritus sanctus dixit, singula sint omnium & omnia singulorum. Hieronymus testatur se legisse librum Ieremiæ quendam apocryphum, à Iudæo Nazarenæ sectæ sibi oblatum, in quo hæc ad verbum legerentur. Magis verosimile est Ieremiæ nomen à quodam margini adscriptum in textum olim irrepsisse, quum non habeat illud Paraphrasis Syriaca, & Matthæo solenne sit Prophetam simpliciter sine addito nomine allegare, ut videre est cap. I, v. 22. II, 5. & 15. XIII, 35. XXVII, 35: imo testatur Augustinus sua ætate repertos codices in quibus*

Lib. 2. de Verbo Dei cap. 2.

quibus ita haberetur. Iudicet nunc Lector qui candorem habet,& statum controversiæ inter nos & Pontificios de integritate fontium intelligit, an hisce verbis Scripturarum integritas qualem nostri Doctores contra Pontificios asserunt sit labefactata? Si nihilo tamen minus labefactatam instet D. Calovius, Socerum suum D. Iohannem Hulsemannum æquè eam labefactasse diffiteri haud poterit, siquidem Disputatione De V. & N.T. naturâ ipso Præside adeoque comprobante Lipsiæ anno 1647, Respondente M. Enoch Hanmann, habitâ Capite IX, Num. IV, ita scribitur: *Quando Evangelistæ unum Prophetam pro altero allegant, vel Prophetarum sententias in alienum citant censum: Non blaterandum cum Porphyrio,* coactius id factum esse, *aut cum Erasmo,* Evangelistam verba Prophetar. *ad scopũ suũ* applicasse ignoranter. *Ad exempla descendere liceat, quando Matthæus c. XXVII, 9, verba quæ videntur desumta ex Zachariæ XI, 12. citat sub nomine Ieremiæ: non statim ignorantiæ aut oscitantiæ insimulandus est. Potuit enim fieri, quod vel à librario hoc insertum fuerit nomen, & ex margine (ubi scriptum abbreviatè Ζȣ i.e. Ζαχαρίȣ & lectum Ιȣ hoc est Ιερεμίȣ) irrepserit in contextum, quemadmodum id deducit Glassius Philol. S. L. I, tract. II, p. 221, 222, 223. Et in eam eunt sententiam Iansenius & Maldonatus ad cap. XXVII Matth. Suarez tomo II Disp. 39, in 3. Thom. Vel hoc oraculum primò à Ieremia dictum, ac memoria hominum conservatum, à Zacharia reassumptum & literis mandatum fuerit, ut Hugo Grotius in h. l. sentit: vel Evangelistæ Divinâ providentiâ unius Prophetæ nomen pro alio occurrisset, ad innuendum, uno eodemq; Spiritu Prophetico impulsos fuisse: sicuti hanc fovet sententiam Augustinus L. III, de Cons. Evangel. Cap. VII, text. IV, pag. 486. ex quo quædam desumpsit Glossa ordinaria. Vel hoc testimonium ex Ierem. XXXII & Zachariæ XI coaluerit, & unius tantum nomen posuerit Evangelista: ubi hanc opinionem Sanctius in Comment. Zachariæ Cap. XI. fusius demonstrat, ex quo Glassius suis inseruit L. I, Tract. 22. p. m.*

p. m. 224. seqq. ELIGE ERGO RESPONSIONEM QVAM VELIS, NON ERRABIS. Hæc Disputatio Hulsemanniana D. Calixto hîc plane ὁμόψηφος.

PVNCTVM II.

PRofitemur & docemus omnia scripta Prophetica & Apostolica dici divina, quia à Deo ceu fonte sunt, & divinitus tradita veritas: *nihilque in illis inveniri, quod Deum non habeat authorem, vel Deo inspirante, suggerente & dictante, non sit scriptum* testibus Paulo 1 Corinth. 11,13. 2. Timoth. III,16. & Petro, II. Petr. 1,20.21.

Epitome Form. Cōcord. in Præfat. §. I. pag. 570. Præfatio solidæ Declarat. p 632. §. 1. Teut. 229. 256.

Rejicimus eos qui docent, scripturam dici divinam, non quod singula, quæ in ea continentur, divinæ peculiari revelationi imputari oporteat, sed quod præcipua, sive quæ primariò & per se respicit ac intendit scriptura, nempe quæ redemptionem & salutem generis humani concernunt, non nisi divinæ illi peculiari revelationi debeantur.

Ita docet D. Georgius Calixtus parte I. Responsi maledicis Theologorum Moguntinorum Vindiciis oppositi, & editi Helmestadi cIↄ Iↄcxliv. Verba §. 72. sunt hæc: Neque enim Scriptura dicitur divina, quod singula, quæ in ea continentur, divinæ peculiari revelationi imputari oporteat, (verbi gratiâ, de duobus filiis Abrahami, de patre Davidis, quæ sunt exempla Thomæ, de serie & successione regum Ierosolymæ & Samariæ; quod Herodes fuerit Rex Iudææ, Pilatus præses, aut quod Timotheo scribit sanctus Paulus, Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum adfer quum venies:) sed quod præcipua, sive quæ primario & per se respicit ac intendit scriptura, nempe quæ redemtionem & salutem generis humani concernunt, non nisi divinæ illi peculiari revelationi debeantur: in cæteris verò, quæ aliunde sive per experientiam, sive per lumen naturæ nota, consignandis divinâ adsistentiâ & spiritu ita scriptores sint gubernati, ne quidquam scriberent, quod non esset ex re, vero, decoro, congruo. & § 74. iterum: Cæterum quæ in scriptura supra naturam sunt, & facultatem cognoscendi humanam excedunt, peculiari divinæ revelationi accepta ferimus, & quia Deus se hæc revelasse per suum ipsius spiritum testimonio divino, sed occul-

2. Tim. 4,13

occulto nos certos reddit, ideò credimus fide, qualem Deo dicenti & testificanti debemus: quæ fides secundum se est simpliciter apprehensiva, non discursiva. Reliqua, quæ in sensus incurrunt, aut aliunde nota fuerunt, Deus scriptoribus peculiariter non revelavit; gubernavit tamen eos per suam adsistentiam, ne quidquam scriberent à vero alienum.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI II.

Quæ hic objiciuntur, responsionem non merentur. Calovius enim præ calore legum contradictionis est oblitus: siquidem vix quisquam adeò cœcus esse potest qui non videat, ista quæ è Responso D. Calixti Moguntinis reddito citantur, cum iis quæ D. Calovius, *profitetur & docet* non pugnare, quamvis illa ipsa Caloviana cum allegatâ Præfatione tum Epitomes Formulæ Concordiæ, tum solidæ Declarationis, verbotenus non conveniant, nec posterior sermo ibi inveniatur. Certè, si Scriptores θεόπνευστοι in quibuscunque, etiam iis *quæ sive per experientiam, sive per lumen naturæ nota, consignandis, Divinâ adsistentiâ & Spiritu sunt gubernati*; ut parens disertè docet, utique quicquid consignarunt in Deum auctorem referendum erit, & omninò nihil Deo non adsistente, non gubernante, scripserunt. Non magis igitur B. Parens meus propter hanc rectissimam & libris Symbolicis minimè repugnantem doctrinam reijci debuisset, atque D. Iohannes Conradus Danhavverus Theologus Argentoratensis reijci à Calovio unquam poterit. Ejus hæc sunt verba doctrinæ parentis planè gemina. *Cæterum θεόπνευστος Scripturæ Sacræ, est à Spiritu Sancto, non solum aspirante cùm jussu externo, aperto, eoque vel generali, docete omnes gentes. — 2 Sub- vel - post - spirante per consequens testimonium — 3 inspirante per gratiam præsentissimam concomitantem; accurante ne vel in puncto er-*

Hodosoph. Phænom. I. p. 17. 19.

cto erraret scriptor; REVELANTE de novo res ratione humanâ superiores, MODERANTE consignationem eorum quæ vel visu vel auditu accepisset — Suggerente quæ exciderunt, cavente errorem, ne levioribus quidem exceptis, dictitante verba aptissima, sanctificante sibiq; appropriante. Probat quoque idem auctor ibidem atque commendat locum Bellarmini qui legitur libro II. de Concil. auctoritate cap. 12. & ita habet: *Dicuntur Scriptores Sacri habuisse immediatam revelationem, & scripsisse ipsa Dei verba, quia vel nova quædam, & antea incognita iis revelabantur à Deo, juxta illud Psal. 50.* Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. *Vel Deus immediate inspirabat, & movebat scriptores ad scribenda ea, quæ viderant, vel audierant & eos dirigebat, ne aliquo modo errarent. Vt enim dicitur vera Epistola Principis, quæ à Principe dictatur, etiamsi is, qui eam scripsit, antea sciebat quæ scripturus erat; ita dicitur & est immediatum Dei verbum, quod scriptum est ab Evangelistis, Deo inspirante & dirigente, licet scripserint ea quæ viderant & audierant.* Latius videlicet patet inspiratio, moderatio, directio Divina, quam revelatio, quæ propriè non nisi rerum humanæ rationi & sensibus incognitarum est. Dum hæc scribo, incido iterum in Disputationem paulo ante allegatam de Veteris & N. T. Naturâ, Lipsiæ Præside D. Johanne Hulsemanno Respondente M. Enoch Hanmanno habita, in quâ sectione IX §. ultimo hæc leguntur. *Salutationes & res privatas quod concernit, quas Apostoli subnectunt, non est existimandum spiritus sancti deliquium passos esse. Etsi enim hæc res non pertineant necessariò ad libros Divinos, placuit tamen Spiritui Sancto ista adiici Codici sacro: sed GVBERNAVIT tamen eorum mentes, ne indecorum aliquid, & majestati sacræ contrarium adderent. Non abs re etiam h. l. quæritur, an θεόπνευστοι in his conscribendis quæ oculis viderunt, & auribus perceperunt, novo opus habuerint afflatu Spiritus Sancti? Ad quæ responsio in promptu: Non quidem OPVS fuisse NO-*

ipse NOVA PROPOSITIONE & repræsentatione, sed tamen CONFIRMATIONE, & in scribendo GUBERNATIONE, ne aliquid adiiceretur quod detraheret sacris literis debitam sanctitatem. Hîc Præses D. Hulsemannus cum suo Respondendente, ipsa penè Parentis verba, à D. Calovio superius producta, atque ceu Formulæ Concordiæ contraria, rejecta, sublegerunt. Tàm hic placuit illis esse complices Calixti.

PUNCTUM III.

Vide præfat. Epit. concord. pag. 570. Teut. 229. Vide præfat. Concord. pag. I.

PRositemur, & docemus, scripta Doctorum veteris Ecclesiæ sacris literis nequaquam esse æquiparanda, *nihilque pro Prophetico & Apostolico esse habendum, nisi quod Prophetica & Apostolica scripta, cum Veteris, tum Novi Testamenti in se continent, nec præter ea, aliquid occurrere, quod scripturæ sacrosanctæ nomen mereatur*, secundum Esai. 8, 20. Luc. 16. 29. Ioh. 5. 39. Gal. 1. 8. 9. 2. Tim. 3. 16. 2. Pet. 1. 21. Apoc. 22, 18.

Rejicimus eos, qui docent, pro verbo Apostolico & scripturâ explicatâ habendum esse, quod Doctores veteris Ecclesiæ in scriptis, quæ adhuc superant, uno ore docent, & tanquam Apostolicum se accepisse tradunt, & præter scripturam, quam implicitam Traditionem dicunt, dari scripturam explicatam & resignatam, quæ sit Traditio Ecclesiastica.

Ita docet D. Georgius Calixtus, in Disputatione Theologicâ, de Autoritate antiquitatis Ecclesiasticæ habitâ Helmæstadi cIɔ Iɔ c xxxix. die 12. Ian. §. 20. quam Calixtus, tanquam suum scriptum allegavit in der gründlichen Wiederlegung parte 1. §. 39. 42. 48. Verba sunt hæc: Quapropter non debet ambigi quin ex scriptis Dd. veteris Ecclesiæ, quæ adhuc superant, consensus antiquitatis sufficienter erui queat; & pro Apostolico habendum sit, quod illi uno ore docent & tanquam Apostolicum se accepisse tradunt. Similiter D. Joannes Latermannus in notis ad Tractatum Georgij Cassandri, de officio pii viri, editis Regimonti cIɔ Iɔ c L. Verba sunt hæc: Scriptura igitur explicata & resignata traditio non ineptè dicitur, quia nimirum traditio explicat & resignat scripturam, dum verum ejus

ejus sensum manifestat: (quod certè nos nostrâ etiam traditione, h. e. doctrinâ vivâ voce traditâ facimus, quoties scripturam sive in cathedrâ Academicâ, sive in templo ad populum explicamus) Scriptura autem implicata traditio dici potest, quatenus traditionem, seu verum sensum, qui per testimonium & doctrinam Ecclesiæ manifestatur, in se continet. Nec aliter D. Christian Drejer, in gündlicher Erörterung / gedruckt zu Königsberg im Jahr CIƆ IƆ C LI. pag. 16. Ja diß Wort in der Kirchen ist das Wort der Schrifft mit mehr Worten erkläret / daß es die Ketzer so nicht verkehren können / es ist scriptura explicita, wie etliche reden / die außgelegte Schrifft / die scriptura aber ist traditio Apostolorum implicita, die Außlegung der Apostel in den Worten der Schrifft kurtz gefasset.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI III.

S*Cripta Dd. veteris Ecclesiæ Sacris literis nequaquam esse æquiparanda*, rectè docet Præfatio citata, & nos cum ipsâ. Quæ autem annectuntur, non sunt Formulæ Concordiæ verba sed Calovij voluntaria commenta. Quare quæ inde effluunt absvrda, non Formulæ Auctoribus imputanda erunt, sed in fontem unde promanarunt redundabunt. Assumo igitur D. Calovij propositionem & sic argumentor. *Nihil pro Prophetico & Apostolico est habendum nisi quod Prophetica & Apostolica Scriptura cùm V. tùm N. T. in se continet.* Subsumo nunc de ipso Symbolo Apostolico, de August. Confess. ejusdem Apologiâ, de Articulis Schmalcaldicis; utroque Catechismo Lutheri, de toto Formulæ Concordiæ volumine & quidquid ambitu suo complectitur, illud totum Propheticam & Apostolicam Scripturam cùm V. tùm N. T. in se non continere. Et iam concludo, omne quidquid eorum scriptorum est non esse Apostolicum Si dicat; allegata scripta Apostolica esse, quia V & N. T. Scriptura ea, quantumvis non secundum verba, tamen quo ad sensum & rem ipsam in se contineat, plane

planè nobiscum facit & immeritò nos reijcit. Etenim distinguendum est inter doctrinam quæ sit Apostolica quoad sensum tantùm, &, quæ sit Apostolica quoad sensum, verba, & modum tradendi simul. Quando B. Parens meus Apostolicum dixit esse quod *primitivæ Ecclesiæ Dd. uno ore docent, & tanquam Apostolicum se accepisse tradunt*, priore modo vocem *Apostolici* accepit, non posteriore. Nec opinor quenquam adeo iniquum fore, qui negare ausit, hoc sensu Apostolicum esse quod laudati illi Ecclesiæ Dd. unanimi voce & stilo tradiderunt. Secus enim si esset, nec Apostolica fuerit doctrina, quam vel Augustana Confessio vel Formula Concordiæ exhibet. Quod si itaque auctoritatem librorum Symbolicorum non omninò enervatam vult Calovius, unanimi antiquitatis consensui hunc quoque habeat honorem eique indulgeat, ut pro Apostolico sive doctrinâ Apostolica habeatur, quod è scriptis & collatis inter se sententiis veteris Ecclesiæ Doctorum eruitur, &, *quod illi uno ore docent, & tanquam Apostolicum se accepisse tradunt* Nunquam verò B. Parenti meo vel per somnium in mentem venit, nec nisi per grandem atque palpabilem calumniam imponi ei potest, quasi vel vocem *Apostolici*, posteriore sensu intellectam consensui Ecclesiæ Doctorum tribuerit, vel hunc ipsum *Scripturæ sacrosanctæ nomen mereri* ullibi scripserit.

PUN-

PVNCTVM IV.

P*Rofitemur, & docemus*, prophetica & Apostolica scripta, ut limpidissimos purissimosque Israelis fontes, *sola sufficere, ex quibus ea, quæ ad salutem hominibus cognitu sunt necessaria, sine ambiguitate, & similiter ab omnibus, audiri, percipi ac conservari possunt*; adeoque veram & salvificam fidem nullius neque veteris, neque recentioris Ecclesiæ Doctoris testimonio, sed solius & unius Dei verbo, in scriptis Prophetarum & Apostolorum, testium veritatis cœlestis max. ἀξιοπίστων, comprehenso, veluti fundamento immoto inniti oportere, Psal. cxix. 105. 2. Tim. I II. 15. 2. Petr. I. 19.

Vide præfat. Epitô. declarat. p. 632. nec non ib. p. 880 & 88. & Item l. 2. cap. 46. Teut. in Ap. p. 28.

Rejicimus eos, qui docent, propter varij erroris anfractus multum necesse esse, ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea, secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam, dirigatur, eam potissimum ob causam, quia, quæcunque ab omnibus veteribus Patriarchalibus Ecclesiis unanimi consensu traduntur & approbantur, illa non est, cur, tanquam Catholica, & ab ipsis Apostolis profecta, recipere dubitemus.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Disputatione Theologicâ de Autoritate antiquitatis Ecclesiasticæ, cujus paulò antè meminimus, § 7. inquiens: Facilè autem, opinor, ex dictis perspicere licet, quam verum sit, quod Vincentius noster suprà inculcabat, nempe propter tantos tam varij erroris anfractus multùm necesse esse, ut Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea, secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur. Et §. 10. Cumprimis autem sedes patriarchales hic à nobis considerari debent, & quidem omnes, quæ præter Romanam non olim tantum in Romano imperio fuerunt, sed hodie quoque singulari Dei beneficio, etsi sub jugum Turcicum redactæ, superant.

Sunt autem Constantinopolitana una cum tota Ecclesia Græca, Alexandrina, cui Æthiopica adhæret, Antiochena cum Syria, & Ierosolymitana. Et rursus §. 11. sequente: Quæcunque ergo ab omnibus illis Ecclesiis unanimi consensu traduntur & approbantur, illa non est, cur tanquam Catholica, & ab ipsis Apostolis profecta, recipere dubitemus. Eandem testimonii priscæ Ecclesiæ necessitatem

tatem jam olim propugnavit Calixtus, ex Vincentio Lerinensi, in Epitome Theologiæ moralis, edita Helmæstadi cIↄ Iↄ c xxxiv. pag. 256. Quod etsi perfectus sit scripturæ Canon, opus tamen sit, ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur autoritas, quia videlicet pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu ab universis accipitur. Idem legitur in der gründlichen Wiederlegung / gedruckt zu Lüneburg/ cIↄ Iↄ c xli. parte 1. §. 40. Nec aliter D. Christian Drejer in der gründlichen Erörterung/pag. 17. 18. & D. Iohannes Latermannus, in notis ad Tractatum Georg. Cassandri de officio pii viri, F.3. fol.1. Vterque verba Vincentii Lerinensis, quorum Calixtus & Horneius locis allegatis faciunt mentionem, adducunt simul ac approbant.

EXAMEN ET DISCVSSIO.
PVNCTI IV.

QUæ hic recitantur, è Formulæ Concordiæ Epitome, ejusdemque Appendicis Epilogo sunt consuta, interjectis etiam nonnullis Calovii verbis. Quo tamen non obstante nos rata illa habemus, neque negamus solam Scripturam sufficientem esse, & abundè ex eâ percipi posse quæ ad salutem sunt necessaria; attamen non videmus quomodo cum illis pugnent, quæ Vincentius Lerinensis & eum imitatus B. Parens meus, de Scripturæ interpretationis, secundum Ecclesiasticum & Catholicum sensum necessitate, tradiderunt. Primò enim D. Calixtus plus vice simplice disertè professus est, *perfectum esse Scripturarum Canonem sibiq; ad omnia satis superq; sufficientem*. Quæ verba in eadem quam flagellat Disputatione, characteribus etiam à reliquis diversis, ut luculentius Lectori apparerent expressa, quur dissimulaverit & omiserit Calovius, conscientiam suam interroget. Sed fortè conatur arguere pium Virum, quasi statuerit Scripturam non sufficiente claritate dogmata necessaria proponere, nec ex semet ipsâ eam satis intelligi posse, sed ad sensum ejus, tûm apprehendendum, tûm ab hæreticorum detorsionibus vindicandum,

dicandum, prorsus & simpliciter necessarium esse, ut *Propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea, secundum Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur.* Hac si occupatus est persuasione, fallitur & ipse, & fallit alios. Aperta quippe in promptu sunt loca, quibus Calixtus Scripturam ex semet ipsa rectissimè intelligi & exponi posse profitetur. Pàtrum verò consentientem illius interpretationem non quidem absolutè & simpliciter, sed ad *τὸ bene esse,* ut loquuntur, requisivit. Ipse Vincentius eandem *multum esse necesse* dicit, non autem simpliciter. In hunc sensum scripsit jam dudum David Chytræus, unus ex auctoribus Formulæ Concordiæ, Tractatu de lectione historiarum, qui Chronologiæ Herodoti & Thucydidis præmittitur. *Ut navis stat firmius nixa duabus ancoris, ita quum ad vocis divinæ testimonium consentiens veteris & purioris Ecclesiæ judicium accedit, non modò voluptate singulari mentes piæ afficiuntur, verum etiam fides nostra non parum confirmatur.* Verum iniquæ quibus piæ recordationis Parens meus oneratur imputationes, sententiæ ejus de perspicuitate Scripturæ, etiam quomodo semet ipsam sufficienter declaret, expositionem hic exigere videntur. Produco igitur locum è Proœmio ipsi Vincentii libello præmisso. *Augustinus*, ait ibi, *deducturus libro secundo Lectorem suum in cognitionem signorum, quibus res Fidem, Spem & Caritatem attinentes, de quibus primo libro egerat, exprimantur & declarentur, non aliò quam ad Scripturas ducit, nec in sequentibus de aliarum quàm de Scripturarum divinarum interpretatione agit; & quum dicit,* In iis quæ aperte in Scripturâ posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi, *duo disertè affirmat, quæ æquè disertè Pontificii novatores hodie negant, nempe omnia ad salutem creditu vel factu necessaria in Scripturis contineri, & hæc ipsa ibi apertè & perspicue posita esse.* *Similiter Vincentius,* Perfectus est, *inquit,* Scripturarum Canon, sibique ad omnia satis

2. de Doct. Christ. c. 9.

Cap. I. & antepenult

tis superque sufficit. *Traditionem autem adjungit*, non quia Canon solus sibi ad universa non sufficiat, *aut quasi ex eo fides sufficienter peti & demonstrari nequeat, sed ad revincendos hæreticos: & non quidem SIMPLICITER quasi absque traditionis ope revinci nullo modo poßint, sed ad FACILIUS & EXPEDITIUS revincendos. Quin* novitias recentesq; tantùm hæreses hoc modo impugnandas esse *alicubi docet*; dilatatas vero & inveteratas sola Scripturarum auctoritate convincendas. Hactenus ille, quibus nihil porrò adjiciendum opus esse existimo.

cap. 39.

PUNCTUM V.

Vide præfat. Epit. pag. 570. nec non præf. Declarationis pag. 632. Epilog. pag 881. Teut. pag. 219. 256 in Append. p. 23. fac. B.

PRofitemur & docemus, unicam & certissimam regulam, & normam, seu principium, secundùm quod omnia dogmata, omnesque Doctores æstimari & judicari oporteat, nullum omnino aliud esse, quàm Prophetica & Apostolica scripta, cùm Veteris, tùm Novi Testamenti, & fidem nostram nullius neque veteris, neque recentioris Ecclesiæ Doctoris testimonio, sed solius & unius Dei verbo in scriptis Prophetharum & Apostolorum, testium veritatis cœlestis maximè ἀξιοπίστων comprehenso, velut fundamento immoto inniti debere. Sicut scriptum est Ps. cxix. 105. Gal. 1. 8. nec non Ps. xix. Gal. vi. 16. 2. Tim iii. 16. & 2. Pet. 1. 19.

Rejicimus eos, qui duplex dogmatum fidei constituunt principium: unum primarium, secundarium alterum, quorum illud divinæ legis autoritatem, hoc Ecclesiæ (ut vocant) Catholicæ traditionem solent appellare, eamque infallibilem, non tantùm principium quoad hominem, sed etiam quoad rem ipsam, ex consensu hominum, imò Dei ipsius mandato.

Ita docent Professores Helmstadienses, Georgius Calixtus & Conradus Horneius in der gründlichen Wiederlegung contra Büscherum parte 1. §. 31. Es ist aber vielgemelter consensus primævæ antiquitatis in alle Wege auch ein principium ad rem nicht zwar primum & summum, denn es hat seine dependentz von der Schrifft; sondern secundarium. Addendi sunt ibidem §. 7. 39. 107. 109. Nec aliter ea de re sentit D. Calixtus in Epitome Theologiæ moralis parte 1. pag. 125.

225. 165. 171. 172. 206. 210. &c. item pag. 225. 244. 303. 318. 451. 475. Id probet, inquit, pag. 247. & è principiis certis, atque extra dubitationis aut controversiæ aleam positis evincat; qualia in disciplina fidei Scripturam & consensum antiquitatis esse, similiter omnes hactenus fatemur. Et pag. 317. Et sic probatio quidem ab alterutra affirmante parte eò non modo justius exigi, sed expeditius etiam afferri poterit, quò certius est S. Scripturam, & legitimam traditionem sive consensum antiquitatis, tanquam certa & indubitata principia, è quibus doceri omnia oporteat, ab utraque admitti. Et in disputatione de sanctissimo Trinitatis mysterio, habita respondente M. Ioan. Latermanno §. 17. seq. & §. 29. nec non in appendice dissertationis de Mysterio Trinitatis §. 14. Cum quo consentit D. Conradus Horneius, in præfation. Tractatus Theol. de sacris & divinis scripturis, non procul à fine, & dissertat. Theol. 2. § 188. Nempe qui in fide sana sanus atque integer permanere vult, duplici modo munire fidem suam, Domino adjuvante, debet, primo scilicet divinæ legis autoritate, tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione, quemadmodum ex Vincentio Lerinensi loquuntur.

Item, Dreier Erörterung p. 25. die Göttliche Warheit wird erwiesen / principaliter und vornemblich auß der Schrifft / und secundariò auß der Kirchen Zeugniß / oder wie Vincentius redet / primum divinæ legis autoritate, tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione, und solches nicht per se und ex absoluta necessitate, sondern propter hæreticos, wegen der vielfältigen Ketzereyen / die die Schrifft verkehren / ut aut nulla, aut incerta in iis sit victoria.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PVNCTI V.

INitio hîc monemus, quando consensum primitivæ Ecclesiæ, Symbolis & Confessionibus potissimum, tum etiam consentiente Patrum superstitum testimonio manifestatum, Principium fidei secundarium vocamus, nobis non adversum fore, si quis à Principij termino abhorrens pro eo *testimonii* vel *normæ* appellationem usurpare velit. Res enim eodem redit, estque *testimonium* vel *norma* fidei, principium quo-

que cognoscendi ipsius fidei. Hinc D. Balthasar Mentzerus Exegesi ad Epilog. Aug. Confessionis scribit, *Perpetuum consensum omnium qui unquam vixerunt piorum Ecclesiæ Doctorum, esse testimonium secundarium, à priori* (Scripturis Divinis) *dependens eique conforme*. Et D. Hulsemannus Breviarii extensi Cap. V, num XII. *Regulam Verbi Divini* dicit esse *sufficientem peccati normam*. Quæ loquutio absurda fuerit, nisi per *normam* principium cognoscendi intelligas: & ita intelligendum esse ipse mox indicat, quando subijcit verba Pauli Rom. III, 20. *per legem est agnitio peccati*. Nec hic difficilem habebimus D. Calovium, si modo ille constare sibi velit. Syncretismi enim sui, de Fidei Principio Sect. I. de statu Controversiæ Num. IV sub initium, scribit: *Non disputatio tantùm est de nuda voce* (Principii) *ne quis putet nos λογομαχεῖν, sed si vocem principii præscindamus de re ipsâ disquiritur*. Ergo videbimus nunc *de re ipsâ*. Quod ut fiat ordine, sententiam D. Calixti, quàm plurimis calumniis hactenus obscurari solitam, hîc clare per aliquot aphorismos proponemus.

I. Quando docuit D. Calixtus juxta mentem Vincentij, duo esse principia, quibus articuli fidei, & quæ ad salutem sunt necessaria probentur, nempè Scripturam & Traditionem, sive cõnsentiens testimonium veteris Ecclesiæ, inconcussum voluit servari hoc discrimen, quod S. Scriptura esset unicum illud primum & summum, supra quod non sit aliud; quale principium eàm libri nostri Symbolici agnoscunt: Traditio verò Ecclesiæ secundarium, à priore non solùm commendatum, eique subordinatum, sed per legitimam & bonam consequentiam inde deductum & derivatum, ut cum eo comparatum, non sit principium sed conclusio. Nemo enim Christianorum non admittit hoc principium; *Quicquid S. Canonica Scriptura dicit, Divinitus inspiratum & hinc infallibiliter verum est*. Dicit autem Scriptura adversus Catholi-

tholicam Ecclesiam *non pravalituras portas inferorum* Matth. XVI, 18; eam *esse columnam & firmamentum veritatis* 1. Tim. III, 15. Hinc itaque sequitur, universam Eccesiam quando agitur de doctrina fundamentali & ad salutem creditu necessariâ, non posse falli aut errare. Et proinde ex priore principio hæc nascitur conclusio: Quod universa Ecclesia primitiva unanimi consensu tanquam ad salutem necessarium amplectitur, id minimè est reijciendum. Præsertim quum Ecclesia primitiva elogium illud habeat in Scriptura, quod sit Ecclesia *Sanctorum & martyrum Iesu*, Apocal. XVII, 6, 18. qui in diris illis persequutionibus, Duce & adjutore angelo Michaele cum Dracone colluctati, eum *vicerunt per sanguinem agni, & sermonem* testimonij sui, & animæ suæ prodigi fuerunt usque ad mortem Cap. XII, 11. Hinc D. Gerhardus loco de Ecclesiâ Sectione VI, Num. 204. *Certum quidem est*, inquit, *antiquam Ecclesiam primis QVINGENTIS annis, VERAM Ecclesiam fuisse, & Apostolicam doctrinam tenuisse* (quod in objectione sua Bellarminus dixerat) *negari interim nequit, Apostolicæ doctrinæ* (fundamentali) *admisceri cœpisse stipulas humanarum traditionum, ut ex scriptis Patrum ostendi potest, quâ de re videantur Centuriæ Magdeburgenses in Cap de inclinatione doctrinæ.* Quod posterius sicut nos non negamus, ita doctrinæ D. Calixti nihil obest, ut mox patefiet.

Aphorismus II. Quando consensum antiquitatis proximo post Scripturas loco commendamus, & magni facimus, non hoc volumus, quod in quibusvis Scripturæ locis interpretandis, aut quæstionibus quæ absque numero circa articulos & fundamenta fidei si licentiæ indulgeas, excitari possunt decidendis, consensus ille advocari vel possit vel debeat, sed tum ejus sit usus, quando de ipsis FIDEI ARTICVLIS & FVNDAMENTIS, præsertim contra hæreticos negantes & veritatem pervertentes, agitur. Beatus

Parens Wiederlegung D. Welleri Verleumbdungē Numero LV, hoc ita inculcavit: Es spricht Vicentius Lerinensis, der in anno 434. von diesem allgemeinen Kirchen consens, und wie vermittelst desselben die streitige Fragen zu erörtern / ein berühmetes buch geschrieben / daß derselbe *consensus non in omnibus divinæ legis* cap. 39. *quæstiunculis, sed solùm, certè præcipuè in fidei regula magno nobis studio & investigandus sit & sequendus.* Und abermahl: *Ad unam* Capite antepenult. *Ecclesiastici sensus regulam Scripturæ cœlestis intelligentia dirigatur in iis duntaxat præcipuè quæstionibus, quibus totius catholici dogmatis fundamenta nituntur.* Ex his cautior factus Calovius, Syncretismi de Fidei Principio Sectione I. Num. VI. coactus est scribere. *Videntur sanè adversarii saltem ea, quæ ad salutem creditu necessaria sunt, pensi habere, cum in subsidium vocant, ceu principium Christianæ fidei traditionem quinque secularem.* Non *videri* tantum debent adversarii, quos ille vocat, hoc facere, sed revera ita faciunt. Pergit quidem ibi statim Calovius: *Interim deprehendere licet, in quæstionibus illis, quæ cum Calvinianis & Pontificiis nobis intercedunt, quas fundamentales esse negant, eos etiam ad hoc principium provocare, imò etiam in illis quæstionibus nonnullis quas nobiscum habent Novatores: econtra verò, ubi vident in hisce sibi adversari consensum Patrum, ad illud refugium sese recipere solent, urgeri tantùm ipsum debere, ceu principium in fundamentalibus, non verò in secundariis quæstionibus. Sic ergò meros lusus faciunt.* Sed Calovius ipse *meros* hîc *lusus* facit, ne deprehendatur Calixto antehac, è non satis intellectâ ejus sententiâ, falsam doctrinam affinxisse. In fundamentalibus fidei capitibus usus est consensus antiquitatis, ut modo è verbis Calixti contra Wellerum intelleximus. In reliquis quæstionibus si idem adhibeatur, probatio magis abundans erit quam necessaria, erit si non multo firmior, attamen amplior, & si non semper quo ad rem, de qua agitur, sæpè tamen quo ad hominem cum quo agitur, efficacior. Et sic, nisi omnia me fallunt, patet, *lusum* hic *facere* non Calixtum sed Calovium.

Aphorismus III. Non voluit Calixtus, neque nos volumus per Traditionem intelligi doctrinam à Scripturis Canonicis alienam, sed potius Ecclesiæ priscæ catholicæ testimonium & consensum, quo ipsa illa, quæ in Scripturis proponuntur dogmata comprobentur. Nihil itaque nobis commune cum Pontificiorum placito, qui per Traditionem sive verbum non scriptum, doctrinam quæ in Canonicis Scripturæ libris non contineatur, & nihilominus creditu ad salutem necessaria sit, intelligunt.

Aphorismus IV. Consensus ille primitivæ Ecclesiæ toties dictus omnino principium est non ad hominem tantùm sed ad rem quoque. Id sic probatur. Cui S. Scriptura tribuit quod ab erroribus fundamenta evertentibus immune sit, ejus auctoritate uti licet tanquam principio non ad hominē tantùm, sed etiam ad rem, ad omnem videlicet illum qui Christiano nomine censeri cupit. Atqui universali Ecclesiæ S. Scriptura tribuit, quod ab erroribus fundamenta evertentibus immunis sit. Ergo ejus auctoritate, ita sicut dictum, uti licet.

Aphorismus V. Primæ priscæque Ecclesiæ consensus notitia, per duos ad nos derivatur rivos, quorum unum vocaveris ipsa Symbola, Confessiones & Declarationes, quas in Conciliis ut plurimùm edidit unanimique consensu recepit. Et quanquam rivus hic deficere alicubi videri possit, revera tamen ex quo Ecclesiâ habuit Symbola quæ profiteretur, uti mox ab ipso Apostolorum tempore habuit, nunquam deficit. Alterum dixeris *multorum & magnorum consentientes sibi sententias magistrorum* quemadmodum loquitur Vincentius: cap. 38. qui etiam paulo post, capite nempè sequente XXXIX in eandem rem ita scripsit; *Quicquid vel omnes, vel plures uno eodemque sensu, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tradendo affirmaverint, id pro indubitato certo ratoque habeatur.* Oportunè hic addemus ver-

ha è Wiederlegung der Verleumbdungen D. Welleri Num.
XIV: Der uhralte Kirchen consens erhellet und wird uns / die
wir anjtzo leben / kund und offenbahr aus zweyen dingen / erstlich
aus den uhralten symbolis und bekäntnissen der rechtgläubigen
Apostolischen Kirchen / und dann auß einhelliger zusammenstim-
mung der alten bewehrten Lehrer mit jetztbenanten symbolis und
bekäntnissen / und dann auch unter sich selbsten. Die uhralte Kir-
che hat je und alwege jhr bekäntnis gehabt / welches symbolum
Apostolicum genant worden / weiln darin eine kurtze summe und
inhalt der gantzen Apostolischen Lehr von Glaubens articulen, so
weit einem jeglichen und auch den Einfeltigen zur Seligkeit nöh-
tig / begriffen und enthalten. Das erste symbolum der Apostel /
spricht Herr Lutherus, ist das aller feineste / das kurtz und rich-
tig die Artikul des Glaubens gar fein fasset / und auch den Kin-
dern und albern leichtlich zu lernen ist. In der ersten Apostoli-
schen Kirchen wurden vielmehr Leute / die zu jhren Jahren gekom-
men / und vom Juden- oder Heydenthum zu Christo bekehret wa-
ren / getauffet / als junge newgeborne Kinder. Dieselbe aber sind
nicht getauffet worden / ehe sie das Bekäntnis öffentlich gethan:
und auff dis gethane bekändnis sind sie getaufft und in der Zahl
der Christen und als Glieder der Christlichen Kirchen auff und an-
genommen worden. Sind Kinder getaufft / alßdann haben ande-
re in jhren Nahmen dis bekäntnis gethan und angelobet / daß die-
selbe zu Jahren kommende darinne solten erzogen werden. Her-
nacher wie schädliche Ketzerey der Arianer, Nestorianer, Euty-
chianer und anderer entstanden / sind dazu kommen die symbola
und Bekäntnis der conciliorum, welche in Nicæâ, Constanti-
nopel, Epheso, Chalcedone und anderßwo gehalten worden:
welche symbola eigendlich für die Leyen und ungelahrte nicht
gestellet / sondern für die Gelahrte und Lehrer / welche mit den Ke-
tzern zu streiten und zu schaffen gehabt / damit sie müchten wissen
behutsam zu reden / und mit Worten / die etwan leichtlich zu ver-
dre-

Von den 3. symbolis Joh. 6. Ien.

drehen und auff einen verkehrten Sinn zu ziehen / sich nicht verstossen. Hieraus erhellet nun was die erste uhralte und ohnzweiffelich reine Kirche gelehret / und solches umb so vielmehr / wann das gleichstimmige Zeugnis der alten Lehrer / deren Schrifften und Bücher durch sonderbahre Göttliche Versehung annoch erhalten und verhanden / hinzu gethan wird.

Aphorism. VI. Si quæras quali certitudine nobis è monumentis Dd. primitivæ Ecclesiæ innotescat huj⁹ cõsentiens doctrina? dicimus illã certitudinẽ parem esse ei, per quam Scripturarum Canon seu catalogus probatur: parem quoq; ei, per quam Oecumenica Concilia eorumque Symbola & Confessiones nobis innotescunt. Neutrum enim aliter quam per testimonia & consensum veterum nobis insinuatur. Est scilicet ut paucis dicamus, certitudo illa moralis, & *tanta, quanta de rebus gestis humanis inter homines esse potest*, verba sunt venerandi Parentis, Procemio in libros Augustini de doctrinâ Christianâ & Vincentii Commonitorium, è quo unicus locus summam rei exhibens, integer recitari meretur. Habet autem ita. *Summa eorum quæ diximus huc redit, non potuisse fieri, ut Ecclesia universa, inprimis Ecclesia primorum seculorum, in vicem capitum seu articulorum fidei falsitates amplecteretur & ad posteros propagaret, ut Ecclesia, inquam, universaliter antiquitus in fundamentis religionis erraret; & hoc nobis constare eâ certitudine, quâ sacris scripturis divinisq́ promißionibus adsecurimur: quæ verò fuerit publica & paßim recepta primorum seculorum doctrina, è priscorum Doctorum consensu, quem scripta illorum inter se collata manifestum relinquant, patere certitudine morali, quæ in illo quidem genere maxima sit, & formidinem oppositi sufficienter excludat* Nunc permitto unicuique ingenuo Lectori judicium de superius appositâ accusatione Calovij, quam in piæ memoriæ Parentem meum post tot alias denuo contorsit.

ARTICVLVS I. AVGVSTANÆ CONFESSIONIS, DE DEO.

PVNCTVM I.

August. Conf. art. I. Apol. Aug. conf. ad art. I. Catechism. Major Luth. p. 502 Teut. 207.

Profitemur & docemus, Philosophum quidem non posse ignorare, Deum esse, æternamque illius potentiam ac divinitem, à salvandis tamen id credendum esse, ac proinde teneri Theologum id quoque ex scriptura S. probare, nempe, unam esse essentiam divinam, quæ & appellatur, & est Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, *cum notitia, quæ de Deo, ejusdemque attributis ex libro naturæ hauritur, sit imperfecta & languida, & ut Paulus eam appellat, ignorantia Dei, Gal. 4. 8. nec saluti æternæ sufficiat procurandæ, secundum Genes. 17, 1. Levit. 11, 45. Deuteron. 32. 4. Psalmo 90. 1. Daniel. 2. 20. & Iohan. 4. 24. in Evangelio.*

Rejicimus eos, qui docent, quod sit Deus, non debere à Theologo probari, sed tanquam naturaliter supponi, adeoque articulum fidei non esse, quod Deus sit, quod unus sit, infinitè perfectus, bonus, sapiens, potens, sibi sufficiens, ac persequi Theologiam tantum ea è sacris literis, quæ alioquin genere humano incognita forent, & impervia.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Epitome Theologiæ, edita Brunsvvigæ anno cIↃ IↃ CXXXIV. pag. 69. & 70. hisce verbis: De Deo itaque, quoniam lumine rationis è rebus factis Rom. 1. colligit, & concludit Philosophia, quod sit, quod unus sit, infinitè perfectus, bonus, sapiens, potens, sibi sufficiens, &c. hujusmodi missa facit Theologus, sive, ut rectiùs loquar, præsupponit, tanquam in inferioribus disciplinis tractata & demonstrata, & tantum ex propriis, sibique peculiaribus principiis, nimirum divinis literis, ea persequitur, quæ alioquin ingenio humano incognita forent & impervia. Et D. Horneius dissertat. Theolog. III. habita Helmæstadi XIII Kal. Iunii, M DC XXXVII. §. 2. ita ait: Vbi principio quidem, quod sit Deus, non probatur, sed tanquam naturaliter notum supponitur. Non probatur id hic, inquam, sed supponitur: sicut enim nulla cæterarum

terarum disciplinarum omnium objectum suum probat, sed astrorum scientia astra, numerorum numeros esse supponit: ita & doctrina de Deo, Deum esse, non docet, sed sumit: nec enim Theologia esse potest, nisi Deum aliquem esse detur, de quo agat.

EXAMEN ET DISCUSSIO

PUNCTI I.

ETiamsi neque A. C. neque ejus Apologia, neque Catechismus Major Lutheri locis citatis doceat *teneri Theologum ex Scripturâ probare* Dei existentiam, & reliqua attributa quæ ex lumine naturæ innotescunt, falsum tamen est statuere Calixtum, *non DEBERE à Theologo probari & quod sit Deus*, & ea quæ diximus attributa; sed hoc ille vult, quantumvis Theologus probare ea possit, probatione tamen talium opus ei non esse, sed supersedere eâ posse, siquidem ad Theologiam accedens, cognitionem istam secum afferat, utpote in inferioribus disciplinis, quæ talia tractent & demonstrent, acquisitam. Deinde falsum quoque est, velle Calixtum, quod talium cognitio ad fidem non aliquo modo pertineat, sive *non sit articulus fidei, quod Deus sit, quod unus sit, infinite perfectus &c.* sed hoc tantùm indicatur, quod existentia Dei & quæ ibi adducuntur attributa, non sint *meræ & puræ fidei.* Ea enim de quibus nihil omnino rationi sibi relictæ per lumen naturæ constat aut constare potest, *meræ & puræ fidei*, reliqua ad quorum aliquam cognitionem ratio sibi relicta per lumen naturæ potest pervenire, *non meræ & puræ fidei* esse docet Apparat. Theol. p 165. Verba ejus ita habent: *Hic quoque, ubi opus est, aut res fert, utile est ostendi, quid ex lumine naturæ cognosci possit, quid non possit: verbi gratia in doctrina de Immortalitate animæ, de Resurrectione carnis; de Deo & attributis divinis; de Creatione & providentiâ, nempè ut appareat discrimen inter ea quæ sunt meræ & puræ fidei, sive de quibus nihil omnino rationi sibi relictæ*

licta per lumen naturæ constat, aut constare potest, & ea quæ non sunt meræ & puræ fidei, sive ad quorum aliquam cognitionem ratio sibi relicta per lumen naturæ potest pervenire. Ex his mentem Parentis intelligi posse spero. Et animadverto D. Johannem Meisnerum Theologiæ hodie Professorem Wittebergensem, similia eorum quæ Calovius in Parente reprehendit scripsisse. Compendio nempe Theolog. Disp. II. de Deo & Attributis Divinis Num. 1. *Objectum Theologiæ primarium & suo modo adæquatum est Deus, non ut ex naturæ principiis cognoscitur, aut naturaliter notus SUPPONITUR, hæc enim cognitio nec salutaris est, nec pars fidei salvificæ.* Deus itaque *ut naturaliter notus* SUPPONITUR. At à quo? & ubi? nisi à Theologo Christiano, quando ille tractationem de Deo, ut ex supernaturali revelatione cognoscendo suscipit. Quid multis? ipse Calovius noster extra odii æstum positus, prægrandis sui Systematis Locor. Theolog. Tom. II. Cap. 1, sect. 1, de notitia Dei Naturali, sub initium plane ad mentem Parentis & ita scripsit. *Cæterum Naturalis Theologia hic non tàm exprofesso est tradenda, quàm quod aliqua de Deo detur naturalis notitia, & qualis eadem sit, è verbo Dei potißimum ostendendum. Quandoquidem peculiarem ac propriam sedem in disciplinis Philosophicis sibi vindicent, quæ rationis beneficio de Deo cognosci queunt, unde si ea omnia transferre quis velit, insignem* Theologiæ *cum* Philosophiâ *confusionem invehet, &* Pneumaticam *præcipuâ parte exhauriet. Philosophiæ hoc proprium est, quid ratione duce de Deo cognosci queat indagare, falsasque Philosophorum Deo opiniones è Philosophiâ quousque lumen naturæ penetrat, confutare, quod semel hic propter* nonnullorum confusionem *monuisse sufficiat.*

Porrò, neq; A. Conf. neque ejus Apolog. art. de cognitione existentiæ Dei aut attributorũ è lumine naturæ notorum tantùm agit, sed de tali Dei cognitione qualẽ Nicena Synodus in Symbolo proponit. Talis vero cognitio non acquiescit in iis quæ

iis quæ è principiis rectæ rationis innotescunt, sed ad Trinitatis notitiam progreditur, & omnem rationem sibi relictam transcendens mysterium includit. *Sine ulla igitur dubitatione credendum esse* docet Confessio, quod *sit una essentia quæ & appellatur & est Deus, æternus incorporeus &c. TAMEN tres sint personæ.* Quod vero sine ulla dubitatione credendum hic proponitur, non illud tantùm est quod Calovius recitat, *nempe unam esse essentiam Divinam, quæ & appellatur, & est Deus æternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia bonitate*, illud enim è lumine naturæ quoque constat: sed requiritur quoque ut credamus, licet una sit essentia quæ & appelletur & sit Deus, *TAMEN tres esse personas ejusdem essentiæ Divinæ & coæternæ, P. F. & Sp. S.* Hunc verò articulum, qui tunc demum est articulus meræ fidei, si posteriora prioribus jungantur, *certa & firma testimonia in Scripturis sanctis habere* affirmat Apologia, adeoque non aliunde quàm ex scripturâ probandum esse docet. Vt autem attributa quæ præmittuntur, & etiam ex rationis lumine innotescunt, non minus quàm mysterium hoc è scripturâ probandum esse evincat Calovius, posteriora, mysterium in esse mysterii constituentia, omittit, & iis malâ fide substituit, quæ in locis citatis non reperiuntur, nempè ista; *cum notitia, quæ de Deo, ejusdemq; attributis ex libro naturæ hauritur sit imperfecta & languida & ut Paulus eam appellat, ignorantia Dei* Gal. IV, 8. *nec saluti æternæ sufficiat procurandæ secundum* Gen. XVII, 1. Levit. II, 45. &c. Ista inquam D. Calovius de suo addidit, & illis ipsis in quibus maximum situm est momentum, nempè mysterium in esse mysterii constitutum enarrantibus subornavit. Male quoque verba Pauli ad Galatas IV, 8. detorsit ad notitiam Dei naturalem. Dicuntur ibi Galatæ *ignorasse Deum*, quod salutiferâ Dei cognitione aruerint. Nam aliàs Ethnici *cognoverunt Deum* Rom. I, 21. Notitia autem & ignorantia, comparatione ejusdem objecti, & secundum eundem

dem modum, semet ipsa evertunt. Abibo ab hoc loco, si duo adhuc monuero. Unum hoc est, quod B. Horneius illa ipsa Disputatione ejusque sectione è quâ D. Calovius verba quædam ejus, quæ calumniæ oportuna sibi visa excerpsit, statim Th. VII in fine ista disertè scripta reliquerit. *Secundò dici potest, etiam quæ naturaliter de Deo cognoscuntur, esse articulos fidei, non sane ut naturaliter nota sunt: (ita enim horum scientia est, non fides;) sed pro ut in Verbo proposita: sic enim creduntur, quum nihil prohibeat aliquid quod secundum se demonstrabile est & scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit sicut rectè idem Thomas rursus ait.* Alterum quod monendum duxi illud erit; si ad eum modũ libros symbolicos versare, sententias mutilare, & quidvis pro lubitu vel inserere, vel aliis sublatis alia substituere liceat, tunc nihil esse facilius quam quemvis convincere, quod contradicat istis libris, non quidem ut ab initio à suis auctoribus sunt confecti, sed quatenus à malevolis sunt interpolati & corrupti.

PUNCTUM II.

Apolog. Aug. Conf. ad art. I Epit. Libri Concord. pag. 617. declarat. pag. 830. Teut. 253. 330.

P*Rofitemur, & docemus*, quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam, *id est, ab omnibus Christianis ubiq; & semper creditam fidem*. Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit. Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes. Alia enim est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. Sed Patris & Filii & Spiritus sancti una est Divinitas, æqualis gloria, & coæterna Majestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus. Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus. Æternus pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres æterni, sed unus æternus, secundum antiquissimum S. Athanasii Symbolum.

Rejicimus eos, qui docent, quod sufficiat credere, unum esse sive

Deum, qui Pater sit, & Filius, & Spiritus sanctus, neque ad credenda, sive ad articulos fidei propriè strictèque ita dictos, quorum videlicet ignorantia salutem excludit, pertineant notiones divinæ, proprietates & relationes, quomodo & à se invicem & ab essentia modaliter, sive virtualiter, sive alio modo distinguantur, personasve constituant, imò Dei Filium unum cum Patre Deum in unitate illa, absque explicita distinctionis personalis cognitione, à fidelibus cultum & adoratum fuisse.

D. Georgius Calixtus Part. I. Responsi, maledicis Theologorum Moguntinorum vindiciis oppositi §. 28. ita loquitur: Sufficit credere unum esse Deum, qui Pater sit, & Filius, & Spiritus sanctus; Filium incarnatum esse, & hominem factum; à Deo creatum esse mundum, mortuos resuscitatum iri. Etiamsi non penetremus, quomodo una natura in tribus personis, aut vice versa duæ naturæ in una persona subsistant. Ibidem §. 32. Plurimum autem interest, num ei, ut mero homini, vel meræ creaturæ, an vero ut Deo fidendum, & in eum sperandum? Equidem priusquam ut persona à Patre distincta prodiret, seque manifestaret & exhiberet; ut unus cum Patre Deus in unitate illa, absque explicita distinctionis personalis cognitione cultus & adoratus fuit; Ex quo autem, ut persona à Patre distincta apparuit, hactenus ei sub ista etiam ratione honorem & cultum deferri oportet. Nec non §. 99. Ita quando agitur de notionibus divinis, de proprietatibus & relationibus, quomodo & à se invicem, & ab essentia distinguantur, personasve constituant; quæstiones sanè sunt de rebus articulum fidei concernentibus, nullo tamen modo de ipso articulo proximè & immediatè. Neque enim illico articulum fidei vel affirmaverit, vel negaverit, qui hic modalem, aut virtualem, aut ejusmodi aliquam distinctionem sive admiserit, sive rejecerit.

EXAMEN ET DISCUSSIO PUNCTI II.

Locis citatis eorum quæ recitantur nihil extat, sed reijciuntur hæreses quæ *tribus approbatis Symbolis & libris Symbolicis repugnant*. Inter Symbola autem illa quum Athanasianum

quoque referatur, probantur quidem quæ hic è Symbolo Athanaſij verbotenus allegat Calovius : attamen *notionum divinarum, proprietatum, relationum, diſtinctionis vel modalis vel virtualis*, nullam omninò vel Athanaſii Symbolum, vel ullus alius liber Symbolicus, mentionem facit, tantum abeſt eorum notitiam à ſalvandis ſub pœnâ æternæ damnationis requirere, aut tanquam inſufficientia rejicere, quæ Calixtus ad credendum ſufficere docet. Etenim ſi ad articulos propriè ſtricteque dictos, *quorum* videlicet *ignorantia ſalute excludit*, pertinent notiones Divinæ, relationes, & quomodo hæ ab eſſentiâ diſtinguantur, modaliter an virtualiter, ne milleſima quidem Chriſtianorum pars, utpote talium nec intelligens nec capax, ſalvari poterit. Si iſtorum, inquam, Scholaſticorum terminorum applicatio ſic eſt neceſſaria ut *ejus ignorantia ſalute excludat*, væ rudi plebeculæ, væ ruri colonis, væ oppidanis, væ pauperum tabernis, væ Principum Regumque aulis, væ ſequiori ſexui & omnibus aliis quorum captum Scholaſticorum acumen, & Metaphyſicæ ſubtilitates tranſcendunt.

Aliter certè & Calovio rectiùs, ſaltem ex parte, ſenſit D. Hulſemannus, Diſput. quæ Dogmata ſint ad ſalutem creditu neceſſaria? §. 38. initio. *Quod proceſſio à Patre & Filio*, inquit, *ſit proprietas characteriſtica Sp. Sancti, non videtur ſaluti obeſſe ſi ignoretur. Quod perſonaliter differat à Patre & Filio, non poteſt eum qui Trinitatem perſonarum confitetur ſubterfugere. In quo autem conſiſtat perſonalis illa differentia, credo vix centeſimo fidelium in V. T. fuiſſe hodieve exploratum eſſe. — Similiter an proprietate eſſentiali à ſolo Patre procedat Spiritus S. an verò à P. & F. ſimul, ignorari quo ad utrumque poteſt.* Imò ne quidem voces *Eſſentiæ* & *Perſonæ* myſterio huic etiã in vulgaribus catechiſmis applicatas ab omnibus capi, neceſſarium eſſe alij celebres Theologi exiſtimant. D. Ioh. Gerhardus Exegeſi Locor. Theologi-

logicorum de Trinit. cap. 11. §. 42. *Non est*, inquit, *ut haeretici hic succenseant terminis Essentiae & Personae. Concedant nobis P. F. & Sp. S. esse Deum, nec adigemus illos vocibus illis Ecclesiasticis uti.* D. Nicolaus Hunnius Epitome Credendorum Germanica cap. v, §. 88. Dieweil dieß art zu reden (von der heiligen Dreyfaltigkeit / oder von dreyen Personen in Gott) in der heiligen Schrifft nicht zu finden ist / sondern man hat sie in der alten Kirchen / zu Widerlegung Arij und andere Ketzer gebrauchen müssen / ist niemand daran gebunden / daß er eben dieselbe gebrauche oder sich selber peinige / wie er das Wort **Person** eigentlich verstehen solle. — Sondern es ist einem einfältigen Hertzen genugsam zu wissen und zu glauben daß der Vater der Sohn und der H. Geist sein der einige wahre lebendige Gott / wie aber solches zu gehe / darumb haben wir uns nicht zu bekümmern.

Argumentor nunc ita: Si ex horum Theologorum mente, voces *Essentiae* & *Personae* intelligere, & huic mysterio applicare, non est cuivis ad salutem necessarium, multo minus fuerit necessarium cuivis Christiano, terminos *distinctionis vintualis, modalis, notionum* & *relationum* intelligere & applicare. Sed prius juxtà eos est verum: Verùm fuerit ergo & posterius.

PUNCTUM III.

P*Rofitemur & docemus*, eos, qui volunt salvi esse, *sive in Veteri, sive Novo Testamento vixerint, hodieq; vivunt, & imposterum victuri sunt, de Trinitate debere sentire*; Patrem à nullo esse factum, nec creatum, nec genitum. Filium à Patre solo esse: non factum, nec creatum, nec genitum. Spiritum sanctum à Patre & filio: non factum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem. Unum ergo Patrem, non tres Patres, unum Filium, non tres filios, unum Spiritum sanctum, non tres Spiritus sanctos. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus: Sed totas tres personas coaeternas sibi esse & coaequales: ita, ut per omnia, & Trinitas in Unitate, & Unitas in Trinitate veneranda sit, sicut Symbolum Athanasii loquitur.

Vide libros symb. ut supra.

Rejicimus eos qui docent, mysterium Trinitatis Patriarchis equidem & Prophetis suo quodam modo ex Peculiari Dei revelatione cognitum fuisse, minime verò in libris veteris Testamenti ita traditum, ut à quovis ibi deprehendi, aut olim potuerit, aut nunc, seposito Novo Testamento possit, quemadmodum & explicita fides Trinitatis, antiqui Fœderis temporibus, ad salutem necessaria non fuerit.

Ita Calixtus in disput. de sanctissimo Trinitatis mysterio contra Socinianos §. 5. 6. 7 8. Quanquam enim (Trinitatis) mysterium, de quo agimus, Patriarchis & Prophetis, suo quodam modo ex peculiari Dei revelatione cognitum fuisse inficias ire nolimus: ita tamen in libris, quos instinctu Spiritus S. ediderunt; contineri, ut à quovis ibi deprehendi, aut olim potuerit, aut nunc, seposito Novo Testamento possit, id vero negamus; ibique vestigia potius, quam aperta, animumque convincentia dicta reperiri, sive, ut cum S. Augustino loquamur, insinuari potius, quam clare proponi mysterium existimamus. Et ibid. §. 7. iterum: Quæ attulimus hactenus, non eo tantum faciunt, ut invalida disputandi ratio evitetur, sed id præterea ostendunt, explicitam fidem Trinitatis antiqui fœderis temporibus ad salutem necessariam non fuisse. Quibus paria idem Calixtus mandavit literis in Epitome Theol. moralis pag. 74. verba sunt ista: Exigit autem (nempe Lex novi Testamenti ut eam sæpius appellat) fidem non implicitam, ut vocant, vel confusam, qualis in Vetere pacto sufficiens erat, sed explicitam & distinctam. Vide eundem Calixtum in der Wiederlegung D. VVelleri &c. §. 10. 11. 45. 66. 86. Verantwortung auff das Churfl. Schreiben §. 4. §. 15. 18. circa finem ibid. §. 19. sub finem.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI III.

GEnio indulgens Auctor Consensus, librorũ symbolicorũ auctoritatem jactat, ad ipsa loca in margine provocat, in quibus tamen si inspiciantur, de eo quod præcipuè hic *profitetur & docet* est altum silentium. Quis obsecro liber symbolicus fidem

dem cognitionemq; explicitam SS. Trinitatis, ab omnibus *qui volunt salvi esse, sive in Veteri, sive Novo Testamento vixerint*, unquam exegit? Controversia de notitia Trinitatis fidelium Veteris Testamenti, eâ ætate, quum libri Symbolici ederentur, non fuit mota, nedum decisa. Libris igitur illis haud contradixisse censeri poterit, qui de tali quæstione de quâ illi ipsi tacent, suam, citra dissentientium præjudicium, aperit sententiam. Sed *rejciuntur* nihilominus, sub isto contradictionis libris illis oppositæ prætextu, geminæ positiones. Nempè primo *Quod explicita fides Trinitatis antiqui fœderis temporibus, ad salutem necessaria non fuerit*: Deinde, quod *dogma de Trinitate minimè in libris V. T. ita traditum sit, ut à quovis ibi deprehendi aut olim potuerit, aut NVNC seposito Novo Test. possit*. Verùm ante omnia observatum hic velimus, neutram sententiam affirmantem, negativis his oppositam, esse aliquod ad salutem creditu necessarium dogma. Adeoque licet demus, negativas ambas esse falsas, minime tamen impingere eas in aliquod necessarium fidei dogma, aut illud evertere, & hinc earum assertores tam atrocem insectationem neutiquam mereri. Priori scilicet sententia affirmante asseritur res aliqua, quæ si vel maximè ignoretur, fidei tamen nostræ, qualis temporibus Novi Test. est patefacta, & à Christianis exigitur, nihil prorsus deroget. Unde hunc in modum argumentari placet: Quocunque prorsus ignorato, omnia dogmata quæ in Novo T. à Christo & Apostolis tradita sunt, plenè & sine ullius detractione possunt credi, hoc non erit ad salutem cognitu necessarium dogma. Sententia de explicita fide Trinitatis, hominibus sub Vetere Test. ad salutem creditu necessaria, est dogma quo prorsus ignorato omnia dogmata quæ in N. T. à Christo & Apostolis tradita sunt, plene & sine ullius detractione possunt credi. Ergo sententia illa non est aliquod ad salutem creditu necessarium dogma.

Utraque præmissarum ita comparata est, ut nullâ probatione indigeat. Addimus argumentnm κατ' ἄνθρωπον, ex alicujus librorum Symbolicorum penetralibus accersitum. Quæcunque doctrina non continetur in illis libris, in quibus omnia, quorum cognitio homini Christiano ad æternam salutem est necessaria continentur, ea doctrina non est ad salutem cognitu necessaria. Atqui sententia quod explicata fides Trinitatis antiqui fœderis temporibus ad salutem necessaria fuerit, non continetur in illis libris, in quibus illa breviter comprehenduntur, quorum cognitio homini Christiano ad æternam salutem est necessaria. Ergo sententia illa non est doctrina ad salutem cognitu necessaria. Minorem probant verba Epitomes Form. Concordiæ, quæ Præfatione de compendiaria regula credendi, de Majore Catechismo Lutheri ita loquitur; esse eos *quasi Laicorum Biblia, in quibus omnia illa breviter comprehendantur, quæ in S. Scriptura fusius tractantur, & quorum cognitio homini Christiano ad æternam salutem est necessaria.* Jam vero in istis Catechismis nihil omninò de ista exstat sententia, quod fidelibus V.T. fides explic. Trinitatis ad salutem fuerit necessaria. Illa igitur sententia in numerum eorum dogmatum referenda non erit, *quorum cognitio homini Christiano ad æternam salutem est necessaria.*

Tantum de primâ quæ à Calovio reijcitur sententiâ. Sequitur altera ipsi æquè exosa, quod dogma de Sacro-Sancta Trinitate *in libris Veteris Testamenti ita traditum non sit, ut à quovis ibi deprehendi aut olim potuerit, aut NUNC seposito Novo Testamento possit.* Et hæc quidem in Caloviana *Rejectione* ordine prior ponitur, quia autem, quæ Puncto mox sequente IV proponit, ad hanc ipsam sententiam spectant, ego eam posteriorem feci, ut unâ operâ liceret eidem rei, bis propositæ, satisfacere. Ergo sequitur apud Calovium.

PUNCTI IV.

PRofitemur & docemus, Articulum de SS. Trinetate esse in libris Veteris Instrumenti fundatissimum, cum illi non tantum doceant, tres esse sacro sanctæ Trinitatis personas Genes. 1. 26. Psal. 33. 6. Esai. 6. 3. 48. 16. 63. 8. 10. 11. 16. sed etiam firmissimè adstruant, unum esse Deum verum, Deut. 6. 4. eumque unum Deum, una cum Deo Patre esse quoque Dei filium Psal. 2. 7. Ier. 23. 6. & Deum Spiritum sanctum, utpote cui competant divina nomina 2. Sam. 23. 2. attributa. Psal. 139. Esai. 11. 2. & opera Psal. 33. 6. Iob. 33. 4. Nehem. 9. 20. Psal. 143. 11,

Catech. maj. Luth. pag. 504. Teut. 207.

Rejicimus eos, qui docent, in libris Veteris Testamenti, quos instinctu Spiritus sancti Prophetæ ediderunt, vestigia Trinitatis potius, quam aperta, animumque convincentia dicta reperiri, seu insinuari potius, quam clarè proponi, Trinitatis mysterium.

Ita docet D. Georgius Calixtus in verbis puncto III. antecedente allegatis. Ea sunt hæc: Quanquam enim (Trinitatis) mysterium de quo agimus, Patriarchis & Prophetis suo quodam modo ex peculiari revelatione Dei cognitum fuisse inficias ire nolimus: Ita tamen in libris, quos instinctu Spiritus Sancti ediderunt, contineri, ut à quovis ibi deprehendi, aut olim potuerit, aut nunc seposito N. T possit, id vero negamus, ibique vestigia potius, quam aperta animumque convincentia dicta reperiri, sive ut cum S. Augustino loquamur, insinuari potius, quam clarè proponi mysterium existimamus. In Disputat. de sanctissimo Trinitatis mysterio, contra Socinianos §. 5. Similiter scribit D. Christian. Dreier, in gründlicher Erörterung pag. 50. 51. Concedimus libenter, omnes & singulos in Veteri Testamento fuisse obligatos, ad credendum in Deum Creatorem, & qui ipsos per Messiam erat redempturus, eosque per Spiritum suum sanctum sanctificaret. Quæ sane erat agnitio S. Trinitatis, etsi non distincta, clara & explicata, quod hæ tres personæ (quid? si loco harum trium personarum ponantur Deus Creator, Moyses, & Aaron?) unius divinæ essentiæ, & qua ratione distinguendæ essent. Cujus rei clariorem notitiam Patriarchæ, Sanhedrin, sive major Senatus Hierosolymitanus, septuaginta Seniores habuerunt, quos mysteria solicitè custodire oportebat, per Messiam apertè & clarè olim revelanda: quæ & ipsi plebem studiosè celabant, neque clarè pro-

proponebant, uti Scripta Iudæorum tam antiqua, quam recentia contestantur. Das ist / man gestehet gerne / daß alle und jede im alten Testament verpflichtet gewesen zu gläuben an GOtt/der sie erschaffen/der sie durch den Messiam auch erlösen würde / und durch den heiligen Geist heiligte/ welches gewiß eine Erkäntniß der heiligen Dreyfaltigkeit war/wiewohl nicht distincta, clara uud explicata, daß diese drey Personen in einem göttlichen Wesen wehren / und wie sie zu unterscheiden; davon doch eine klärer Erkändtnis gehabt haben die Patriarchen/Propheten/und das Sanhedrin/oder der grosse Rath zu Jerusalem/ die siebenzig Eltesten/ welche die Geheimniß wohl bewahren musten / die der Messias offenbahren/ und klar an den Tag bringen solte / welche sie auch dem gemeinen Manne gerne verholen und nicht klärlich fürgetragen / wie daß die Schrifften der Jüden/so wol alte/ als neue bezeigen.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI IV.

VIdet Lector, quàm hîc Calovius Rejicit sententiam, spectare ad id ipsum quod Puncto præcedente in Rejectione sua primo loco collocaverat. Quando itaque ipse hanc affirmantem amplectitur; *In libris Veteris Testamenti dogma de SS. Trinitate ita traditum esse, ut à quovis ibi deprehendi aut olim potuerit, aut NUNC seposito Novo Testamento possit.* Item; *In libris* Veteris Testamenti *exstare aperta de Trinitatis Mysterio, animumque* (etiam illius, qui Novi Testamenti auctoritatem repudiat) *plane convincentia dicta*; Et rursus: *Articulum de SS. Trinitate esse in libris Veteris Instrumenti fundatissimum*; ostendat nobis quis liber Ecclesiæ Lutheranæ Symbolicus, quove loco hanc affirmationem, sine dubitatione amplectendam præscripserit? Ostendat quo *Catechismi Majoris Lutheri*, quem in margine impudenter citat, loco, quâ lineâ affirmans ista contineatur? Si ostendere hoc non potest (ut certè non potest) vanissimus est ille prætextus, quod Calixtus negativam tenens, libris Symbolicis hac in parte contradicat, Certè eodem modo

modo accusari posset D. Fridericus Balduinus, quod olim Wittebergæ libris Symbolicis contradixerit, quando ad Cap. III Zachariæ, non dubitavit juxta mentem Calixti apertè sic scribere: *Divinâ providentiâ caute factum est, ut ipsum Divinæ Trinitatis arcanum, non explicitè sed implicitè Iudæis sub lege traderetur, ne in errorem eorum qui plures Deos colebant inciderent, cum aliàs ad Idololatriam proni essent.* Repetita quoque & applicata hîc pariter volo duo illa argumenta, quibus ad Punctum præcedens probavi, sententiam quam Calovius ibi amplectebatur, non esse necessarium aliquod Fidei dogma. Quod ipsum ubi hoc loco quoque obtinetur, manifestum inde evadit, negantem quæ Parenti arrisit, iniquissimè cum tanto tumultu damnari, atque ceu libris nescio quibus Symbolicis adversantem, *Reijci.*

Controversiam ipsam, *utrum libri Veteris Test. non tantùm doceant tres esse SS. Trinitatis personas, sed etiam firmiter adstruant, unum Deum, una cum Deo Patre esse quoque Deum Filium, & Deum Spiritum S.?* nunc quidem suo loco relinquimus. Quia tamen Calovius dicta nonnulla Scripturæ, quæ sine dubio pro sua assertione confirmanda validissima judicavit, admiscuit, in gratiam Lectoris, ut appareat eum pro lubitu magis, quàm certo judicio illa annotasse, adijciam de plerisque illis, tùm censuras Doctorum, quos ille reijcere non audebit, tùm rationes quas solvere haud poterit.

De dicto Geneseos I. *Bara Elohim* ita scribit D. Gerhardus in Exegesi de Natura Dei & Attributis Divinis numero LIII. *Ex voce Elohim non immediatè Trinitatem, sed pluralitatem personarum in Divinis nos probare, quæ pluralitas alibi ad numerum ternarium redigatur. (2) Latere in hac voce mysterium Trinitatis pro dispensatione temporum & modo patefactionis in V. T. usitato, ad quem in N. T. clarior lux accessit. (3) Conjungendam esse ipsius Spiritus S. explicationem in aliis locis propositam, neque enim Prima-*

rium (ait) *sed SECVNDARIVM duntaxat argumentum ex voce illa petitur.* (4) *Aliud esse contra hæreticos pertinaces Trinitatem negantes propugnare, aliud inter Christianos concedentes de hoc mysterio disserere.*

De loco Geneos 1, 26. *Faciamus hominem*, idem D. Gerhardus Tomo II Locorum de Imagine Dei num. 6, pag 354. *In eo quod dicit* Faciamus, *una operatio trium personarum ostenditur. In hoc verò quod dicit*, ad imaginem & similitudinem nostram, *& una & æqualis essentia trium personarum INDIGITATVR. Et sic mysterium SS. Trinitatis in prima Adami creatione OBSCVRIVSCVLE promulgatum est.* &c.

Psalmo XXXIII, 6. Rex & Propheta David de creatione Cœlorum ita pronunciat, *Verbo Domini cœli facti sunt, &* SPIRITU ORIS EJUS *omnis virtus eorum.* Verùm si quis objiciat, per *Spiritum oris ejus* non intelligi Spiritum Sanctum, sed vocem sive verbum prodiens ex ore eius, vix quicquam solidi exceptioni isti opponi poterit. Franciscus Vatablus certè, in Notis marginalibus dudum indicavit, *Verbum Domini* & *Spiritum oris ejus*, esse ταυτοδυναμοῦντα, idem significantia quod jussum & mandatum Domini; Ipse sic loquitur *Verbum Dei, & Spiritum oris ejus, pro eadem re dixit, q. d. Præcipiente Domino cœli facti sunt, & eodem jubente omnis ornatus eorum.* Rationem verò propter quam per *Spiritum oris* sive *labiorum*, sermo Dei commode intelligatur, ad illud Esaiæ XI, 4, *Spiritu labiorum suorum interficiet impium*, affert hanc, quod *sermo non eliciatur sine spiritu sive halitu*; hæc Vatablus. Et ipse Paulus, per *spiritum oris* Domini se non intellectum velle spiritum sanctum, non obscure prodit quando II ad Thess. II, 8. *Dominum spiritu oris sui, iniquum interfecturum* scribit. Quis enim occidere iniquos, officium Spiritus sancti esse dixerit, & ita potius non malit acceptum, quod Deus sententiâ suâ iniquos morti sit adjudicaturus? Placet his statim subjungere è quibus

mens

mens Parentis mei planissime perspici possit, & habentur Wiederlegung der Verleumbdungen D. Wellers Num. XXCIX. Daß den Christen von Jugend auff gezeiget wird / wie im XXXIII. Psalm **durch das Wort des HErrn / der HErr Jesus Christus / durch den Geist des Mundes des HErrn / der heilige Geist verstanden werde** / das ist recht. Die heilige Dreyfaltigkeit / ist bey den Christen gewis: derowegen thuen sie recht / daß sie diesen Spruch also verstehen und außlegen. Hieraus wil aber nicht folgen / daß aus demselben die heilige Dreyfaltigkeit / gegen strenge Wiedersprecher / es mügen sein Photinianer, oder Arianer, oder Jüden / könne dargethan und erstritten; und das **Wort** / imgleichen der **Geist** des **Mundes** von unterschiedenen selbsistendigen Personen müsse verstanden werden. Wer das **Wort des HErrn** auffnimmet und verstehet für seine allmächtige Krafft und Wirckung / der kan Vermittels dieses Spruchs nicht überzeuget werden / das **Wort** und **Geist** selbsistendige Personen sein müssen. Dann was ist gemeiner in heiliger Schrifft / als das Gottes Wort für Gottes Rede und Befehl genommen und verstanden wird? Also spricht eben derselbe König und Prophet David Psal. CXLIIX, 8: Fewr / Hagel / Schnee und Dampff richten sein Wort aus. Und Psalm CIII, 20: Lobet den HErrn ihr seine Engel / die Ihr Seinen Befehl außrichtet. Im Hebreischen ist dz vocabulum דבר Davar, welches sonsten **Wort** heisset / und eben in dem angezogenen Spruch des 33. Psalmen / wie auch in jetz angezogenen CXLIIX sich befindet. Ebenmessig wird der Geist Gottes für Gottes Krafft und Macht genommen und verstanden. Michæ II, 7. Meinestu des HErrn Geist sey verkürtzet? Im Büchlein Job XXXIII, 4. Der Geist Gottes hat mich gemachet: und XXVI, 13. Spiritus ejus cœlos ornavit, Sein Geist hat den Himmel gezieret: Psal. CXXXIX, 7. Wo sol ich hingehen für deinen Geist? 1. Reg. XIIX, 12. Der Geist des HErrn würde dich Eliam wegnehmen. Stehet derowegen bey denen / die

es nicht schon wissen und gläuben / sondern vielmehr starck leugnen/ aus den angezogenen XXXIII, Psalm nicht zuerstreiten/das es **Wort Gottes**/ und der **Geist seines Mundes** selbstständige Personen seyn.

De trina repetitione vocis *Sanctus*, quæ Esaiæ VI, 3 occurrit, idem esto judicium quod de locis è Genesi citatis; nempè ter iteratum *Sanctus* Trinitatem non evincere sed saltem insinuare. Agnovit hoc & publicè non minus quàm D. Calixtus, professus est D. Hunnius Anti-Paræo priore pag. 75 ubi dictum hoc *quia accedat Novi T. lux & expositio,* —— *in ipso certamine cum Arianis validum ac firmum demum esse* affirmat. Pagina autem 85, *iteratione trina vocis* (Sanctus) SUBINDICARI personarum trinitatem fatetur. Et rursus pag. 77; *Licet Iudæos* MINUS *constringat, qui scripta N. T. non recipiunt, ad Arianos tamen convincendos valere.*

Citantur quoque ex Esaiæ cap. XLVIII, 16, ista: *Dominus Deus misit me & Spiritus ejus.* Sed ipse B. Lutherus locum hunc ita vertit, *Dominus Deus misit me & Spiritum ejus.* Et in commentario locum non de Christo à Patre & Spiritu Sancto misso, sed de Personâ Prophetæ intelligit. Verba ipsa adscribimus. *Hic locus mirabiliter obscuratus est. Iudæi Personam Prophetæ intelligunt, quam sententiam ego quoque sequar. Hoc enim incommodum est, si de Christi personâ intelligas, ut quod dicit se missurum esse in Babylonem, ut istic redemptionem faceret. Semel enim missus est ad tempus N. Testamenti. Quod si spiritualem missionem intelligas, non valde pugnabit hic locus pro mysterio Trinitatis, & tamen sequatur quisque utram voluerit. Habemus enim alia & firmiora de Trinitate testimonia. Ego personam Prophetæ tanquam in media Babylone constituti, & suos consolantis, accipio. &c.*

De loco Esaiæ LXIII, 8, 9, 10 & 11, quo mentio fit *Angeli facierum* & *Spiritus sanctitatis*, non pigrabimur adscribere quæ prolixius comentatus est vir Orientalium linguarum peritissimus, idemq;

idemque judicio excellens Theodorus Hackspanius, Notarum Theolog. in diffic il. Scripturæ loca parte II; nempe fore hunc locum *momenti alicujus, si spiritualis salus & liberatio intelligeretur, non autem eductio ex AEgypto, & liberatio ab hostibus populi Israëlitici. Hinc*, inquit, *Iudicum III, 9, & passim legitur; Excitavit Deus Salvatorem*. Et post aliqua, *videndum* esse addit, *ut non nuda afferatur distinctio* (nempe inter missionem inferioris à superiori, & inter missionem æqualis ab æquali,) *aut habeatur tantùm ratio mittentis, qui alias æqualis sit misso, sed cavendum etiam ne oculos deflectamus ab opere, ad cujus executionem mitti dicitur. Quum verò opus cujus hic fit mentio, sit salus corporea & liberatio ab hostibus, quæ omnia per Angelum creatum nullo negotio fieri possunt; nulla necessitas*, inquit, *urget, ut ipse Dei Filius mittatur, quod tunc demum obtinere debet, si opus creaturæ vires excedat*. Et hinc B. Lutherus Commentario in Esaiam non obscurè innuit se locum hunc de Angelo creato intelligere, adeoque ad Trinitatis mysterium ‚ quæ ibi leguntur, non accommodat.

Deinde versu 10 & 11, *Spiritus Sanctitatis* sive *Spiritus sui Sancti*, disertam mentionem fieri, adeoque tertiam quoque Trinitatis personam, Canonico hoc Veteris Instrumenti libro exprimi, urgent. Sed idem qui supra, *An necessario* inquit, per vocem Spiritus Sanctitatis *intelligenda veniat tertia Trinitatis persona, dubio non caret. Videmus alias* Spiritum Dei *&* faciem Dei *pro uno & eodem haberi, videlicet pro ipso Deo, Psalmo CXXXIX, 7. Unde Psalmo CVI, 33, ubi etiam fit mentio exacerbationis, similis Phrasis de Mose occurrit. Sicut igitur non est necesse distinguere Mosen à Spiritu, sed sensus est* Mosen exacerbarunt, *sic & commode sensus hic esse potest*: dolore affecerunt Spiritum Sanctitatis i. e. *Ipsum. Tantùm in dicto Psalmo vox sanctitatis non additur, quia Moses erat peccator*.

Locum Davidis Psalmo CXXXIX, 6. *Quo discedam à Spiritu tuo ?*

tuo? & quo à facie tuâ fugiam, Gerhardus loco de Spiritu S. Cap. 1, Num. VI, ita exponit. *Quando vox Spiritus, de Divinis operibus accipienda est, significat* (1) *iram Dei*, —— Psalmo 139, 6. Quo ibo à Spiritu tuo? & quo fugiam à facie tua? (*nec tamen improbamus si quis cum veteribus hunc locum ad tertiam personam Trinitatis referre velit; vox faciei* ἐξηγητικῶς *addita, confirmat priorem explicationem.*) Hæc ita Gerhardus, cui conformia de hoc loco leguntur apud Flacium in Clave, voce SPIRITUS.

In dicto II Sam. XXIII, 2, 3. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam, Dixit Deus Israël mihi, locutus est fortis Israël &c.* priora verba *Spiritus Domini*, quid vetat sumere pro ipso *Domino* Deo? quum id tantùm non postulent quæ statim tanquam ἐπεξήγησις priorum sequuntur, *Dixit Deus Israël mihi* &c. Spiritus certè alicujus personæ, Hebræis usitatissimè ponitur pro illâ ipsâ personâ. Docuit & ostendit hoc productis manifestissimis exemplis, Vir eruditione summâ Calovio notissimus, Paulus Slevogtus, Academiæ Ienensis Professor celeberrimus, Disputationum Academicarum XVII quæ Hellenistica inscribitur, Th. XII & XIII. Ego hic brevitatis studio tantùm è Th. XIII pauca quædam adjicio: *Istud interim certum est quod eo Ebraismo, quo* ψυχὴ *stat pro personâ, in Novo Fœdere nihil usitatius. Ita enim Christus Matthæi XXVI, 38. Marc. XIV, 34 dicens* περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου, *nihil innuit aliud quàm tristis sum ego. Et Ioh. II, 33* ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, *significat infremuit in sese, quemadmodum Evangelista paulo post se explicat.* —— *Nec fortasse aliud vult Marc. IIX, 12.* ἀναστενάξας *inquiens* τῷ πνεύματι, *ingemiscens Spiritu, quam ingemiscens in sese. Ioh. XIII, 21.* ἐταράχθη τῷ πνεύματι, *turbatus est spiritu, quam turbatus est in sese.* Addit hisce Vir doctissimus: *Atque hoc qui non intelligunt sæpè hallucinantur, dum vel Orientalium idiotismos in vulgares linguas transfundunt, vel aliàs sensum comminiscuntur qui à sacris Scriptoribus & eorum mente est planè alienus.* Hæc ita ille.

In

In loco Nehem. IX, 20. & Psalmo CXLIII, 10. *Spiritus* Dei *bonus*, quidni donum aliquod Divinum, h. e. à Deo datum significet? Sicut Psal. LI, 12. *spiritus rectus*, & versu 14. *Spiritus principalis*, dona Dei sanctificantia indicant. Sed nolo de reliquis addere quod quidem facillimum foret. Videt Lector, quo judicio Calovius hæc loca, opponenda illis qui solum Vet. Test. recipiunt, cumulaverit.

PUNCTUM V.

PRofitemur, & docemus, Deum esse Spiritualem indivisam essentiam, quæ ubique & in omnibus creaturis est, & ubi est, ibi (præsertim in credentibus & sanctis habitans) suam secum Majestatem, *vel essentiam* habet, *ac proinde* non dona Dei duntaxat, sed Deum ipsum in credentibus habitare. Vid. Form. Concord. p. 698. & 780. Teut. fol. 201. & 312.

Rejicimus eos, qui docent, non esse in nobis Sp. S nisi per donum aliquod suum, quod in nobis efficiat. Ita docet D. Georgius Calixtus in Epit. Theol. moralis pag. 14. hisce verbis: Non est autem in nobis Spiritus S. nisi per donum aliquod suum, quod in nobis efficiat. Eundem errorem repetit Calixtus in Appendice Dissertationis de mysterio Trinitatis, §. 15. D. Hulseman. docet præter communem illam omnium hominum unionem cum substantia Dei, per naturæ humanæ conditionem, de qua Act. 17. 28. & præter unionem substantiæ humanæ & accidentis, seu operationum & motuum divinorum tantū, docet, inquam, uniri substantiam hominis fidelis cum substantia totius SS. Trinitatis, per juncturam substantiæ ad substantiam. Quod tanquā novitatem Hulsemannicam reprobat ibidem Calixtus; tametsi nihil aliud, nisi mystica propinquior ipsius substantiæ divinæ cum nostra conjunctio, qua ut Paulus loquitur 1. Cor. 6. 17. fidelis etiam unus fit cum Deo Spiritus, indicata fuerit, ne credatur Deus tantum ratione donorum & virtutis, sed etiam ratione divinæ essentiæ suæ fidelibus propinquior, substantiali propinquitate, non sola operatione, utut, quomodo id se habeat, mentis nostræ indagine assequi non valeamus.

EXA-

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI V.

HIc non possum non notare, verba Formulæ indefinitè esse concepta, & hunc planè sensum videri exposcere, reijciendos qui docuerint *non Deum ipsum* substantiali & generali suâ præsentiâ, *sed dona Dei duntaxat in credentibus habitare*, adeoque præsentiam gratiosam, sine præsentia illa generali & substantiali, sibi aliisque persuadere voluerint. Quæ si mens est Formulæ, novit D. Calovius, Parenti eam sententiam graviter displicuisse, sicut quivis videre poterit **Antwort auff Hülsemans Munster** Th. LXVII, ubi ex Hunnij Operum Tomo I. pagina 180. quoque citat, *impium esse affirmare, esse alicubi Spiritum Sanctum secundum virtutem, unde secundum essentiam absit.* Et paulo post ex eodem hæc verba producit: *Nam illud de virtutis præsentia citra essentiæ παρουσίαν planè sapit Svvenckfeldianismum.* Huic ergo Svvenckfeldianismo affines, respexerit in suâ illa rejectione Formula Concordiæ. At verò quando Parens docuit, Epitomes Theol. Moral. c. 14. *non esse in nobis* (credentibus & renatis) *Sp. S. nisi per donum aliquod suum*, de gratiosâ præsentiâ, ut è contextu manifestum, loquutus est, & hoc voluit, Spiritum Sanctum qui generali substantiæ præsentiâ in infidelibus, æquè sit ac in fidelibus, speciali & gratiosâ præsentiâ in fidelibus tantùm præsentem esse, eamque præsentiam non consistere in novâ quadam & propiore substantiæ illius ad fideles approximatione, (ut Hulsemannus, Calovius & complices Novatores statuunt) sed in largitione donorum, & in novis gratiosis operationibus. Hanc verò Parentis doctrinam omnino orthodoxam esse, testimonio aperto erunt quæ eundem in sensum proposuit Johannes Gerhardus Tomo I. Locorum, de Spiritu Sancto numero 96. *Si Spiritus sanctus*, inquit ibi, *una cum Patre & Filio adest creaturis*

turis omnibus, quomodo aberit à credentibus? Vbi tamen distinguendi sunt præsentiæ gradus.——Arbitror autem eos, qui disputant Spiritum Sanctum dari tantùm secundum sua dona, hoc velle, quod Spiritus Sanctus in cordibus credentium non de novo secundum essentiam suam existere incipiat, sed novos tantùm motus accendat, quum antea ratione universalis præsentiæ, in illis re verâ præsens fuerit. Adjicio Gerhardinis his conformia D. Iohannis Musæi verba, quæ leguntur Disputationum de Conversione vi de Renovatione Numero xxvi, & ita habent. *Dicitur autem Spiritus Sanctus mitti in hominum corda, non quod secundum substantiam suam alicubi incipiat esse, ubi ante non fuerit, sed quia ibi, à quo mitti dicitur, novo modo vel cum novo effectu esse incipit.* Videantur etiam & probe expendantur antiquioris D. Wittebergensis Ægidii Hunnii verba egregia à Parente contra D. Hulsemanni Muster loco jam citato, producta. §. 67.

PVNCTVM VI.

P*Rofitemur & docemus*, Deum Israelis solum pro Deo habendum esse, *& sic debere appellari*, qui fons perennis est, & perpetuo scaturiens, affluentissimis bonis exundans, & à quo omne, quicquid uspiam boni est & dicitur, emanat: creaturas vero tantum manus esse, canales, media & organa, quorum opera & adminiculo Deus omnia largitur hominibus. *adeoque eas attributis, nominibus ac cultu divino, non esse accipiendas Deuter. 6, 13. Esai. 42, 8. 48. 2. Matth. 4, 10.* Catech. Luth. Ma. p. 408. & 409. Teuton. fol.

Rejicimus eos, qui illa Veteris Testamenti loca, in quibus Deus Israel, qui verus citra omnem controversiam Deus est, apparuisse legitur, personis Angelorum, tanquam legatorum, accomodant, adeoque non vulgare argumentum, quo divinitas Filii Dei & Spiritus S. nititur, labefactant, imò ea, quæ soli vero Israelis Deo competunt, creaturis attribuunt.

Ita docet D. Georgius Calixtus, quando in disputat. de sanctissimo Trinitatis mysterio ℌ. 24. sic scribit: Vbi postremi hujus loci occasione illud observandum, veteres, si non omnes, attamen plerosque,

rosque, illa V.T. loca, in quibus Deus Israel, qui verus citra omnem controversiam Deus est, apparuisse legitur, Christo Servatori nostro accommodare. Ex quo unanimem veterum de divinitate Christi consensum liquido constare arbitror: quanquam ipsa illa inde ita firmiter fortassis non adstruatur, cum apparitiones istas novi instrumenti Codex, optimus sine dubio Veteris interpres, angelis tribuat. Vnde idem Calixtus in Historia Iosephi pag. 56. & seq. Angelum, qui Iacobum eruerit ab omni malo Geneseos 48. 16. non de Dei Filio, verum Angelo creato interpretatur, adjecto hocce commentario; Extra tamen negotium incarnationis & redemptionis nostræ, quando videlicet non agitur de Dei Filio, in carnem propter nostram salutem mittendo, aut misso, sed, ut hic, de rebus longe aliis, de prosperitate videlicet uni & alteri homini conferenda, in talibus, inquam, nescio, an tutum sit Filium Dei Angelum, id est, nuncium, legatum, sive quod idem est, ministrum dicere, & annon hoc ipsum sit divinitati ejus detrahere. Sanè ut in rerum creatione, sustentatione & gubernatione, ita quoque in conferenda Ephraimo & Manassi felicitate non est nuncius, aut minister, sed una cum Patre suo causa princeps, ejusdemque potestatis & Majestatis. Malo itaque de Angelo propriè & simpliciter accepto intelligere. Vid. idem dissert. de duabus quæstionibus §. 32. & 39. Ita etiam Hornejus de Angelo creato explicuit, Exod. 14. 19. 23. 20. Vide eum dissertat. Theol. V. §. 46. Dreier gründliche Erörterung / pag. 12. Rex vel Princeps absens, maximè vero præsens per ministros perorare potest, cui etiam responderi solet, collato regio nomine ac titulo, exhibitaque competente reverentia; quanto magis Patriarchæ Deum, in Angelis suis præsentem, nuncupare Iehovam, compellare ut Dominum, eique competentem honorem exhibere potuerunt? idem p. 117. in secunda apparitione, cum Deus in Monte Sina legem promulgaret Exod. 20. 2. ait: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & nihilominus hæc oratio Angelo adscribitur, das ist: Dann auch ein König oder Fürst abwesend/ vielmehr aber gegenwertig durch seine Diener reden kan / den man auch antwortet/ giebet jhm seinen Nahmen und Tittel/ thut jhm sonderliche Reverentz und Ehre an/ wie vielmehr haben die Ertzväter GOtt und seinen Engeln gegenwertig/ HErr/ nennen/ jhn anreden und jhm seine gebührende Ehre beweisen können

können. Et pag. 117. In der andern Erscheinung / da GOtt das Gesetze gab / sagte er Exod. 20. 2. Ich bin der HErr dein GOtt / der ich dich aus Egypten Land auß dem Diensthause geführet habe: Und dennoch wird diese Rede einem Engel zugeschrieben.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI VI.

Quibus additionibus sermonem B. Lutheri hîc rursus locupletaverit D. Calovius, characterum diversitas quam in earum impressione adhiberi feci, indicat. Loca verò è Scriptura citata inpertinenter allegantur. Quod enim Deuteronomij VI, 13 scriptum est, *Dominum Deum adorabis & illum solum coles*, hoc non prohibet quominus quasdam Veteris T. apparitiones angelis propriè dictis attribuamus. Etenim quicquid Novi instrumenti codex, optimus sine dubio Veteris interpres, Angelis tribuit, id nullus V.T. locus, quo minus iis tribuatur impedire aut prohibere potest. Sed quasdam in Veteri T. commemoratas apparitiones, N. instrumenti codex, optimus sine dubio Veteris interpres, Angelis tribuit; Ergo nullus V.T. locus, quo minus iis tribuatur impedire aut prohibere potest. Si nullus, neque illi qui ab auctore Consensus citantur. Minorem vide probatam **Wiederlegang D. Wellers Verleumbdungen** Num. CXIX. Quantumvis verbi gr. per Angelum qui Iacobum eruit ab omni malo, intelligatur verus angelus creatus, nihilo tamen minus consistit veritas verborum Prophetæ dicentis; *Ego Dominus, Hu sive hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus.* Esai. 42. 8. & 48. 2. Manet similiter veritas eorum quæ his Calovius adjicit; *De civitate sanctâ vocati sunt, & Deo Israël nituntur, cujus nomen est Dominus exercituum.*

Quod si tamen adduci non potest D. Calovius ut Calixtum calumniari, & honoris Deo soli debiti in creaturam translati, insimulare desinat, *Reÿciendi* unà cū hoc erunt B. Lu-

therus pariter atque Brentius, de quibus David Rungius Theologus Wittebergensis Comment. in Genes. cap. XIIX, parte I. p. 506, ita scribit: *Lutherus, Calvinus, Brentius, statuunt simpliciter tres fuisse Angelos* (qui Abraham apparuerint) *quod sanè de duobus Sodomam euntibus extra controversiam est, quum illi angeli vocentur.* Cap. XIX, 1. & Hebr. XIII, 2. *Sed eum quem Abraham principaliter alloquitur, quidam existimant fuisse Filium Dei, ut Philippus M. quæ sententia nihil habet incommodi. Sed Lutherus sententiam suam hac tuetur regula, quod quando Prophetæ vel Angeli loquuntur ex Dei mandato, Scriptura Deum loquutum esse dicat, & in tota hac quæstione sobriè disputandum monet.* Observet hic obiter Lector quomodo D. Rungius de sententiâ illa Philippi, quam Calovius hodie ceu capitalem fidei articulum cum sævitiâ propugnat, moderatissime loquatur. *Sententia illa*, inquit tantùm, *nihil habet incommodi.* Non probat hîc eam apertè, multò minus audet dicere quod qui eam non amplectitur contradicat Majori Catechismo Lutheri. De Lutheri autem sententiâ quod mox subjicit, ei fidem amplissimam facient verba ejusdem, citata jam dudum Parenti in der Wiederlegung D. Wellers Verleumbdungen parag. CVI. In der Außlegung der zehen Gebot aus dem XIX und XX Capitulen des andern Buches Mose / nach deme er die zehen Gebot erzehlet / thut er alßbald hinzu; Das ist die Predigt / die Gott selber thut zu dem gantzen Volck Israel in der Wolcken und Fewr / auff dem Berg Sinai / mit leiblicher Stim / wiewol ein Engel aus befehl Gottes die Stim geführet hat / wie an einem andern ort der Schrifft stehet / mit herlichem Pracht / an der stat Gottes. Diß ist geredet von dem Gesetze. Die verkündigung aber des Gesetzes / und dann der beruff Mosis der auß dem fewrigen Busch geschehen / sind wol die namhaffteste und ansehnlichste hieher gehörige offenbahrung. Von jener haben wir Herrn Lutheri Wort und Meinung gehöret. Wir wollen auch von dieser etwas hinzu thun.

Tomo IV. Ien.

Exod. 3.

In der

In der Außlegung über etliche Capittel deß andern Buchs Mosis/ da er von dieser dem Mosi begegneter erscheinung handelt / spricht er / Alhie ist eine Frage / Ob Gott oder ein Engel mit Mose geredet habe / Denn Actor. VII sagt Stephanus auch / daß über vierzig Jahr Mosi in der Wüsten auff dem Berge Sinai / der Engel deß HErrn in einer Fewrflammen deß Puschs erschienen sey. Denn etzliche sagen / das Moses alhie das göttliche Wesen selbst gesehen habe. Nun stehet da geschrieben / der Engel deß HErrn sey Mosi erschienen / habe mit jhm auß dem Pusch geredet. Moses hat Gott alhie nicht gesehen / darumb spricht auch Lucas und Stephanus / daß das Gesetz durch die Engel gegeben sey / etc. Diese Himmelfürsten machet Gott zu Predigern / daß es also durch die handreichung der Engel zu uns kommet / aber wir Christen haben den HErrn selbst gehöret. Christus Gottes Sohn / so über alle Engel ist hat mit seinem Munde uns geprediget / und das Evangelium in der Weltaußzubreiten angefangen / und darnach seinen Aposteln befohlen zu predigen / er hat das Evangelium in seiner Menschheit jhme vorbehalten zu predigen / und das Gesetz durch die Engel geben lassen. Darumb sol man allezeit verstehen / daß Gott durch die Engel redet. Es ist ein Engel in diesen Pusch / der führet zu Mose Gottes Wort / und redet als Gott / und Moses höret auch Gottes Wort / es gehe gleich aus einem Pusch oder durch einen Stein. Das Wort sol man ansehen und nicht auff die Person schawen / denn Gott nimt jtzo einen Engel / balde Petrum / oder Magdalenen / oder auch jrgends wol ein Esel / wie mit dem Bileam geschahe / durch welche er sein Wort redet. Darumb so wird recht gesaget / Gott redet mit Mose / wiewol es nicht allezeit gemeldet wird / daß er durch die Engel geredet habe. — So hat nun Gott allhie durch einen Engel geredt. Matth. XIX stehet auch geschrieben das Gott gesprochen habe / der Mensch wird Vater und Mutter verlassen und an seinem Weibe hangen / da es doch Adam sprach. Aber Gottes sprechen und Adams sprechen ist einerley. Dann es ist aus Gott NB.

 und

und in Gott geredt/ darumb so hats Gott gesprochen. Biß hieher Lutherus. So spricht auch S. Augustinus libro tertio de Trinitate: Loquitur ex personâ Dei angelus homini, dicens: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob. Accedat eines Christlichen Hochgelährten Lehrers der ungeenderten Augßburgischen Confession bescheidenes Bedencken/ über die unter etlichen fürnehmen ChurSächsischen und Helmstätischen Theologen, entstandenen Streitigkeiten/ quod ita de hac quæstione decernit pag. 28. num. 2. Daß diese Frage directe nicht sey von einem/ und zwar den fürnehmsten Glaubens-Articul/ die Gottheit Christi betreffent; als welche sonst auß beeden Testamenten (wiewol auß dem Neuen klärer/ denn auß dem Alten) erwiesen werden kan; sondern nur von dem eigendlichen Wortverstandt etlicher Texte der Schrifft Altes Testamentes. Daß in Außlegung solcher und dergleichen Texten ein Christlicher Interpres den andern/ da der grund deß Glaubens beyderseits gestanden und bekennet wird/ wegen wiedriger meinung/ als falscher Lehre zugethan nicht **verwerffen** (NB. non Rejicere,) noch verdammen/ sondern daß jeder seine Meinung/ dafern Er sie probabili ratione erweiset/ frey gelassen/ und zu künfftiger mehrer erleuchtung Gottes/ ja gar bis zu jenem seeligen Leben verspartet werden sol.

PUNCTUM VII.

Vide Apolog. Aug. Conf. artic. 1. p. 50. & Catech. major. p. 410. Text. 23. & 100.

Profitemur & docemus, unam esse essentiam divinam individuam, & tamen tres esse distinctas personas, ejusdem essentiæ divinæ, & coæternas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, aliterque sentientes extra Ecclesiam Christi, & idololatras esse, & Deum contumelia afficere, *quales sunt Iudæi & Muhametani*.

Rejicimus eos, qui docent, Iudæos & Muhametanos ab idololatria esse alienos.

Ita docet D. Fridericus Ulricus Calixtus in Exercitatione de Deo

Deo divinisque attributis, habita Helmestadi, die IX. Apr. cIↄ Iↄ cLII ubi §. 57. ſic ſcribit: Iudæi certè, quod nemo ignorare poteſt: ex quo è Babylone reduces facti ſunt, ab omni Idolorum cultu plane abhorruerunt. Muhametani etiam unum & ſolum Deum divino & religioſo cultu adorandum & proſequendum eſſe, pariter urgent & profitentur. Hinc itaque ſcripſit alicubi Venerandus Parens, Iudæi & Muhametani ab idololatria alieni ſunt. Idem ſenior in deſiderio & ſtudio Concordiæ Eccleſiaſticæ §. 2. ſtatim ab initio Wiederlegung / Num. 48.

EXAMEN ET DISCUSSIO

PUNCTI VII.

Initio notandum, Apologiæ Auguſtanæ Confeſſionis in margine citatæ temerariam manum iterum intuliſſe D. Calovium additione verborum *quales ſunt Iudæi & Muhammedani.* Quos ab idololatriæ crimine abſolvere B. Parentem meum, tum è locis à D. Calovio citatis, tum aliunde quoque liquet. Nempè Diſputatione de Veritate Religionis Chriſtianæ ante annos ſex & triginta, Chriſti ſcilicet nati 1633, habita, ita ſcripſit. *Ab idololatria abhorrentes* (Religiones Iudaica & Muhammedana) *non niſi unum Deum, conditorem cœli & terræ venerantur.* E quibus facilè intelligi arbitror, quo ſenſu verba iſta accepta, & quo modo ab idololatria hos homines immunes cenſeri velit: nempè à propriè ſtricteque dictâ, per quam idololatræ ſunt, qui præter unum Deum creatorem cœli & terræ idola colunt. Nemo hiſce per complures annos contradixit. Poſteaquam autem de Deſiderio & ſtudio concordiæ Eccleſiaſticæ Diſſertatiunculum edidit, quâ *Iudæos ac Muhammedanos ab Idololatriâ alienos eſſe* repetere ei viſum, aſſertionem hanc exagitare & tanquam cum Apologiâ A. C. pugnantem traducere ceperunt illi, qui à concordiâ Eccleſiaſticâ tantopere abhorrent, ut ne deſiderium quidem ejus ferrepos-

re possint, sed eò tendentes meditationes, à diabolo inspiratarum cogitationum instar habent. Opposui tunc iratis objectionibus istis nonnulla quæ leguntur in calce Disputationis meæ de Deo & attributis Divinis, ab Auctore Consensus citatæ. Hoc autem potissimum tunc egi, ut ab intentatâ accusatione, quasi Apologiæ A. C. contradiceret, Parentem liberarem. Idololatriæ igitur vocem latè patere, & Iudæos ac Muhammedanos non ab omni, sed à crassissimâ & propriè dictâ Paganorum idololatriâ tantùm absolvi, adeoque alio sensu pro idololatris cum Philippo, Apologiæ auctore, haberi posse ostendi. Vix lucem adspexerat ista commentatio, quum in eam involans D. Calovius, me pariter atque Parentem meum ceu *Advocatum atq; Patronum Iudæorum ac Muhammedanorum in puncto idololatriæ* per calumniam traduceret, & publicè proclamaret. Ast ego, quod rationibus & argumentis hominem ad meliorem mentem deductum iri, desperarem, ne verbum quidem regessi, nisi quod ante quinquennium & quod excurrit, Assertionem Divinitatis Christi publico donans, confictæ illius *Advocaturæ* & ridiculi *Patrocinii*, non tamen nisi obiter saltem, & absque omni acerbitate, mentionem feci. Quum etiam è piè defuncti Parentis ore me aliquoties accepisse recordarer, constituisse se, ut in iteratâ editione *Studii & Desiderii concordiæ Ecclesiasticæ*, scriberetur: *Iudæi & Muhammedani ab Idololatriâ*, QVALI GENTES OBNOXIAS IAM DIXIMVS, *alieni sunt*; (si vel isto loquendi modo ad mentem ejus percipiendam hostes adduci possint) quod morte præventus præstare non potuit ὁ μακαρίτης, ego exsequutioni mandavi & posteriorem editionem, anno 1658 è typopraphiâ meâ emissam, dicto modo adornavi. D. Calovius igitur quum Præfatione, quâ se emeriti hujus Consensus auctorem non obscurè profitetur, ea quæ *Syncretismo à D. Calixto consecrata sint*, *iterum iterumq;*

iterumq́; sub prælum revocari, ſeſe *videre atque lugere* conqueratur, hoc quoque ſcriptum eâ quam dixi additione & admonitione ad Lectorem auctum prodiiſſe, dubio procul vidit. Si vidit neque tamen ita monitus reſipuit, credendum quod cor ejus obduraverit Deus atque in reprobum ſenſum eum dederit. Non ero igitur operoſus in refutandis, quæ hanc in rem vel modo objiciuntur vel olim objecta ſunt, oportuniori tempori iſta reſervans: unum tamen nodum D. Calovio interim ſolvendum nunc exhibeo.

Philippus Melanchthon in Apologia ad Art. I. A. C. in quo de myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis agitur ita ſcribit: *Conſtanter affirmamus aliter* (de Trinitate) *ſentientes extra Eccleſiam Chriſti & Idololatras eſſe, & Deum contumeliâ afficere.* Sub hac igitur indefinitâ, hanc quoque particularem Calovius vult contineri, quod Iudæi & Muhammedani non agnoſcant verum Deum, adeoque ſint Idololatræ. Aſt B. Lutherus noſter Catechiſmo Majore ad Art. III. Symb. Apoſtolici pag. 503. haud paulo aliter & ita inquit; *Quicunque extra Chriſtianitatem ſunt, ſive gentiles, ſive TURCAE, ſive IUDAEI, aut falſi etiam Chriſtiani & hypocritæ, quanquam UNUM TANTUM VERUM DEUM ESSE CREDANT ET INVOCENT; neque tamen certum habent, quo erga nos animatus ſit animo &c.*

Ex hiſce Divi Lutheri ego verò rectius quam Calovius è Philippi verbis infero: Quicunque unum tantum verum Deum eſſe credunt & invocant illi non ſunt idololatræ: Atqui, diſertè fatente B. Luthero hoc faciunt Turcæ & Iudæi; Ergò Turcæ & Iudæi non ſunt Idololatræ, quod probandum erat. Agnoſcat nunc errorem ſuum D. Calovius, & fateatur, per idololatriam Philippum non intelligere propriè dictam, ſed talem quâ etiam Turcæ & Iudæi, qui juxta ipſum Lutherum *unum tantùm verum Deum eſſe credunt & invocant*, comprehendi poſſint: aut Libros ſymbolicos apertis contra-

 dictio-

dictionibus collidi, admittat. Quod si etiam ab Apologiâ Augustanæ Confessionis, ipsum Confessorum promachum & magistrum B. Lutherum rejectum non vult, quantocius revocet in Calixtos latam rejectionis sententiam. Putaverim quoque nos omninò rectè juxta Catechesin Lutheri interpretari Apologiam Philippi, de qua sic lego apud Hutterum in Irenico adversus Pareum Capite IV. *Etsi Apologiam pro ut primùm in ipsis Comitiis conscripta, & Imperatori offerri debuit, sed accepta non fuit minimè improbamus, aut ejus decisionibus definitionibusque stare recusamus: quia autem ea, uti jam dictum, ab Imperatore non accepta: & postmodum à Philippo domi privatim inter imprimendum multis in locis aucta, locupletata mutata fuit: quemadmodum ipsemet in Præfatione Apologiæ ultrò fatetur: certè non eandem ea cum Confessione ipsâ autoritatem obtinere potest.*

ARTICVLVS II. ET XIX. AVGVSTANÆ CONFESSIONIS DE PECCATO, EIVSDEMQVE CAVSA, ET QVÆ EI FVIT OPPOSITA IMAGINE DIVINA.

PVNCTVM I.

Vid. Apolog. Aug. Conf. art. 2. pag. 53. 54. 58. & Epit. repetitionem seu declarationem art. pag. 610. 642. 643. Teut. fol. 55, 258, 261.


Rofitemur & docemus, justitiam originalem, ad quam primi parentes à Deo fuerunt conditi, eis fuisse concreatam, id est, naturæ implantatam, tanquam perfectionem debitam, adeoque per creationem in homine sapientiam & justitiam effigiatam esse, quæ Deum apprehenderet, & in qua reluceret Deus, *ita ut naturâ suam bonitatem & vires*, etiam in spiritualibus rebus habuerit, ac tota bona, ac pura fuerit & in suis naturalibus, hoc est in potentiis & viribus suis naturalibus perfecta & integra, Gen. I. 26. 27. Col. III, 10, Eph. IV, 24.

Reijci-

Rejicimus eos, qui docent, protoplastum in tali statu conditum fuisse, in quo vera Dei agnitio, imago sapientiæ & justitiæ Dei, ut & vires in spiritualibus aliquid cognoscendi, vel Deum diligendi, nullatenus ad concreatam perfectionem & vires ipsi naturales pertinuerint, adeoque statum aliquem purorum & merorum naturalium, quæ vocant, hic comminiscuntur ante lapsum, qualis forte in nobis secundum naturam post lapsum corruptam assignari possit. Ita docet D. Georgius Calixtus in Epit. Theol. p. 94 & 95. hisce verbis: Sed ut hæc rectius intelligantur, eoque plenior & distinctior subjecti nostri cognitio habeatur, proponemus particulatim, quæ naturalia, quæ itē supernaturalia in homine sunt, sive quid & quantū in statu purorū naturalium, sibi relictorum, potuisset, quid in statu supernaturalium sive innocentiæ potuerit, unde postea quoque elicietur, quid nunc, amissis supernaturalibus, in statu peccati, sive corruptionis posit. Quæ autem ipsi videantur esse ita pura puta naturalia, ibidem indicat, eaque octo ordine recenset. *Exercitatione de peccato originali*, Anno 1649. die 29. Decemb. Helmstad. habita, ita de iis disserit th. xv. Dotes, quæ naturæ opus, & vires excederent: aliæ corrigebant, quæ corpori, nisi prohiberetur, incommodarent, aliæ verò removebant obstacula, & impedimenta, rectarum actionum. Hæc ita junctim sumpta constituebant in primo nostro parente justitiam, quam originalem solemus appellare. Et th. 22. Observandum autem, si Deo placuisset, conditum hominem in statu merè naturali relinquere, & ad sublimiorem non evehere, sive ad consequendum supernaturalem finem medijs ejusdem generis, non instruere, tum nasci cum concupiscentia ad motus & impetus Rationi adversos proclivi nullum fuisset peccatum. Idem dicendum de ignorantia mentis, & voluntatis inordinata ad bonum caducum conversione, quatenus in primo homine ad supernaturalem finem destinato, per supernaturalia dona removebantur, sive corrigebantur. Horum enim carentia vitio dari, vel peccatum haberi non potuisset, si homo in statu merorum naturalium relictus consequendo sublimiori fini destinatus, & aptatus (non) fuisset.

EXAMEN ET DISCUSSIO PUNCTI I.

PRo iisdem hic habet Autor Consensus quæ sunt diversissima. Confundit scilicet *concreatam perfectionem* & *vires homini naturales*. Atque hinc nascitur illa apparens contradictio. Qui negarent esse quandam concreatam primi hominis perfectionem, Scripturæ sacræ contradicerẽ, in terminis affirmanti, *Deum creasse hominem ad imaginem & similitudinem suam*, quæ est perfectionis, qualis in hominem cadere potest, summa. Prodiit utique primus homo cum concreata perfectione & quidem summâ. Ast si perfectionem hanc non naturalem sed supernaturalem fuisse aliqui affirmaverint, Scripturæ naturalem eam nullibi vocanti, non contradixerint. Quando verò imaginem Dei ad quam homo conditus est, naturalem fuisse negamus, per τὸ *Naturale* non intelligimus omne id quod cum natura incipit & cum ea quoquo modo propagatur, sed illud tantum, quod est essentiale aut essentiam consequitur. Priori modo si vox *Naturalis* accipiatur, non tantùm imago Dei olim, sed & hodie peccatum originis, quid? etiam Nobilitas quæ quibusdam hodie connascitur, naturalis dici poterit. In posteriori autem, strictiore & propriè dicta significatione accepta voce, impossibile est imaginem Dei fuisse naturalem; aut enim tunc Adamus eam non amisisset, aut post amissam non fuisset idem specie homo, qui erat antea. Pelagianis igitur contendentibus, hominem per lapsum nihil amisisse, nec *vel quo ad corpus vel quo ad animam in deterius commutatum esse*, quum naturalia sive essentialia, salva manente hominis essentia amitti non potuerint, obviam ituri Præceptores nostri, Adamum per lapsum non naturalia sed supernaturalia amisisse dixerunt: accipientes vocem naturalis in propria Philosophis usitata significatione, qua idem est quod essentiale aut essentiæ consequutivum.

Gen. 1, 27.

D. Ca-

D. Calovius & complices qui impropriam vocis naturalis acceptionem, propriæ & strictiori præferunt, viderint quid responsuri sint Pelagianis ita objicientibus. Si homo per lapsum aliquid amisit, fuit id ipsum vel naturale vel supernaturale: Sed non amisit quoddam supernaturale (tale enim juxta ipsos imago Dei non fuit) nec aliquod naturale, quia tale, salva essentia, amitti non potuit. Ergo homo per lapsum nihil amisit. Ad hoc argumentum si respondere velint, neq; tamen supernaturalia admittere, fateri eos oportet, quod naturalia latius quam oportebat, accipiant, in significatione scilicet impropriè dicta. Hæc igitur liticula, quam meram λογομαχίαν esse quisque videt, quum componi facile possit, adhibita distinctione inter Naturalia stricte & proprie, ac late & abusive accepta; quo jure quave injuria alterutram partem propter levem, de nuda verborum significatione dissensum ab Augustanæ Conf. consortio reijciat Calovius, aliis æstimandum relinquo. Quid opus est multis? Ipse tàm hujus quàm Papisticæ Matæologiæ Auctor, velit nolit, nobiscum consentire cogitur. Sic enim loquitur Sectione II Controversia I initio. *Nos vero, quanquam non denegemus protoplastis, dona supernaturalia, quale erat gratiosa Dei inhabitatio, nec vel justitiam originalem, vel immortalitatem PARTEM NATURAE fuisse, aut è naturæ principiis fluxisse asseramus; nec immortalitatem primo homini debitam vel non gratuitam statuamus, quæ omnia per calumniam nobis imputantur; Naturalem tamen fuisse & intrinsecam hominis perfectionem, justitiam originalem, ut & immortalitatem, quia poterat non mori, seu immunis esse à morte, EO SENSU adstruimus, quo naturale quid dicitur* subjectivè *quod penitissimè inhæret*, perfective *quod eam intimè perficit, ut &* transitivè, *quod cum natura simul in alios propagari potest.* Has verò posteriores vocis τῆ *Naturalis* acceptiones, nec nos plane repudiamus, etsi illas minus proprias esse statuamus.

Sed ad Censoris nostri solenne illud *Reÿcimus* revertimur, sub quo complectitur etiam eos: qui *statum aliquem purorum & merorum naturalium, quæ vocant, hic COMMINISCVNTVR ante lapsum.* Imitatus mihi visus est gener socerum, qui Breviarii Disputatione III Th. ultima, *Pura* inquit *naturalia hohominis integri, sunt purum COMMENTVM nec enim extiterunt unquam.* Iuxta hunc igitur, *pura commenta* fuerint quæ seorsim extiterunt nunquam. Ita verò naturæ universales, ut hominis, animalis, quæ seorsim non extiterunr unquam; quantitas item extra materiam considerata, mera essent commenta; &, quum de talibus detur Scientia, scientia illa de meris esset commentis, quod utique est absurdum. Oppidò autem fallitur, quando talem purorum & merorum naturalium statum, *forte in nobis secundum naturam post lapsum corruptam* (vel, ut lineâ præcedente scripsit *ante lapsum*) *aßignari posse* arbitratur. Status enim secundum naturam corruptam, non est status pure & mere naturalis, quippe in quo homo ne momento quidem fuit, neque ante neque post lapsum. Non ante lapsum, quia ad imaginem Dei & cum donis supernaturalibus est conditus. Non post lapsum, quia tunc peccati tenebris momento involutus est nec mera naturalia manserunt. Quantumvis verò in prædicto statu neque ante neque post lapsum fuerit homo, non tamen culpari debet, qui illos status distinctè considerat; nec nisi distinctioris cognitionis ergo, sive *ut plenior & distinctior subjecti cognitio habeatur, sese particulatim propositurum quæ naturalia quæ item supernaturalia in homine sint,* Parens in Epitome Theologica jam dudum est professus. Talis nempè particulatim suscepta & ab eo, absque quo res aliqua seorsim non existit, præcisa consideratio haud infrequens est tùm Theologis tùm Philosophis. Hi distinctioris cognitionis ergò, materiam à forma, quantitatem ab omni figura præcisam contemplantur. Illi relatio-

nes &

nes & attributa Divina ceu ab essentia distincta expendunt, licet nunquam seorsim ab essentia extiterint. Quod si verò etiam illa quæ ab essentiâ Divinâ ratione tantùm differunt recte seorsim considerantur; quid ni diversi hominis status qui ab hominis essentia realiter differunt, rectè quoq; seorsim considerentur? Hæc puto talia & tam aperta esse, ut si absit morositas non possint repudiari.

PUNCTUM II.

P*Rofitemur, & docemus*, quod renovatio & perfectio, quæ à renatis requiritur, & ad quam ipsi ope Spiritus Sancti adspirant, imaginem Dei *reparare conetur*, eamque quodammodo in homine restituat; ipsa tamen in statu isto felici & intaminato ista omnia eminenter & perfectè complexa fuerit, *quodque ipsa natura initio pura, bona & sancta creata sit, & in suis naturalibus perfecta & integra, etiam quoad res spirituales: non verò integritas, perfectio, bonitas & sanctitas illa donum supernaturale externum, seu adventitium fuerit.* Ita loquitur ipse Calixtus in Epit. Theolog. p. 99. & 10.

Rejicimus eos, qui docent, justitiam originalem primi hominis, congenitam quidem fuisse tempore naturæ hominis protoplasti; fuisse tamen supernaturalem non innatam, nec implantatam: congenitam fuisse, non ingeneratam: sed superadditam, instar freni, naturalem rebellionem compescentis.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Epitome Theologiæ pag. 94. 97. 98. 99. 100. 101. Toties namque vocat dona supernaturalia, dotesque supernaturales, quoties ferè justitiæ originalis facit mentionem. Imprimis autem notatu digna sunt verba; nempe hæc: Porro imago illa Dei, quam homo in lapsu amisisse dicitur, non fuit naturalis, fluens aut dependens ex naturalibus principiis; (alioquin naturalem dicere potes, si nihil aliud intelligas, quam cœpisse, sive ab ipso ortu & origine naturæ fuisse) sed supernaturalis peculiari Dei dono concessa justitia, innocentia & integritas. Idem exercit. de peccato originis th. LXII. Quia in posteris Adami non est donum & axioma illud supernaturale Adamo collatum; naturam eorum relinquit, qualem diximus: (in statu mere naturali futuram fuisse) nempe intellectum impotentem cognoscere, voluntatem inordinate

natè conversam, & aversam, & appetitum rebellem, sicut equus, quamdiu adest frenum, & sessor, facit officium, rectaque via graditur: quamprimum abscesserint, non per ferociam aliunde, aut de novo superadditam, sed per suam ipsius indolem exorbitat, & suo impetu fertur; sic etiam potentiæ humanæ destitutæ justitia originali. Nec aliter D. Conradus Horneius dissertat. Theol. 5. §. 62. verba sunt hæc: Nec naturalis tantum illa cognitio fuit: ita enim amitti salva hominis essentia non potuisset; fuit ergo supernaturalis, sicut & illa est, quæ per gratiam instauratur. Quod etiam sic probatur: Vt hodie renovamur, ita olim eramus conditi; at renovamur per dona gratiæ; E. cum iis eramus conditi: Item: Qualis imago Dei nunc instauratur, talis est deperdita. Sed supernaturalis instauratur: E. talis est deperdita. Idem argumentum urget Dreierus in der gründlichen Erörterung/pag. 157. Si cognitio mysteriorum divinorum, justitia & sanctitas Deo placens, hodie naturalia dona non sunt; uti revera non sunt; neque ante lapsum, in statu innocentiæ naturalia dona esse potuerunt hoc modo: Vt natura (hominis perfecta) ea producere, eaque ex natura promanarint, sed spiritualia dona fuerunt, eopse tempore excitata in homine, per supernaturalem influxum Spiritus sancti, qualia hodieque sunt. h.e. Ist aber itzo die Erkentnis Göttlicher Geheimnis/Gerechtigkeit und Heiligkeit/die Gott gefällig ist/keine natürliche Gabe/wie es warhafftig nicht ist/so können diese Gaben auch für dem Sündefall im Stande der Vnschuld nicht natürliche Gaben gewesen seyn/dergestalt/daß die Natur sie gewircket hätte/und sie auß der Natur hergeflossen weren/sondern es sind geistliche Gaben dazumahl gewesen/auß übernatürlicher Wirckung des heiligen Geistes im Menschen erwecket/wie es noch itzo seyn.

EXAMEN ET DISCVSSIO

PVNCTI II.

Alia hic D. Calovius incedit quàm alias consuevit via. Nempe præteritis libris Symbolicis *Profitetur & docet* aliquid cujus doctrinæ initium in D. Calixti Epit. Theologica cernitur. *Reÿcit* autem atque istis opponit alia Calixti verba, quæ alibi tùm in eadem Epitome tùm in disputatione de

ne de Peccato Originis exstant, persuasurus ita incautoribus, rectè sapere in uno loco Calixtum, errare in altero. Verùm sicut alias vocum æquivocatio contradictionem tollit, ita hic quoque omnis apparens contradictio, evoluta æquivocatione, evanescet. Etenim ludit Calovius meris vocum æquivocationibus, veritatis studioso indignis. Fuit justitia originalis primi hominis, ei naturalis, fuit eadem supernaturalis, prout terminos exposueris. Naturalis fuit impropriè accepta voce, supernaturalis si propria, Scholasticis usitata significatio relinquatur, & vocibus cum Philosophis (ad quos pertinent) rectè uti velimus. Nullibi autem sic loquitur Calixtus *congenitam* fuisse justitiam illam, *non ingenitam*, *non innatam*, *non inplantatam*. Nescio quî Calovius inusitatis hisce vocibus modisque loquendi delectetur. Certum est justitiam istam de essentiâ primi hominis non fuisse, nec ex essentia necessariò promanasse. Et hoc sensu bene dici potest quod *externa* sit, & *adventitia*, etsi non meminerim an priore voce ullibi, certò autem sciam, posteriore nullibi usum D. Calixtum. Atque ob eandem modo datam rationem, originaria illa justitia, non, naturalis i. e. essentialis, sed supernaturalis rectè dicitur, quod ipse D. Iacobus Martini agnovit, probans alicubi Patrum Scholasticorumque sententiam, qui terminum *Supernaturalis*, illi de quâ agimus justitiæ applicarunt & de eâ illum prædicarunt. Locorum enim Theologicorum loco Generali de Theologiæ constitutione, impressorum Wittebergæ anno 1620, Disput. III, thesi CXI ita scribit: *Notum est illud in vulgo (quod* OPTIME *dixerunt orthodoxi Patres, horumque vestigia prementes tradiderunt quidam Scholastici) naturalia dona* (post lapsum) *corrupta esse*, SVPERNATVRALIA *amissa*. Sic quidem ille. Per *Supernaturalia* autem *amissa* Scholasticos *justitiam originalem*, intelligere notissimum est, & videri

deri potest apud Bellarminum de Gratia primi hominis, libro unico cap. v, sub initium.

Porro quia supernaturalis fuit justitia originalis, quid ni *freni superadditi instar*, dicatur fuisse? quo compressa fuerit contraria appetitus sensitivi erga voluntatem inclinatio, quæ SI (conditionaliter loquor) homo à Deo primitus in meris naturalibus, hoc est, illis quæ præcisè essentiæ ejus debentur, & è positâ essentiâ necessariò resultant, conditus, & in iis relictus fuisset, abesse non potuisset. Neque tamen talis facultatis inferioris ad contrariandum superiori inclinatio, quæ hodie prava est & peccati rationem habet, ad peccatum imputata tunc esset, quia Deus, in tali statu, ejus absentiam nullâ lege requisiturus fuisset. Ista qui æquâ expendit lance, affectibusque non est præoccupatus, & tantùm terminorum ὁμωνυμίαν intelligit, Calovium nodum in scirpo hic quærere facile animadvertit.

PVNCTVM III.

Form. Concord. pag. 643. Teut. 26.

PRositemur & docemus, quod natura hominis in Adamo & Heva initio pura, bona & sancta, *adeoque sine rebellione appetitus sensitivi* creata fuerit.

Rejicimus eos, qui docent, naturam hominis conditam esse cum rebellione, ita ut appetitus sensitivus naturaliter decertarit cũ judicio mentis, & cum lege membrorum rebellante legi mentis.

Ita docet Calixtus in Epitom. p. 95. *Appetitus sensitivus naturaliter fertur in bonum jucundum, judiciumq; mentis, quæ novit honesta jucundis præferenda esse. sæpè anteverit, sæpe cum eo decertat. Item Exercitat. de peccato origin. th. XVII. summa huc redit, intellectum Adami lapsi ignarum fuisse Dei, quatenus eum cognosci ad salutem est necessarium: voluntatem fuiss à Deo aversam, & ad bona terrena & caduca inordinatè conversam: appetitum autem rebellem jussa rationis nec exspectâsse, nec auscultâsse. Tales fuerunt Adami peccatoris mens, voluntas & appetitus, quoad NATVRAM SIBI RELICTAM, nec aliter se habere potuerunt, nisi vitia ista naturæ inhærentia, ac NATVRALITER INSEPARABILIA, supernaturalibus gratiæ donis excuterentur.*

Quod

Quod autem talis etiam fuerit in statu merè naturali, disertè docet Calixtus thes. XXII. hæc adjiciens: in eodem *concupiscentiam, ad motus & impetus rationi adversos proclivem, ignorantiam mentis, & voluntatis inordinatam ad bonum caducum conversionem, quæ corrigenda vel removenda fuerint per dona supernaturalia.* Et tractat. de pactis, quæ Deus cum hominibus iniit, thes. VI. *Nihil magis voluntatem, quum ab ea bonos, justos & legitimos actus præstari oportet, impedit & remoratur, quam quod appetitus sensitivus si sibi relinquatur, in objectum suum, bonumque delectabile, pertinace impetu fertur, atque ita rationem sæpe antevertit, sæpe illi adversatur, & repugnat.* Et paulò post: *Lex igitur in membris rebellans legi mentis, sive impetus ille, & contumacia, vel repugnantia facultatum concupiscentis & irascentis in statu innocentiæ per donum justitiæ originalis, quam vocant, naturæ superadditum COMPRESSA, & veluti abolita erat.*

Eadem habet Drejerus, Erörterung p. 152. Inferior facultas animæ, quam homo cum bestiis communem habet, (v. g. concupiscere non solum esum, potum, somnum, verum etiam pugnam & vindictam, commixtionem veneream cum ejusdem speciei animantibus &c.) non potest aliud appetere, nisi id, quod sensibus delectabile & jucundum est; superior autem facultas animæ appetit id, quod rationi & honestati conforme est. Hæ facultates animæ pugnant invicem, secundùm naturalem inclinationem & propensionem suam &c. h. e. Der unterste Theil der Seelen / darinn der Mensch mit den unvernünfftigen Thieren überein kömpt (als nicht allein Essen und Trincken / schlaffen / cc. Sondern sich auch wehren / rechen / mit seines gleichen Thieren vermischen / rc.) begehret nichts anders / als was den Sinnen lieblich / und angenehm ist / der Oberste Theil der Seelen aber begehret / was der Vernunfft / und der Erbarkeit gemes ist / das streittet miteinander nach der natürlichen Inclination und propension dieser Kräffte der Seelen / rc.

EXAMEN ET DISCUSSIO.

PUNCTI III.

PEr g andem calumniam Calixto affingitur quasi docuerit *naturam hominis CONDITAM esse cum rebellione* appetitus sensitivi & judicij mentis. Hoc enim foret Scripturæ S. quæ

ad imaginem Dei, hoc est in justitia & sanctitate, hominem conditum esse affirmat, in faciem contradicere. Non est quod dissimulemus quæ fuerit pii viri doctrina, siquidem nihil vel cum Scripturâ vel cum orthodoxâ sententiâ pugnans illa traditur. Appetitus sensitivi rebellionem adversus rationem hominibus naturalem fuisse dixit, & si in statu merorum sive purorum naturalium (qualis actu nunquam fuit, sed quem distinctioris cognitionis ergo mente à statu donorum supernaturalium præscindimus) relicti essent, eam adfuturam fuisse. Quia verò eo in statu Deus hominem ne momento quidem reliquit, sed condidit eum ad imaginem suam & cum justitia originali, impossibile est condidisse eum cum qualitate supernaturalibus hisce donis contrariâ, quæ una cum donis illis in eodem subjecto existere nequeat. Nihil autẽ inde metuendum absurdi, si dicam, concreatam esse homini supernaturalem quandam perfectionem, per quam *naturaliter* aliàs *inseparabilis* imperfectio sive naturæ infirmitas sive *compressa*, sive correcta fuerit aut *abolita*.

Verba Formulæ ad quæ D. Calovius in margine provocat, loquuntur *de naturâ hominis* qualis *in Adamo & Heva INITIO CREATA* fuerit. Hisce opponit Calovius verba Calixti quibus non describuntur primi parentes quales *initio creati* fuerint, sed quæ loquuntur de *Adamo lapso*, de *Adamo peccatore facto*. Quantum igitur interest inter statum innocentiæ ante lapsum, & statum peccati post lapsum, tantum quoque interest inter loca è Calixti scriptis citata, & eum qui è Concordiæ formulâ adducitur. Quare impertinenter allegari & Formulæ verbis male opponi, agnoscet qui oculorum judicio uti & utrinque citata inspectione tantùm dignabitur.

Porrò non est quod Calovius ceu novum crimen alleget, *quod homo talis* (hoc est in quo rebellio appetitus erga rationem locum habitura fuisset) *in statu merè naturali fuerit*, (futu-

(futurus fuisset) *disertè docere Calixtum.* Diserte sane docuit Calixtus, talem futurum fuisse hominem in tali statu positum (in quo tamen actu nunquam fuit, ut supra satis est expositum) sed addidit, rebellionem ejusmodi tunc pro peccato non habituram fuisse Deum. Etenim homo in statu merorum naturalium relictus, ad finem supernaturalem consequendum non fuisset destinatus, atque hinc ejusmodi perfectionibus, quæ huic fini consequendo requiruntur, opus non habuisset, & porrò earum absentia inculpabilis in eo negatio futura fuisset, quæ post amissam semel concreatam supernaturalem justitiam, nunc est damnatione digna privatio.

PVNCTVM IV.

PRofitemur & docemus, hominem in prima creatione accepisse non tantum animam immortalem, quæ mori omninò non posset; sed etiam corpus non mortale, hoc est cui nulla naturalis necessitas moriendi ex compositione materiæ & formæ incumbat, sed quod ex primâ conditione aptum natum erat, ut semper perduraret, & æquale temperamentum qualitatum corporis habebat, *sicuti Apologia Augustanæ Confessionis loquitur artic. II. pag. 53, Consentientibus Mose, Gen. II. vers. 17. & Paulo, Rom. V. v. 12. VI. ult.* Apol. A.C. ad Art. 2. p. 53. & 58. & lib. Concord. p. 643 Tent. f. 25. 26. 28.

Rejicimus eos, qui docent, corpus protoplastorum naturâ suâ fuisse mortale, immortalitatem autem fuisse adeptam per donum supernaturale; imò homini, in statu etiam integritatis, fuisse naturale, morbis & morti obnoxium esse.

Ita docet D. Conradus Hornejus Dissert. Theol. 5. §. 61 *Verùm enim verò DEVS Opt. Maxim. cum primo eum (hominem) condidit, non naturalem tantum illam perfectionem, sed & supernaturalem ipsi concessit: nam primò corpori, quod naturâ suâ mortale est, immortalitatem dedit.* Et paulò post: *Nisi ergò præceptum illud transgressus esset, moriturus non fuisset, immortalis itaque erat; At non per naturam: ergò per donum supernaturale.* Nec aliter Calixtus, cum scribit: *Septimò naturale est hominem variè contingentibus casibus, doloribus, morbis* & morti obnoxium esse, in Epitom. Theol. pag. 95 Et ibid. pag. 96. & 97. *Septimò peculiaris Dei providentia hominem ab infortuniis, doloribus, morbis, & morte tutum præstitisset, in quem quoque finem condita fuit arbor vitæ, sive vivifica.*

fica. Et tractatu de pactis, quæ DEVS cum hominibus iniit, die XXIX. Quinctilis, &c. Anno 1654. Helmstad. proposito thes. xv. *Si verò humana natura sibi relicta & ultra perfectionem naturalem, quatenus talem exaltata non fuisset, mortem evitare non potuisset. Quod itaque potuit, donis naturæ superadditis, sive supernaturalibus accepto ferendum.* Exercit. de peccato orig. thes x. *Naturale est homini, ut moriatur. Si primo nihil, quod naturam superaret, collatum erat, moriendum ei fuit, etiamsi non peccaret.*

Similiter D. Christian. Dreier in gründlicher Erörterung pag. 292. Sed ad hæc (scilicet si anima generatur per naturam, etiam corrumpitur per naturam, quemadmodum corpus corrumpitur per naturam, quia generatum est per naturam (facilis est responsio: quia homo in statu innocentiæ non erat immortalis per naturam, sed per divinam gratiam, quæ protoplasto ad perfectionem suam addebatur, uti superius docuimus, (pag. 174. & seqq.) mortalis erat per naturam, non quidem instituentem, sed non repugnantem. Nam homini non proxima quidem, sed remota potentia ad moriendum indita erat; animæ autem nulla ad moriendum potentia indita, sed vi naturæ suæ immortalis est, h. e. Aber darauff ist leicht zu antworten. Denn der Mensch war im Stande der Unschuld nicht unsterblich per naturam, durch die Natur; sondern per gratiam, durch die Gnade Gottes/ so dem ersten Menschen zu seiner Vollkommenheit gegeben war/ wie droben 174. seqq. gelehret; Er war sterblich/ per naturam non quidem instituentem, sed non repugnantem. Denn der Mensch hatte dazumahl zwar nicht die proximam, aber doch die remotam potentiam zusterben/ die Seele aber hat gar keine potentiam zusterben/ sondern ist von Natur unsterblich.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI IV.

PHilippus Melanchton in Apologia A.C. ad justitiam originalem inter alia quoque refert *æquale temperamentum qualitatum corporis*; de hujus autem immortalitate quæstionem, utrum protoplastis naturalis an supernaturalis fuerit, neque hic neque paginâ citatâ 58 dirimit, neque liber Concordiæ loco

loco allegato eam attingit. Hisce tamen fundamentis, reapse figmentis, suum *Profitemur & docemus* superstruit D. Calovius, & iisdem nixus *Reiicit eos, qui docent, corpus protoplastorum naturâ suâ fuisse mortale, immortalitatem autem fuisse adeptam per donum supernaturale, imò homini, in statu etiam integritatis, fuisse naturale, morbis & morti obnoxium esse*. Ut de posteriore prius agamus, Calixtum vel Horneium unquam docuisse, *in statu etiam INTEGRITATIS* homini *fuisse naturale morti OBNOXIUM esse*, planissimè est falsum. In verbis eorum quæ hic adducuntur, præsertim si integra in suis sedibus expendantur, conspici id ipsum certè non potest. Prædita quidem fuerunt corpora protoplastorum potentia ad moriendum, siquidem specie non fuere diversa ab iis quæ hodie circumferimus, ast non fuere morti obnoxia; etenim *τὸ obnoxium esse morti*, moriendi necessitatem involvit, à quâ immunia illa præstabat donum quoddam supernaturale, nempè vis præservatrix ab actuali corruptione, animæ Divinitus indita, & arbor vivifica.

Priorem quæstionem quantũ attinet, utrum nempè *corpus protoplastorum naturâ suâ fuerit mortale*, & num *immortalitas sit adepta*, ut Calovius loquitur, *per donum supernaturale?* hujus inquam quæstionis solutionem, ex acceptione terminor. *naturalis* & *supernaturalis* dependere palàm est. Si propriè sumantur voces, quemadmodum eas sumunt Calixtus & Hornejus, immortalitas donum fuerit supernaturale, pertinens ad perfectionem primi hominis, non quidem in genere morum sed in genere naturæ. Tale autem donum immortalitatem fuisse, hinc liquet, quod peccando homines eam amiserunt, quod salvâ manente eorum essentiâ fieri non potuisset, si naturalis fuisset, i. e. essentiam ejus vel constituisset vel consequuta esset; quo sensu terminum hunc se acceptum velle, exponit B. Parens meus Disput. de Peccat. Originis Thesi XI. Porrò si immortalitas corporis protoplastorum fuit donum supernatu-

naturale, ei opposita mortalitas protoplastis sine dubio fuit naturalis. Constitit nempè corpus illud ex elementis contrariantibus inter sese qualitatibus præditis, quæ natura sua involvunt potentiam ad corruptionem. Neque etiam abesse ea potuit in statu integritatis, etsi tunc fuerit remota non proxima, nisi per absurdum largiri velimus, primorum parentum corpora specie à nostris fuisse diversa. Specie quippè differt immortale corpus à mortali, si immortalitas illa causis intrinsecis accepta feratur, quod facere coguntur illi qui naturalem eam fuisse contendunt. Aliàs, si homo, non tantùm ut homo, sed ut in statu integritatis constitutus consideretur, haud negamus, non minus de ejus essentià fuisse tàm quo ad corpus quàm quo ad animam esse immortalem, quàm de natura & essentia hominis Philosophi est, esse eruditum. Quod si tamen ista mentis Præceptorum nostrorum in Domino quiescentium declaratio, nondum satisfacit D. Calovio, sed reijciendi nihilominus sunt qui docent, *CORPVS protoplastorum naturâ suâ fuisse mortale, mortalitatem ademptam fuisse per donum supernaturale* (corpori non essentiale) reijciendus quoque erit D. Fridericus Balduinus Theologus Wittebergensis, qui Commentario in Epist. ad Rom. ad Cap. v. parte 11. qu. 2. pag. 365 editionis in quarto anni 1611, ita scribi: *Concedimus corpus hominis constare contrariis qualitatibus, mutuo pugnantibus ex quibus tandem necessariò sequitur destructio mixti, & sic CORPVS* (hominis) *ante lapsum, tanquam compositum ex elementis NATVRALITER INTERITVI OBNOXIVM non negamus.* Addit autem Balduinus, *hominem non tantùm corpore constare sed & animâ, quæ anima illam à Deo habuerit virtutem, vim & potestatem, ut conservare potuerit corpus à perpetuâ corruptione, si ipsa Dei præcepto fuisset subjecta, accedente præsertim ligno vitæ, cujus usus robur & corpus mirificè vegetare, & usque ad terminum suæ transmutationis absque morte, sustentare potuisset.* Ista Balduinus. Hæc verò *vis virtus, & potestas*

stas animæ, quæ corpus à corruptione præservare potuisse dicitur, una cum *ligno vitæ* vocantur DD. Calixto & Horneio *donum supernaturale*, quod protoplastis in statu integritatis constitutis mortalitatem seu propinquam ad mortem potentiam ademerit. *In hunc* nempè *finem conditam fuisse arborem vitæ, sive vivificam*, scribit Calixtus in Epit. Theolog. p. 96. ab adversario ipso citata. Et D. Horneius iis quæ Auctor Consensus è Disp. ejus Theol. v. §. 60. excerpsit, statim subjungit quæ ita habent: *Deus statuerat arborem vitæ in Paradiso, cujus fructus vitam in perpetuum conservare poterat, sicut colligimus ex illo Genes. III, 22.* Neque Philippus in Apologiâ *æquale temperamentum qualitatum corporis* obtinendæ immortalitati datum allegans, dona divinitus naturæ concessa à Balduino commemorata, excludit, adeoque cum post sequutis Ecclesiæ Dd. Balduino, Calixto, Horneio & aliis, qui cum hisce faciunt, conciliari facilè poterit, siquidem immortalitatis toties dictæ, præter cæteras, aliam tantum affert caussam in medium.

PUNCTUM V.

P*Rofitemur, & docemus*, causam peccati esse voluntatem malorum, videlicet diaboli & impiorum, quæ non adjuvante Deo, avertit se à Deo; sicut Christus ait, Ioh. IIX. vers. 44. *cum loquitur mendacium, ex seipso loquitur. Quare etiam Deus causa peccati nec est, nec dici potest, vel indirectè, vel impropriè, vel per accidens, quia causa per accidens etiam audit causa, nosque decet cum matre Ecclesia & rectè sentire, & formam sanorum verborum citra scandalum observare.* Aug. Conf. art. 19. & ejusdem Apolog. art. eodem.

Rejicimus eos, qui docent, Deum causam peccati esse indirectè, impropriè, & per accidens.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Epitome Theol. pag. 133. ubi scribit: *Aliô modô intelligere possumus, Deum Causam peccati esse indirectè, impropriè & per accidens.* Similiter ea de re disputat idem Calixtus in Thesibus de providentia Dei, §. 39. 40.

Adde eundem Calixtum in appendice Dissertat. de Mysterio Trinitatis §. 13. It. in der Verantwortung auff das Churfürstl. Sächsische

Schreiben/ⁿc. §. 4. In der Antwort auff D. Johann Hülsemanni meisterliches Muster/ §. 75 Et conjunctim idem Calixtus atque Horneius in Apolog. contr. Busch. part. 2 pag. 292. Vbi causam per accidens germanice vertunt eine Scheinursach/ cum aliud sit causa apparens, aliud causa per accidens. Similiter D. Christian. Dreier tract. de sanctitate Dei. passim, & in gründlicher Erörterung quæst. 1. de Deo & Trinitate pag. 34. seqq.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI V.

DOcet Augustana Confessio ejusdemque Apologia locis citatis quænam sit vera peccati causa, quam *per se* talem Philosophi vocant. Vtrum autem impropriè accepto vocabulo causæ, etiam aliis quam *voluntati malorum diaboli & impiorum*, tribui illud possit, non disputat. Ne igitur posteriora Calovii verba tanquam à Confessoribus dicta aliquis accipiat, aliis à prioribus diversis characteribus excudi ea fecimus.

Itaque non renuit vel Confessio ipsa, vel Philippus in Apologiâ, quo minus vocabulum *causæ* si addatur ei particula *per accidens*, alienans & omnem vim causandi tollens, Deo quoque in ordine ad peccata, tribuatur. Ratio quam Calovius affert quare Deus causa peccati dici non possit *vel indirectè, vel impropriè vel per accidens, quia videlicet causa per accidens etiam audit causa*, plane inepta est. Eodem enim modo qui scortum diceret virginem defloratam, diceret eam, juxta Calovium virginem; & qui statuam diceret hominem lapideum, diceret hominem; & Scriptura quando diabolum dicit *Deum hujus seculi*, diceret eum esse Deum, quia scilicet Deus hujus seculi, *etiam audit Deus*.

Deinde hoc quoq; notari meretur, D. Calov. citare verba Epit. Theologiæ juxta editionem priorem, qualis ab auditoribus dictantis mentem non semper assequutis, inscio & invito Auctore divulgata est. Ignorare tamen non potest, Auctorem

rem ipsum in Apologiâ contra Buscherum pag. 306. monuisse, pro voce *Dici*, per hallucinationem irrepsisse in Epitomen τὸ *Esse* & hinc recentiores editiones aliter habere, atque in eâ, quæ ante quadriennium circiter in ampliore forma è meo prodiit Typographeo, ita legi: *Alio modo intelligere possumus Deum causam*, non esse, sed *DICI peccati NON NISI, indirectè, impropriè, OCCASIONALITER & per accidens.* Ista tunc piæ recordationis Parens meus, ante annos plures quàm quadraginta dictavit. Ipse Epitomen nec recognovit nec edidit, nec unquam postea ullo in scripto ea loquutione usus est. Ex eo tamen nunquam defuerunt qui pium Virum accusarent, quod Deum faceret peccati causam, quum tamen ille potius ne faceret eo termino sit usus, & ex eo rectè intellecto nihil evincatur aliud, quam Deum non esse peccati causam. Ut autem Calovius persuadeat Lectori B. Parentem tantum non omnibus paginis phrasin istam iterasse, aliquod locorum facit indicium, quæ tamen integra, ne dolus pelluceret, recitare non est ausus. Sed nos videamus singula. In Thesibus de Providentia Dei §. 39. & 40. *Similiter ea de re disputare eundem Calixtum*, sive eundem aut similem in modum atque in Epitome Theologica fecit, affirmare, Deum certo quodam modo causam peccati per accidens dici posse, apertè est falsa accusatio.

En tibi lector, ut ipse arbitreris Thesin utramque à Calovio citatam. XXXIX. *Unicum hic quæritur, quomodo ad Providentiam divinam pertineant mala culpæ sive peccata, Si enim dicamus providentiæ Dei subesse, & per eam fieri, videri poterit esse caussa peccatorum.*

XL. *Circa hanc difficultatem notandum posse aliquid duobus modis ad providentiam pertinere, uno directè & per se, altero indirectè & per accidens: uno ita, ut non modò objectum sit, sed etiam effectus; altero, ut non sit nisi merum objectum vel materia quædam, circa quam*

ipsa versetur. Priore modo omnes res creatæ, quæ verum & reale esse obtinent; posteriore, omnia peccata cadunt sub providentiam. Quamquam enim hoc ipso non sit caussa peccatorum, ac proinde nec peccata effectus ejus: per eam tamen peccata permittuntur; in bonos fines, quò aliàs minimè faciunt, diriguntur; metæ & limites eis ponuntur. Sic igitur materia sunt, circa quam certis quibusdam modis Providentia versatur. Nempe permittit Deus, ut committantur; commissa verò in materiam vel misericordiæ vel justitiæ suæ declarandæ vertit: misericordiæ scilicet si emendentur & condonentur; justitiæ, si vindicentur. Hinc Augustinus Enchiridii ad Laurentium capite XXVII: Melius judicavit de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere. Et cap. XI: Deus omnipotens, quum summe bonus sit, nullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usqq; adeo esset omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo.

Citat porrò Calovius alia loca, & primo quidem verba Appendicis Dissertationis de Myst. Trinit. Th. XIII. Et hæc integra adscribo. *Ego,* inquit Parens, *ante annos triginta tres Epitomen Theologiæ Auditoribus meis dictavi: illi me inscio ediderunt. In eâ propter nonnulla asperiora Scripturæ loca, quibus Deus affirmatur* indurare, seducere, facere ut errent homines, *dixi, quod* intelligere possimus, Deum esse casam peccati indirectè, impropriè & per accidens. *Etiamsi manifestum sit, quo sensu dixerim, NEC VNQVAM POSTEA DIXERIM, & quod idem dixerit Hutterus & alii seniores VVittebergenses Theologi, ab iis tamen, ut mihi, convicium faciant, recentiores discedunt.* Denuò citat accusator, die Verantwortung auff das Churfürstl. Sächsische Schreiben §. IV. Hic locus quum sit valde prolixus & duas integras paginas occupet, transscribi huc difficulter poterit. Disertè ibi quoq; profitetur Autor quod *loquutionem eam non nisi semel adhibuerit, & quidem in scripto quod ipse non ediderit; nec unquam postea usurpaverit, ut paci litaret.* Adducit quoque ibidem testimonia Ægidij Hunnij, Davidis Rungij, Georgij Mylij, Leonhar-

onhardi Hutteri, Philippi Melanchtonis, qui peccata hominum in Deum *per accidens* retulerint. Ego illis adijcio verba luculenta Balthasaris Meisneri, qui Anthropologiæ Decade I Disput. III, Quæst. IV. Num. XXXVII. *Altera*, inquit, *per accidens caussa* peccati (de eo enim ibi in proximè præcedentibus lineis sermo est) *est Lex Dei, quæ quidem in se bona, attamen quo severior, eò contumaciores reddit homines.* Si verò *lex Dei est causa peccati per accidens*, quomodo non isthoc pacto Deus ipse, auctor videlicet illius legis, sit ac dici possit caussa peccati per accidens? Reijciat itaque tanquam ab Augustanâ Confess. recedentem hunc quoque antecessorem D. Calovius. Quæ porrò è Responso sive Antwort auff D. Joh. Hülsemann: meisterlichen Muster / Numero LXXV citat, quum non adeò sint prolixa hic quoque Lectori cognoscenda exhibemus. Er bemühet sich mich zu verunglimpffen / darumb / daß ich einmahl dictiret / und meine auditores ohne meine revision ediret diese Wort / intelligere possumus Deum causam esse peccati indirectè, impropriè & per accidens: da doch / wie in der Verantwortung num. IV für Augen gestellet / die Wittenberger selbst also geredet / und D. Balduinus in caput IX Zachariæ geschrieben: *Filius Dei dicit, Non venio mittere pacem, sed gladium: id quod accidere solet non ex natura doctrinæ Christi (est enim Evangelium pacis) sed per accidens.*

Tandem provocat ad Apologiam Buschero oppositam. Locus iterum prolixior est quam qui huc transferri possit. Idem autem in eo agitur quod in aliis, nempe ostenditur, quâ intentione loquutione illâ usus sit Auctor; Nempe *ut aliquem verborum Scripturæ* (duriorum) *verum sensum erueret, & nihilominus Deum auctorem peccati esse negaret*, ut ibi conceptis verbis loquitur. Ostenditur porro ibidem quod causa per accidens, etiam juxta Jacobi Martini Exercitationes Metaphysicas tum temporis editas, è censu verarum causarum excludatur.

Nunc æstimandum Lectori committo, utrum loquutionem

onem illam Parens tanquam eâ delectatus, locis citatis repetiverit & inculcaverit, quod Calovius e vult impingere, an verò indicaverit magis, tum præter voluntatem suam, loquutionem illam scripto in publicum emanasse, nec à se unquam repetitam, ne dum multoties iteratam esse; tum optimâ intentione adhibitam, ne videlicet è quibusdam durius sonantibus Scripturæ locis alii Deum causam propriè dictam peccatorum faciendi ansam arriperent. Et hoc plane intendisse virum optimum, atque ideo à suspicione pravæ doctrinæ absolvendum esse, nemo melius quam ipse Calovius olim ostendit. Lector quæso hic adeat Tractatum D. Drejeri cui titulum fecit, *Solida vindicatio sanctitatis Dei*, pag. 116, 117, 118, 119, ubi ipsissima Calovii verba è Disput. Rostochiensibus, prolixe adducuntur. Calovius quidem, in *Solidâ* quam vocat, *Discußione*, tractatui D. Drejeri oppositâ, revocare conatur quod tum rectè scripsit, pertendens quod *verbis* Calixti *sanum sensum attribuerit* id eò factum, quod *sano sensu accipi posse à præceptore Dn. D. Bœhmio edoctus, eque Philosophorum quorundam, Dn. Kesleri & aliorum scriptis in eâ opinione confirmatus fuerit, ut nihil commune cum σκολιοδοξία Zuingliana ea habere sit arbitratus.* Sed quantum Auctori suo præjudicium faciat hæc sive excusatio sive revocatio, unicuique sine indice patet, & rationes, quibus Parentis verba in bonum sensum vertit, solidæ sunt nec ab eo refutari potuerunt.

PUNCTUM VI.

Artic. Schmalc. part. 3. art. 1. Epit. Declarat. solid. p. 639. §. 5. Teuton. 259. fac. b.

P*Rofitemur, & docemus, hominem generare hominem, idque non tantum quoad corpus, sed etiam animam, juxta divinam illam benedictionem: Crescite sive fructum ferte, multiplicamini' Gen. 1, 28.* Ut ita peccatum originale per carnalem conceptionem & nativitatem à patre & matre (ex semine, per peccatum corrupto) propagetur, ac in primo conceptionis nostræ momento ipsum semen, ex quo homo formatur, peccato jam contaminatum & corruptum sit.

Rejici-

Rejicimus eos, qui docent, in hominibus singulis, animas singulas, non ex propagine oriri, sed ex nihilo tunc primum creari, atque infundi, cum in uteris matrum fœtus concepti, atque ad animationem præparati sunt. Form. Concord. p. 639. 644.

Ita D. Conradus Horneius Dissertat. Theol. 5. §. 59 & 60. Verba sunt hæc: *Cùm anima nostra naturâ sua Spiritus aliquis sit, & incorruptibile quidquam, sicut scriptura disertè docet; non potest ex corruptibili semine, aut ulla tali materia, sed ex nihilo tantum fieri. Ex semine autem & corruptibili materiâ fiat utique necesse est, si per traducem oritur: cùm enim anima actu in semine non sit, ex potentia educatur oportet, adeoque corruptibilis fuerit. Rectè ergò dicitur à Deo ex nihilo creari.* Similiter sentit D. Georgius Calixtus in der Beantwortung Churfl. Durchl. Schreibens/ꝛc. §. 27. Nr. 3. necnon in Disputat. de Peccato originis §. 66. *Actio illa*, inquit, *Dei, quâ in corpore Embrionis ad recipiendam animam disposito, animam creat, corporique, juxta naturæ ordinarium institutum, & cursum, unionem ejus exigenti jungit, è censu est, quas concursus primæ causæ cum secundis nominamus.* Nec aliter D. Christian. Dreier in gründlicher Erörterung pagina 311. & seqq.

EXAMEN ET DISCUSSIO PVNCTI VI.

De origine animæ rationalis quæstio quidem ad Philosophos pertinet, inter Ecclesiæ tamen Doctores satis quoque acri contentione est agitata, aliis pro traductione aliis pro creatione pugnantibus, aliis denique calculum suspendentibus, dubiamque & illiquidam rem in medio relinquentibus. Inter hos, magno suo merito, primo loco numeramus S. Augustinum Hipponensis Ecclesiæ Angelum, qui pietate an eruditione præstantior haberi debeat, dubium reliquit. Difficultates autem cum quibus utraque sententia conjuncta est, inextricabiles Divo Augustino visæ quum essent, pro suâ quâ polluit modestiâ in alterutram partem, quamvis ad creationem qvam traductionem probandam propensior fuerit, certâ indubiâque sententiâ declinare detrectavit. Utinam verò mode-

modestiæ studium quo partæ eruditionis gloriam celebriorem reddidit Augustinus, & olim & hodie plurium pectora permulsisset, certè non essent eo audaciæ progressi ut sua auctoritate intricatas maximeque difficiles & dubias quæstiones decisum irent; & festinam dicam, à definiente sua sententia discedentibus, inplacabiles scriberent. Ne tamen nullo fundamento nixi à sese dissentientes rejecisse videantur Dictatores isti, librorum Symbolicorum auctoritatem jactitant, eosque tanquam pro suâ sententiâ disertè pronunciantes allegare non erubescunt: quasi vero libri illi Scripturis contradicerent, aut alii, qui cum Scriptura hominis *Spiritum Deo, qui dedit eum*, acceptum ferunt, Eccles. c.12, v.7, & cum Luthero in Commentario ad illa ipsa Scripturæ verba dicunt, *Spiritum ad Deum reverti à quo venit*, à libris, quos diximus, Symbolicis recederent? Præstigiæ hæ sunt; libri illi locis citatis de peccato originis agunt, controversiam de origine animæ dirimere tantum abest, ut eam ne attingant quidem. Licet inter illos, una Concordiæ Formula Art. II aliquid immisceat, quod illuc pertrahere hodie conantur. Cum doctissimo igitur Philosopho Iohanne Zeisoldo Academiæ Ienensis Professore confidenter dicimus; *Falsum est sententiam nostram de creatione animarum, cum libris Symbolicis pugnare, ut etiam hoc dicentes & objicientes in magna incidant absurda. Monstretur pagina, monstretur unus ex libris Symbolicis, cum quo illa de creatione animarum sententia pugnet. Quin imo non est illa sententia contra Scripturam; quomodo quæso erit contra libros Symbolicos? Sanè (1) Scripturæ Sacræ potior est ratio habenda. (2) Scriptura Sacra istorum librorum fundamentum est & norma. (3) inter Scripturam Sacram & istos libros censensus est, imò esse DEBET.* Ita in Serenissimorum Saxoniæ Ducum Academia Ienensi hodie docetur, neque aliter in eadem ante hac docuerunt Philosophi fama & eruditione Auctore citato haud inferiores, è quibus animæ cre-

Diatrib. Histor. Elenchticâ de creat. animæ p. 110.

mæ creatio semper eruditè propugnata fuit. Præteritis aliis unum adhuc audiamus Paulum Slevogtum, qui Disput. II de creatione primi hominis contra Ebræos anno 1650 habita, Num. IIX, scribit, *Sententiam de creatione animæ rationalis, cum restaurato mundo pariter etiam restauratam esse, & ab eo inde tempore semper astipulatores habuisse viros Summos & optimos quosque*; (inter quos etiam ipsum B. Lutherum, verbis ejus è libro de Conciliis productis ibi recenset) *quum ex adverso sententia quæ creationem negat, vel nullum in antiquitate, vel non bonum habeat auctorem, maximè si primum parentem agnoscat Tertullianum, uti quidem fateatur Rufinus apud Hieronymum, & propagatorem Apollinarem, uti velit Gregorius Nyssenus, qui ambo in primitivâ Ecclesiâ ob hæresin audierint pessimè.*

Jure itaque ac merito hîc ego repeto Syllogismum laudati viri Iohannis Zeisoldi, Diatribæ citatæ Sect. II, Art. II, Num. XXXVII. pag. 152 & 153. *Quicunque contra sententiam antiquitus in Ecclesiâ receptam, in sacris literis & rectâ ratione fundatam statuit, ille novator est. Tertullianus* traductæ animæ assertor (Calovius & complices tanti traductionis assertores, ut propter oppositam de creatione animæ sententiam, ab Augustanæ Confessionis consortio alios etiam *reiiciant*) *contra sententiam in Ecclesiâ antiquitus receptam, in sacris literis & rectâ ratione fundatam statuit* (statuunt) *Ergò Tertullianus* (Calovius ejusque complices) *est novator* (sunt novatores.) Expendantur quoque quæ apud Dn. Zeisoldum ibi porrò sequuntur.

Vident & fatentur D. Calovii in hac novitate complices, *maximam hic* (in sua nova sententia) *difficultatem se offerre circa immortalitatem animæ. Hæc enim,* (scripsit nuper D. Iohannes Olearius Intodúctione Carpzoviana in Formul. Concordiæ Artic. de Peccato Orig. ad verba illa Formulæ, quæ Calovius hîc Parentis sententiæ objecit) *periclitabitur aut plane negabi-*

gabitur hac ratione, si effusionis casus accesserit, ubi si anima actu adfuerit, eam perire necesse sit. Conatur autem respondere. *Sed forte* ait, *& hæc difficultas expediri potest, si rectè perpendatur res.* Quomodo verò? *Etenim certum est,* pergit, *immortalitatem animæ nostræ non per essentiam competere, sed per gratiam & à voluntate Dei dependere.* Ast hoc non expedit difficultatem, sed novam absurditatem invehit, imò immortalitatem animæ quam maximè tollit. Sic enim anima non ampliùs ab intrinseco est immortalis, sed ab extrinseco tantùm, quod tollit ejus spiritualitatem, & ex ea demum fluentem immortalitatem. Et si allata ab ipso ratio valida foret, ne Angeli quidem essent immortales per essentiam, nam & eorum esse spirituale in creatione acceptum *à voluntate Dei dependet*, juxta illud Apocalypseos IV, ult. *Domine tu creasti omnia & per voluntatem tuam sunt, & creata sunt.* Sic absurdum absurdo tegere satagunt, tantùm ut liceat *reijcere* Calixtum.

Ad verba Formulæ à Calovio objecta, dico primò, Formulæ huic D. Calixtum nunquam fuisse adstrictum. Deinde si quis corticem eorum mordicus urgeat, quæro unde habeat Formula quod dicit, *ipsum* SEMEN *ex quo homo formatur peccato jam contaminatum & corruptum est?* Videntur hæc verba esse transsumpta è Psalmo LI, 7, & quidem juxta versionem Lutheri Siehe ich bin aus sündlichen Samen gezeuget; sed notum est in Hebræo *seminis* non fieri mentionem. Taceo absurda quæ ex illa sententia, quod semen actu animatum sit, inevitabiliter sequi doctissimi Philosophi ostenderunt, quibus respondeat Calovius. Præstabit itaque expositionem commodam verbis Formulæ adhibere, quam literam nimis rigidè urgere. Et fortassis illa verba, *In primo conceptionis momento, ipsum semen ex quo homo formatur peccato jam tum infectum & corruptum est*, ferent hunc sensum; semen illud in nulla alia potentia esse, quam ut homo corruptus inde generetur. Qua

expositi-

expoſitione B. Parentem meũ Formulæ aliquando conſultum iviſſe memini: quamvis tamen nemini eam obtrudamus, ſed meliorem dantibus, nos, qui ad Formulam illam non ſumus alligati, haud ſimus refragaturi, quippe qui illis, quorum intereſt meritò relinquimus, quomodo eam hîc exponendam cenſeant.

PVNCTVM VII.

P*Roſitemur & docemus*, peccatum originale unà cum natura, quam Deus etiamnum in hominibus efficit, per carnalem conceptionem & nativitatem à patre & matre (ex ſemine per peccatum corrupto) propagari, *Pſalm 51. verſ. 7. Joh. 3. v. 6.*

Vid. Declarat. Epit. p. 641. d. 9. 1. 616 Teut. 259. f. b.

Rejicimus eos, qui docent, non eſſe quærendam cauſam, quæ efficiat peccatum, ſed ſufficere cauſam moralem, cui peccatum imputetur, & cujus vices primi parentes expleverint.

Ita docet D. Chriſtian Dreier in gründlicher Erörterung/ pag. 329. & 330. hiſce verbis: Præterea verò ſciendum eſt, peccatum originis formaliter nihil aliud eſſe, quàm carentiam donorum, quæ protoplaſtus accepit, & quæ poſteri ejus præſtare debebant, uti quæſtione præcedente docuimus. Propterea inquirendum non eſt in cauſam phyſicam, quæ peccatum in anima efficiat. Sufficit enim cauſa moralis, i. e. talis, cui merito & jure quicquam imputari poteſt, etſi talis cauſa nihil realiter operetur. Quando itaque Deus corpori ad id diſpoſito animam indit, dat quidem eſſe animæ; dona autem ſupernaturalia non addit, tanquam juſtus judex, qui propter protoplaſti peccatum, Spiritum ſuum & dona gratuita omnibus hominibus abſtulit, ſecundum animas adhuc in potentia Dei objectiva, ſecundum corpora vero in potentia phyſica materiæ latitantibus. Eaque propter primi parentes noſtri ea ipſa cauſa moralis ſunt, cui hoc jure imputatur, quod poſteri abſque donis Spiritus ſancti iræque divinæ obnoxii naſcuntur, h. e. Hierbey iſt noch weiter zuwiſſen/ daß die Erbſünde iſt formaliter nichts anders/ denn eine privatio, ein Mangel der Gaben/ die der Menſch empfangen/ und die Er nach Gottes Verordnung haben ſolte/ wie wir in der vorigen Frage gelehret/ darümb darff man hie nicht ſuchen eine cauſam phyſicam, die die Sünde wircket

wircket in der Seelen: sondern es ist gnung causa moralis, eine solche Ursach / der etwas mit Fug und recht kan zugemessen werden / ob sie schon kein real-wirckung hat. Wenn nun Gott die Seele giebt in den Leibe/der darzu disponiret ist/ giebt Er ihr zwar ihr Wesen/aber die übernatürliche Gaben des Geistes giebt er nicht / als ein gerechter Richter/ der wegen der Sünde des ersten Menschen seinen Geist und Gnaden Gaben von allen Menschen genommen hat/die nach der Seelen noch in potentia Dei objectiva, nach dem Leibe noch in potentia physica materiæ waren. Darümb sind unsere erste Eltern die causa moralis, welcher diß von rechtswegen imputiret wird / daß der Mensch ohne Gaben des Geistes unterm Zorn gebohren wird. Secutus fuit in hoc D. Georgium Calixtum in Dissertat. de peccato originis §. 68.

EXAMEN ET DISCVSSIO PVNCTI VII.

QUandò hìc Calovius pertendere pergit, *consensu* totius Ecclesiæ Lutheranæ *Reijci* illos *qui docent non esse quærendam causam, quæ* (Physicè) EFFICIAT *peccatum* originale, *sed sufficere caussam* aliquam *moralem* (causam aliquam è genere morum) *cui peccatum imputetur, &c*, (Calovii sunt sequentia verba) *cujus vices primi Parentes expleverint*; dico & affirmo eum iterum apertè fallere. Primò enim manifestum est, & inter omnes Lutheranos in confesso, peccatum formaliter sumptum propriè non habere causam *efficientem* sed *deficientem*, sicut ex Augustini de C. D. libro XII cap. VII Theologi loqui solent, & nominatim Chemnitius Parte I Loc. Theologicorum de Causa peccati Cap. V. argumento primo, ubi etiam verba illa Augustini *elegantem locum* vocat. Deinde quum sine nimiâ falsitate asserere non possit Calovius, communi *consensu Ecclesiæ verè Lutheranæ* doctrinam de origine animæ per creationem *rejectam* esse aut hodie quoque *reiici*, (quum semper fuerint, & hodieque supersint insignes Theologi & Philosophi verè Lutherani, eruditione & auctoritate

D. Ca-

D. Calovio pares & superiores, qui eam masculè defenderint, defendant ac deinceps defensuri sint) asserere quoque absq; aperta falsitate non possit, sententiam de propagatione ejusdem animæ per traducem, *communi consensu Ecclesiæ verè Lutheranæ* hactenus receptam esse, quum in hunc usque diem in Ecclesia Lutherana, & in ipsis Provinciis Formulam Concordiæ retinentibus illi sententiæ doctissimis scriptis contradicatur; quum hæc inquam, ita in propatulo sint, falsus est, nec potuit non alios fallere Calovius, quando porrò hîc audacter scripsit, illos quoque communi consensu Ecclesiæ verè Lutheranæ *reiici* qui propagationi peccati originalis nolint assignari causam Physicè efficientem, sed aliam quæ sit ex genere morum, aliquam nimirum promerentem. Posterior enim hæc sententia necessariò cohæret cum priore de animæ creatione. Si ergo prior illa, *consensu* Ecclesiæ Lutheranæ nunquam est rejecta, (quod factum esse non affirmaverit, nisi qui unum & alterum tyrannum, qui vel olim vel hodie reijcere eam ausi sint, pro totâ Ecclesiâ Lutheranâ habeat) posterior quæ priori illi innitur, nec ipsa *consensu* eodem est rejecta aut reijci poterit.

Certè si anima prolis hodie creatur à Deo, & nihilominus in momento suæ productionis contrahit peccatum originis, non possunt aliæ contracti illius peccati causæ quàm morales, seu ex genere morum assignandæ, dari, una videlicet remota, culpa actualis Adami, altera proxima, nempe generatio parentum, cum *inordinatâ* ac *pudendâ*, ut Augustinus vocat libidine conjuncta, quæ ambæ obstant ac *demerentur*, ut Scholastici loqui solent, quo minus Deus animæ prolis recens creatæ justitiam originalem conjungat. Quum igitur conjunctionem hanc Deus non præstet, & culpa, quo minus per justitiam suam præstare eam posit, à parte hominum unicè hæreat, hinc proles animâ donata damnabilem illam ca-

rentiam & privationem justitiæ originalis, ipsi adesse debitæ, uno verbo, peccatum originis, non potest non contrahere.

PUNCTUM IIX.

Vid. Aug. Conf. art. 2 p. 10. Artic. Smalc. part 3. art. 1. pag. 317. Epit. Declar. artic. 1. p. 641 644. Teut. 259.

PRofitemur, & docemus, post lapsum Adæ omnes homines, secundum naturam propagatos, nasci cum peccato originali, h. e. sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia, *Rom. V. 12. 14. 17. 18. 19.*

Rejicimus eos, qui docent, nullam positivam qualitatem vitiosam in infantibus natis inveniri, ac peccatum originale, in & cum quo nascuntur, nihil esse aliud, quam nudam carentiam justitiæ, sive donorum Spiritus sancti.

Ita docet D. Christian Dreier in gründlicher Erörterung/p. 250. hisce verbis: Quamobrem in infantibus præter & supra potentiam peccandi nullam qualitatem positivam ponere licebit; verum originale peccatum in infantibus, carentia justitiæ sive donorum Spiritus Sancti est, quæ carentia horrendam impotentiam ad bonum, remotam tamen, secum fert in omnibus potentiis animæ, h. e. Derwegen man in den Kindern keine qualitatem positivam über die potentias setzen kan/sondern es ist die Erbsünde in den Kindern die carentia justitiæ, oder donorum Spiritus Sancti, die eine greuliche impotentiam zu allen guten remotam tamen, mit sich bringet in allen Kräfften der Seelen. Similiter D. Georgius Calixtus, in Disputat. de peccato orig. §. 27. 28. & Conradus Hornejus dissertat. Theol. 6. th. 3. Hæc enim carentia primigeniæ illius Sanctitatis & justitiæ peccatum illud est, quod originis dicitur. Adeundi quoque sunt Calixtus & Hornejus in der gründlichen Wiederlegung / contra Buscherum part. II. cap. 5. §. 83. & seq.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI IIX.

HIc, quod felix faustumque sit! D. Calovius citatorum librorum Symbolicorum verba, sine additione aut detra-

ctione

ctione tandem reliquit. Iterum autem insigniter fallit, quando ex *consensu* Ecclesiæ Lutheranæ *Reiicere* se eos inquit, *qui docent nullam positivam qualitatem vitiosam in infantibus natis inveniri, ac peccatum originale in & cum quo nascantur, nihil esse aliud, quam nudam carentiam justitiæ seu donorum Spiritus Sancti*.

Docuit sanè Parens meus peccatum originis FORMALITER sumptum esse carentiam justitiæ originalis, non simul *aliquam positivam qualitatem*. Et hoc docuit conformiter Lutheri & aliorum Doctorum verè Lutheranorum, quin etiam quorundam, qui Wittebergæ floruerunt doctrinæ publicis scriptis divulgatæ. Primò enim doctrina ex asse Wittebergensis est, quod *malum* in genere, privationem formaliter importet. Leonhardus Hutterus in Locis, de veris causis peccati cap. II. Parte II pag. 251, *Neque enim malum est ens aliquod positivum, neque pura etiam negatio, sed* PRIVATIO *quæ est negatio bonitatis atque perfectionis alicui rei debitæ*. Ergò etiam peccatum originis quod sub *malo* ceu species sub genere continetur, *privatio* fuerit formaliter, & *negatio perfectionis alicujus*, homini *adesse debitæ*. Deinde in specie de peccato originali doctissimus & celeberrimus Theologus & Philosophus D. Iacobus Martini in sua Pædia Logica diffusè asseruit, & adeò probè confirmavit, peccatum originis formaliter, (formaliter dico) non esse aliquid positivæ entitatis, sed nudam privationem, ut nemo unquam Helmestadii id ipsum majore studio susceperit. Adscribo hîc quædam viri doctissimi verba, quæ leguntur, Lib. IV cap. VII, pag. 583, & ita habent: *Vox ἀνομία totam generalem peccati descriptionem in se continet, nempe includit & genus & differentiam: quandoquidem rectè & adverbum redditur privatio congruentiæ cum lege DEI. Privationem dicit ἀ στερητικόν. Deinde νόμος lex est; Dicit ergo Evangelista, peccatum est, quod sine lege est, sive est privatio legis, privatio autem legis hic non significat negationem legis, sed privationem congruen-*

gruentiæ cum lege. Legis hujus summa consistit injustitia, sanctitate, veritate, veroq; DEI cultu in omnibus consiliis, actionibus imo in omnibus moribus servando. Ex descriptione igitur hac intelligimus, generalem & totalem peccati rationem & formalitatem consistere non in positione aliqua, sed mera ac sola privatione, privatione nimirum rectitudinis & congruentiæ cum lege DEI. Quæ autem est essentia generis, illa quoque omnium specierum est: Verbi gratiâ, quia essentia generica animalis est substantia, sequitur, quod homo, leo, taurus nequaquam habeant oppositi nempe accidentis essentiam, sed sint revera substantiæ, propterea quod genus, nempe animal, substantia sit: Eodem modò res hic sese habet: Quia Iohannes genus peccati facit privationem, sequitur, quod essentialis ratio ac formalis consistat in privatione: Quia autem postmodum peccatum dividitur in Originale, sequitur, quod, quemadmodum peccatum in genere est privatio, etiam in specie privatio sit & Originale & Actuale peccatum, Impossibile enim est, quod aliquid habere possit duo è diametrô opposita genera. Iam verò è diametrô opponuntur positivum & privativum: Ergo sequitur, si peccatum, & in specie Originale, formaliter est positivum, quod formaliter esse non possit privativum; & contra si formaliter est privativum, formaliter positivum esse nequit: quia, uti diximus, hæc sunt opposita, quæ se mutuò tollunt, nequaquam ponunt.

Hæc ita tunc scripta sunt Wittebergæ, nec D. Jacobus Martini ideo à consortio Augustanæ Confessionis fuit rejectus. Domini D. Iacobi Martini doctrinæ paria docuit D. Albertus Gravverus, Theologiæ & Philosophiæ peritiâ clarissimus. Centuriâ quæstionum illustrium Disput. ultimâ Corollario primo rotunde scribit; *Peccatum originis FORMALITER, non est aliquod positivum, sed MATERIALITER, quando hi termini RECTE, non vulgariter usurpantur.* Quid poterat dici apertius? Nec tamen auditum est, D. Gravverum hoc nomine ab ceu August. Conf. devium *rejectum* esse. Observo autem

tem in his paucis verbis fundamentũ decidendæ hujus à Calovio & complicibus toties motæ λογομαχίας suppeditari. Primò enim indicatur peccatum *Formaliter* sumptum non esse aliquid positivi; *Materialiter* autem acceptum esse aliquid positivi; sive materiale ejus intelligas *remotius*, ipsas animæ facultates, sive *proximum*, earundem inclinationes ad malum. Et horum utrumque Parens meus semper asseruit, uti est notum. Adscribo verba ejus sole ipso clariora, Append. ad Dissertat. de quæstionibus. circa Myst. SS. Trinitatis Num. xxix in fine. *Interim de peccato originis id etiam monemus, quod non negetur esse connata habitualis inclinatio ad pravum, sive mala concupiscentia; saltem negari, quod ejus FORMALE, per quod in esse peccati constituatur, in hoc ipso quod habituale & positivum deprehenditur, consistat; & affirmari quod id situm sit in privatione rectitudinis, quæ in illa habituali & positivâ inclinatione ac concupiscentia adesse deberet, & non adsit.* Deinde oportunissimè addit D. Gravverus, rem ita ut dixit se habere, quando *hi termini rectè & non vulgariter* usurpantur. Si enim per *peccatum originis formaliter* aliquis velit intelligere peccatum originis in concreto, secundum suum & materiale & formale simul, tunc sane nemo negabit peccatum illud plus aliquid quam *nudam privationem* justitiæ originalis importare. Verùm ita terminus non *rectè*, ut Gravverus ait, sed vulgariter usurpatur. Rectè verò sumpto termino illo pro peccato originis in abstracto, omnino illud est *privatio* (carentia) *justitiæ originalis*, sicut cœcitas est carentia visus, (quomodo ipse B. Lutherus in Cap. II. Geneseos vers. 17 pag. 25 lit. B. est loquutus) nec est insuper qualitas positiva à facultatibus animæ & carentiâ justitiæ originalis realiter distincta, quum omne ens positivum sit à Deo vel immediate, vel mediantibus causis secundis, & sic peccatum originis formaliter (*rectè non vulgariter* sumptis his vocibus) esset referendum in Deum, quod longissimè absit.

PVNCTVM IX.

Vide Aug. Conf. art. 2. p. 10. & e jusd. Apolog. art. eod. p. 52 seq. Form. Conc. p. 639 640. Teut. uti supra

PRofitemur, & docemus, quod peccatum originale in humana natura non tantummodò sit ejusmodi totalis carentia, seu defectus omnium bonorum in rebus spiritualibus ad Deum pertinentibus: sed quod sit etiam, loco imaginis Dei, amissæ in homine, intima, pessima, profundissima (instar cujusdam abyssi) inscrutabilis & ineffabilis corruptio totius naturæ, & omnium virium, imprimis verò superiorum & principalium animæ facultatum, in mente, intellectu, corde & voluntate. Itaque jam post lapsum homo hæreditario à parentibus accipit congenitam pravam vim, internam immundiciem cordis, pravas concupiscentias & pravas inclinationes; idque ita, ut etiamsi homo prorsus nihil mali cogitaret, loqueretur, aut ageret, tamen nihilominus hominis natura & persona hominis peccatrix sit, h. e. peccato originali, quasi leprâ quadam spirituali prorsus & totaliter in intimis etiam visceribus & cordis recessibus profundissimis tota sit coram Deo infecta, venenata & penitus corrupta.

Rejicimus eos, qui docent, solam carentiam illius, per quod Deo placere possemus, & quod ex vi primæ institutionis divinæ habere debebamus, esse peccatum illud, quod originale solemus vocare, adeoque peccatum originis esse tantum privativum quid, non positivum, neque ignorantiam actualem aut non dilectionem Dei pertinere ad essentiam peccati originis, sed ejus solum esse consequens, & tunc demum *nocere*, quando notitia rei ignoratæ requiritur, seu, quando jam tempus est cognoscere.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Epit. Theol. p. 113. hisce verbis: Ob hunc igitur defectum justitiæ originalis omnes posteri Adami naturâ, h. e. ab ipso ortu & origine nostra, sumus filii iræ, Eph. II, 3. quippe qui careamus eo, per quod Deo placere possemus, & quod ex vi primæ institutionis divinæ habere debebamus. Atque hæc carentia, cum qua nascimur, est peccatum illud, quod originale solemus vocare, privativè oppositum justitiæ originali. Vnde idem Calixtus in Exerc. de peccato originali §. 27. ita scribit: intellectus infantis recens nati, quia privatur hoc originalis justitiæ dono, impotens est cognoscere Deum, sicuti eum cognosci ad salutem opor-

oportet: voluntas non potest diligere Deum, uti diligere debebat: appetitus non potest expectare jussa rationis, nec sine renisu & obluctatione capessere. Hujusmodi impotentia, cum qua coincidit pronitas ad dubitandum de iis, de quibus dubitari non debebat, & ad bona caduca, & delectabilia inordinatè appetenda, est peccatum originis, quasi in actu primo. Ubi adest ætas & tempus, quo oporteret actu cognoscere, actu diligere, & actu coërcere inferiores potentias, non cognoscitur autem, non diligitur, non coërcetur, tunc est qs. actu secundo: maximè verò quum accedunt in intellectu negationes aut dubitationes & in voluntate ac appetitu illegitimi motus in bona caduca & delectabilia inordinatè prorumpentes Et §. seqq. in peccato originali differunt actus primus & secundus. Ipsa impotentia cognoscendi habet se ad modum actus primi: quæ inde prodit ignorantia, quando jam tempus est cognoscere, & dubitatio, ad modum actus secundi. Impotentia itidem diligendi & coërcendi inferiora, cum qua coincidit habitualis quædam aversio à bono, & conversio ad mala, est actus primus: quæ verò inde oritur diffidentia, & actualis aversio unà cum prava conversione, actus sunt secundi ambigui inter originale peccatum & actuale, ut suo modo ad utrumque queant referri. Quatenus enim sunt actus, à potentiis humanis hujus aut illius hominis prodeuntes, ita sunt peccata actualia: quatenus verò involuntarii sunt, & invitis, quin etiam repugnantibus obrepunt, non sunt actualia, sed originali, tanquam radici germina imputantur.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI IX.

Audivimus in responsione ad præcedens Punctum, quomodo *sola carentia* iustitiæ originalis, *quam ex vi primæ institutionis Divinæ habere debebamus*, sit *peccatum illud, quod originale* vocamus, si videlicet peccatum illud *formaliter* sumatur, & terminus τοῦ *formaliter* etiam *recte*, *& non vulgariter* usurpetur. Si enim peccatum illud *formaliter* (terminum ἐν τῇ ἀκριβείᾳ sumendo) esset quoque aliquid positivum, tunc malum aliquod

 quod

quod quatenus tale atque in abstracto, esset ens positivum, quod Manichæismo foret affine; & præterea non posset non tale ens positivum malum, in Deum ceu causam redire, quemadmodum in antecedentibus satis superque est inculcatum. Recte igitur docuit D. Calixtus peccatum originis formaliter sumptum esse *solam carentiam & privationem justitiæ originalis.* Docuerunt ita B. Lutherus, Iacobus Martini, Albertus Gravverus, & alii, neutiquam profectò rati, se Apologiæ A. C. & Formulæ Concordiæ hoc pacto contradicere. *Neque* privationis *voce extenuatur sed exaggeratur potius peccati atrocitas, & ostenditur, quantam cladem, & quam ingens damnum genus humanum ex privatione hac acceperit,* ut docet Hutterus in Locis, de Peccato Orig. in genere Art. IX, p. 309, idque egregiis rationibus evincit laudatus D. Iacobus Martini Pædiâ ante citatâ Libr. I. Cap. XIII.

Porrò affert D. Calovius ex sententia D. Calixti, ut ipse eam involvit, *neque ignorantiam actualem, aut non-dilectionem Dei pertinere ad essentiam peccati originis, sed ejus solum consequens esse, & tunc demum NOCERE, quando notitia rei ignoratæ requiritur, seu, quando jam tempus est cognoscere.* Obscurè hæc proponit Calovius, unde mihi opera danda ut distinctè illa evolvam & expendam. *Ignorantiam actualem* aut *non-dilectionem* (actualē) *Dei*, puto Calovium intelligere illam, quæ cadit in adultos *quando* jam *tempus erat cognoscere* (& diligere) *Deum.* Hanc verò non ad τὸ εἶναι peccati originis pertinere, sed ad illud ceu fontem & radicem consequi, & actualem potius culpam esse non puto quenquam negare posse. Ipsa Apologia A. C. ad articulum II. quum Pontificii Confutatores verbis quibusdam illius objecissent, *sine metu* (& eadem ratio de cognitione) *Dei, sine fiducia esse*, quæ ad τὸ εἶναι peccati originalis Articulus retulerat, *est culpa actualis, igitur negant* Confessores *culpam originalem*; respondet, in Germanico exemplari scri-

ri scriptum esse, daß nach dem Fall Adæ alle Menschen so natürlich gebohren werden —— keine wahre Gottesfurcht/ keinen wahren Glauben an Gott haben können/ *& sic non solum ACTUS, sed POTENTIAM seu DONA & VIM efficiendi timore & fiduciam erga Deum adimere propagatis secundum carnem.* Sic ibi Apologia. *Non POSSE* igitur *cognoscere, timere* &c. *Deum* hoc inquam pertinet ad τὸ εἶναι peccati originalis. Actu autem non cognoscere, quando jam tempus est cognoscere, consequens utique peccati originalis, & peccatum omissionis, atque adeo ex actualium numero est, quod tamen si involuntarium sit, etiam peccatum originis in actu secundo dici poterit, Calixto non repugnante. Imò admittere hoc Calixtum, quî ignorare potest Calovius, quum hanc in rem facientia, ipse è Dissert. de Peccat. Orig. Th. xxIIX, producat?

Quod si tamen per *ignorantiam actualem* intelligat D. Calovius eam, quâ infantes (in quibus nondum est *tempus cognoscendi*) circa mysteria Divina laborant, & per quam non tantum nihil eorum norunt, sed ne quidem ea per naturam cognoscere *possunt*, falsum est quod talem eorum *ignorantiã actualem* (quæ actu quasi insit) Calixtus ad essentiam peccati Originalis non pertinere statuerit. Qui enim infantibus tribuit illam *impotentiam cognoscendi* quam verba Calixti à Calovio citata proloquuntur, is actualem quoque cognitionem iis hoc ipso derogat, & contra, actualem ignorantiam in actu primo ut sic dicam, omninò tribuit. Derogatâ enim illis ipsa plane *potentiâ cognoscendi* res spirituales, actualis quoque cognitio ex necessitate derogatur, ut quilibet facile intelligit. Illud vero velim ostendat Calovius, ubinam D. Calixtus scripserit *ignorantiam* Dei & rerum divinarum *tunc demum NOCERE* (damnationis reatum inferre) *quando notitia rei ignoratæ requiritur, seu, quando jam tempus est cognoscere.* Ostendat hoc ipsum, iterum inquam ego, si vir est Calovius, & allatis è Calixti scriptis

ptis documentis, quod ei imputat probet, aut apud omnes, ejus figmenta palpantes, manifestæ calumniæ convictus maneat. Etenim qui ignorantiam quæ *potentiam ipsam cognoscendi Deum*, sicut ad salutem eum cognosci oportet, tollat, infantibus tribuit, eamque ad τὸ εἶναι peccati originis refert; qui porro peccato originali conceptis verbis tribuit, *quod excludat à gratiâ & amicitiâ Dei & à regno cœlorum*, ut Calixtus Dissert. de Pec. Orig. quam Calovius hîc adducit & vellicat Numero ultimo facit, ei per calumniam imputatur, *quod ignorantiam Dei tunc demum* NOCERE statuerit: *quando notitia rei ignoratæ requiritur, seu, quando jam tempus est cognoscendi.*

PUNCTUM X.

Compend. doctrinæ form. p. 640. 644. Teuton. p. 259. b.

Profitemur, & docemus, quod peccatum originis sit *per omnia* totalis carentia, defectus, *seu privatio concreatæ in paradiso justitiæ originalis, seu imaginis Dei*, quo natura humana corpore & anima in omnibus viribus prorsus tota & extremè est corrupta & perversa, quoad bonitatem suam, veritatem, sanctitatem, & justitiam, quæ dotes in paradiso naturæ erant concreatæ.

Rejicimus eos qui docent naturalia post lapsum mansisse integra, supernaturalia tantum amissa esse, & solam eorum carentiam esse peccatum originis.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Epit. Theol. p. 106. Breviter totam rem expedire possumus dicendo, hominem in statu post lapsum habere ea, quæ proprio & stricto sensu naturalia appellavimus, & supra enumeravimus, supernaturalia vero omnia amisisse. Et quidem absentiam supernaturalium, quæ superioribus potentiis conveniebant, peccatum esse, ut paulo post ostendemus: Absentiam vero supernaturalium, quæ inferiores potentias attinebant, pœnam esse peccati. Et Exerc. de peccato origin. th. LXI. LXII. Dico igitur, quod peccatum originis, quoad formale suum, nihil aliud sit, quam privatio originalis justitiæ. Si placuisset Deo hominem conditum in statu merè naturali relinquere & ad sublimiorem non evehere, hæc quidem ita se habuissent: intellectus impotens fuisset

fuisset ad cognoscenda & credenda mysteria, & si quando proponantur, aptus natus dubitare & negare; appetitus talis, ut in jucunda & caduca bona inordinatè, & præfractè ferretur, & voluntas itidem proclivis, ut illis condelectaretur & proinde à melioribus, quin omnium summo, Deo Opt. Max. averteretur: sed peccati vel pravitatis loco, & nomine ista non venissent, quia alterius habitudinis nulla fuisset necessitas, vel obligatio; nec adfuisset tunc dos, vel res aliqua positiva, justitia videlicet originalis, per quam in sanctiorem ordinem redigerentur. Absentia itaque doni & axiomatis hujus supernaturalis non fuisset privatio, sed simplex carentia & negatio. Semel autem Adamo tanquam principio, & parenti totius humani generis collatum, in posteris esse debuit; & quia non est, naturam eorum relinquit, qualem diximus, nempe intellectum impotentem cognoscere, voluntatem inordinatè conversam & aversam, & appetitum rebellem. Sicut equus quamdiu adest frenum & sessor, facit officium, rectaque via graditur; quamprimum abscesserint, non per ferociam aliunde, aut de novo superadditam, sed per suam ipsius indolem exorbitat, & suo impetu fertur: Sic etiam potentiæ humanæ destitutæ justitiâ originali. Quod quia juxta divinam institutionem aliter, oppositoque modo se habere & poterat & debebat, in peccatum meritò imputatur.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI X.

Recitat hîc Auctor Consensus nonnulla è Compendiariâ Doctrinæ Formâ, iisque dicis gratia opponit quædam D. Calixti verba, legibus contradictionis voluntariè neglectis & insuper habitis. Compendiaria Forma docet; *Naturam hominis corpore & animâ in omnibus viribus prorsus totam & extremè esse corruptam & perversam: quo ad bonitatem suam, veritatem, sanctitatem & justitiam, quæ DOTES in Paradiso naturæ erant concreatæ.* Hisce exhibitis, mox, ceu huic sententiæ adversantes, *Reiicit qui docent naturalia* (primi hominis) *post lapsum mansisse* INTEGRA; *supernaturalia tantum amissa esse, & solam eorum carentiam esse peccatum originis.* Et adscribit verba D. Calixti

ex

ex Epitome Theolog. & Dissert. de Peccat. Orig. desumptâ. Agnosco hanc esse mentem Parentis mei quam verba producta eloquuntur. Notanter dico, quam verba producta loquuntur. Calovius enim de suo inseruit vocem INTEGRA. quasi Parens dixerit, *Naturalia* non *mansisse* tantum *post lapsum*, sed omni quoque ex parte *integra* mansisse. Nec illa additione contentus, ut Parentem meum Lectori vel suspectum vel exosum porrò reddat, æquivocationi sese jam involvit, pro quâ technâ Deus ipsi suo tempore rependet. Fallit nimirum Lectorem æquivocatione quæ in terminis *Naturalium* & *Supernaturalium* latet. Novit ipse ut digitos suos, per *Naturalia* D. Calixtum intelligere ea, quæ ipse Calovius in suâ Matæologiâ vocat *constitutiva* essentiæ & *consequutiva*. Ita nempe Parentem mentem suam Disput. citatæ Th. XI exponere, ignorare non potuit ille, qui vix ullam ejus lineam intactam relinquit. Quis verò nisi Flacianus aliquis negabit, naturalia hoc sensu sumpta post lapsum mansisse? Prorsus autem *integra* mansisse, unquam docuisse Parentem tantum abest, ut in Epitome Theologicâ etiam contrarium his asseruerit verbis. *Naturalia quidem retinuit, ut intellectum, voluntatē & appetitum, ejusque potentias habitus & actus naturales, quanquam & illa SVNT VITIATA ET DEBILITATA in exercendis actionib. suis quantūvis naturalibus præterquam fuissent in statu innocentiæ.* Per *supernaturalia* novit Calov. Calixtum intelligere concreatam justitiam originalē, eò quod illa nec ad ea quæ constituebant essentiam hominis, nec ad ista quæ ex ejus principijs necessariò fluunt, pertinuerit. Iam unumquemque mediocriter doctum & æquum patior esse judicem, utrum sit legitima oppositio & contradictio inter has propositiones D. Calixti: *Naturalia* h. e. ea quæ ad essentiam hominis spectabant, &, quæ ex ejus principiis necessariò promanabant, *post lapsum manserunt: Supernaturalia* (non-essentialia, nec essentiam con-

De statu post lapsū.

am consequentia) *sola sunt ablata, atq; in sola eorum absentiâ consistit Peccatum originis*: Et inter has propositiones Compendiariæ Formulæ: *Natura humana* (illa utique, quæ initio à Deo in & cum sanctitate & justitiâ erat condita) *corpore & anima, in omnibus viribus est prorsus tota & extremè perversa, quoad bonitatem, veritatem, justitiam, qua DOTES in Paradiso naturæ erant concreatæ.* Quis non videt utrobique diversissimum esse subjectum? quis, nisi malevolum oculum attulerit, contradictionem hîc conspicabitur? Per hoc ipsum *natura* olim INTEGRA (natura justitiam originalem simul complectens) natura olim DOTIBVS (ut Compendiaria Formula loquitur) *in Paradiso concreatis* instructa, post lapsum *tota extremè est* CORRVPTA, quod illis ipsis ingentibus *dotibus concreatis*, & essentiæ concreando superadditis, prorsus est privata & denudata. Privatio enim omnis dicit ordinem ad subjectum; dicit de sese abolitionem, exclusionem alicujus adesse debitæ perfectionis, dicit *corruptionem*, destructionem alicujus boni adesse requisiti. Vnde quum D. Calixtus docet, peccatum originis consistere in sola privatione *Dotium* illarum primo homini *concreatarum*, tantum abest ut per hoc neget, naturam ejus *totam extremè corruptam esse*, ut illud ipsum in privationis voce omninò comprehendatur. Hoc nemo certè diffitebitur, qui sine affectu rem expenderit, & saltem quid privatio secum trahat, se nescire non simulaverit. In ipsis profectò à D. Calovio productis Calixti verbis hæc comparent; quia *in posteris* Adami donum supernaturale *Adamo* semel *collatum non est, intellectum relinqui impotentem cognoscere res Divinas, voluntatem inordinatè conversam, & appetitum rebellem.* Quæ verò alia *corruptio* hîc dari potest? *Corruptionem* autem humanæ naturæ quando justitiæ originalis privationem comitari, & ex hac illam nasci dicimus, non nisi *accidentalem corruptionem* intelligimus, *quâ, manente substantiâ, non simpliciter per*

ter per se, & secundum essentiam, sed secundum quia corrumpi & mutari dicitur; quemadmodum loquitur Hutterus in Locis de Flacianismo pag. 378 latere B.

PVNCTVM XI.

Apol. A.C. p.58. Form. Concord. p. 575.642. Teut. p.28. 31,260.f,2.

PRofitemur, & docemus, pravas concupiscentias non esse concreatas naturæ conditiones, & proprietates quasdam essentiales, sed peccatum, quod indigeat gratiâ Christi, ne imputetur, item Spiritu sancto, ut mortificetur.

Rejicimus eos, qui docent, nasci cum concupiscentia, ad motus & impetus rationi adversos proclivi, nullum fore peccatum, nullâ positâ primævæ creationis vel divinæ ordinationis lege, per quam teneatur homo esse justitia originali, eam compescente, instructus.

Ita docet D. Georgius Calixtus Exercit. de peccat. origin th. XXII. Si Deo placuisset, hominem conditum in statu merè naturali, relinquere, tum nasci cum concupiscentia, ad motus & impetus rationi adversos proclivi, nullum fuisset peccatum, nulla videl. posita tali primæ creationis, vel divinæ ordinationis lege, per quam teneretur homo ab ejusmodi concupiscentia esse immunis, vel dote, seu justitia originali eam compescente instructus. Item de pactis, quæ Deus cum homine iniit, th. XVI. Est tertio status peccati: in eo NATVRÆ sunt laxatæ habenæ, ut inferre permittatur, quod sibi relicta inferre potest, nempe plurima incommoda, pericula, morbos, & demum mortem: Concupiscentia quoque soluta est, & ne se moveat & turbas det, dum hæc mortalis vita vivitur, prohiberi non potest. Dices fortè, quæ mere naturalia sunt, referuntur in Deum naturæ auctorem: Si igitur inordinati concupiscentiæ motus, quibus non possumus non lacessi, à natura sunt, & peccata sunt, hæc peccata in Deum, tanquam causam, redundabunt. Respondeo autem, si Deo placuisset, hominem in statu merorum naturalium relinquere, tum legem de non concupiscendo non tulisset. Quod vero nulla lex prohibet, id quoque peccatum non est. Sic etiam Dreierus in der gründlichen Erörterung/pag. 248 Cæterum ipsæ naturales potentiæ secundum se, postquam dona Spiritus S. à protoplasto ablata & deperdita sunt, proclives sunt ad objecta sua propria, id est, tantum

ad

ad terrena: Intellectus nihil percipit eorum, quæ sunt Spiritus: voluntas aversa est à Deo bonisque optimis; Appetitus sensitivus rebelli impetu desiderat id, quod soli sensus ostendunt, adeo ut positivam aliquam qualitatem potentiis ad malum superaddere necesse non sit, in definitione, scilicet peccati originis, Conf. pag. 153. & seq. h. e. Sonst sind die potentiæ für sich selbst / da die Gaben des Geistes vom ersten Menschen genommen seyn / und sie verderbt / geneigt zu ihren propriis objectis, allein zu irrdischen dingen / der Verstand vernimt nichts von Geistlichen Sachen / der Wille ist abgewand von Gott / und den besten Gütern / der appetitus sensitivus begehret rebellisch / und wiederspenstig / das / was allein die Sinnel zeigen / daß man solche positivam qualitatem nicht setzen darff über den potentiis, Conf. pag. 153. seq.

EXAMEN ET DISCUSSIO *PVNCTI XI.*

LUdit hic iterum Calovius æquivocatione vocum. Quando Formula concordiæ docet *pravas concupiscentias non esse concreatas NATVRAE conditiones & proprietates quasdam essentiales sed esse peccatum &c.* Per *naturam* Formula intelligit naturam primi hominis in concreto, ut ita loqui liceat, h. e. essentiam hominis *una cum concreatis dotibus* sumptam. Iam *naturæ* hominis ita acceptæ *conditiones & proprietates quasdam essentiales* fuisse *pravas concupiscentias*, insanus fuisset Calixtus si asseruisset, improbus autem calumniator fuerit, qui asseruisse contenderit. Quando autem *Natura* in sese, & præcisis concreatis justitiæ originalis dotibus considerata, Calixtus docet *concupiscentias* quæ hodie post amissas per lapsum concreatas dotes, *pravæ*, & *peccata* sunt, *conditiones & proprietates essentiales* (ex essentia promanantes, nam sic intelligit D. Calixtus, & voce *essentialium*, quam adhibet Calovius, in hoc negotio eum usum alicubi esse non reperio) fuisse, hoc tunc pugnabit cum sententia Formulæ Concordiæ, quando propositiones, subjectis diversissimæ significationis constan-

tes, Calovius pro contradictoriis venditare & imposterum hominibus obtrudere poterit. Expressa sunt Calixti verba quæ Calovius citat. *Si* (conditionaliter loquitur) *Deo placuisset hominem conditum, in statu MERE NATVRALI relinquere, TVNC nasci cum concupiscentia ad motus & impetus rationi adversos proclivi, nullum fuisset peccatum*. Item, *si Deo placuisset hominem in statu merorum naturalium relinquere TVM legem de non-concupiscendo* (de non habendis motibus primis) *non tulisset. Quod verò nulla lex prohibet, id quoque peccatum non est.*

PVNCTVM XII.

Apol. August. Confess. p. 51. Teut. p. 24.

PRofitemur & docemus, peccatum originis revera esse aliquod vitium in natura hominis, seu corruptionem, non verò tantùm servitutem, seu conditionem mortalitatis, quam propagati ex Adamo sustineant, sine aliquo proprio vitio, propter alienam culpam.

Rejicimus eos, qui docent, quod nascamur eâ conditione, ut exclusi simus à beatitudine æternâ, & obnoxii æternæ damnationi, hoc esse peccatum originis, & de eo hoc sufficere homini novisse ad salutem.

Ita docet D. Georgius Calixtus, Exercit. de peccato origin. thes. 5. & 6. *Credunt igitur omnes, qui necessitatem & virtutem redemptionis à Christo factæ agnoscunt & intelligunt, eâ conditione singulos homines, qui communi & naturali modo ab Adamo descendunt, nasci ut sint exclusi æterna beatitudine, & obnoxii æternæ damnationi, nec ab hâc eripi, vel ad illam admitti posse, nisi per gratiam Dei, & propter meritum & mortem Christi: Hæc conditio, hæc labes, sive hoc malum generationi naturali instar affectionis, l. proprietatis naturalis, & naturaliter inseparabilis adhærescens, vocatur phrasi Ecclesiasticâ PECCATVM ORIGINIS, de quo tantum, quantum modo diximus, novisse homini ad salutem sufficit.*

EXAMEN ET DISCVSSIO.
PVNCTI XII.

HIc lectorem monitum volò, verbis à D. Calovio productis Parenti animum fuisse τὸ εἶναι peccati originalis non nisi

nisi generaliter, confuse & simplicissima ratione proponere. Patet hoc vel inde, quod vocibus illis generalissimis inter se permutatis utitur, *hæc conditio, hæc labes* sive *hoc malum* &c. Alibi verò, ipsius nimirum Disputationis à Calovio citatæ Thesi ultima, τὸ εἶναι peccati originis plenius adhibita definitione exponit, quam hîc adijcio. *Peccatum originis est à primo peccato & inobœdientiâ Adami in omnes ejus posteros communi & carnali modo progenitos derivata justitiæ originalis privatio, eos reddens impotentes sive inhabiles cognoscere, amare, & colere Deum, quemadmodum ad salutem est necessarium, & proinde faciens, ut de Deo non sciant quæ scire deberent, verba ejus quamvis revelata in dubium vocent, bona caduca Dei amori præferant, & ad ea inordinatè ferantur: atque adeò excludens à gratia & amicitia Dei, & à regno cœlorum.* Ex hac definitione Lectori patebit, frustra esse Calovium, quando aliis, qui definitionem hanc fortè non legerint, persuadere conatur, quasi Calixtus ipsum *esse* peccati originis, secundum distinctam quoque & particulariorem rationem exprimendum, in illis generalibus conceptibus modo indicatis constituerit, & ita Apologiæ August. Conf. quam allegat, quæq; *peccatum originis dicat esse aliquod vitium in naturâ hominis, seu corruptionem, non vero tantum conditionem SERVITVTIS* (ubi verò Calixtus peccatum originis *conditionem servitutis* esse dixit? quorsum quæso hæc verba ipsi opponuntur nisi ad fucum faciendum?) *seu conditionem mortalitatis, quam propagati ex Adamo sustineant, SINE aliquo proprio vitio in ipsis propter alienam culpam*, contradixerit. Frustra hic Calixto calumniam struere Calovium, planum nunc est. Illa enim quæ Apologia ad τὸ εἶναι peccati particulariter & distinctè proponendum requirit, Calixtus in suâ quoque definitione comprehendit.

Reijcit autem porrò Calovius Calixtum, quasi invita Apologia August. Confessionis docuerit, (1) *singulos homines*

qui communi & naturali modo ab Adamo descendunt, eâ conditione sive cum *hac labe*, cum hoc *malo, generationi naturali instar affectionis seu proprietatis naturalis adhærente nasci*, ut (2) *sint exclusi æternâ beatitudine, & obnoxii æternæ damnationi*; hæc duo de peccato originis *novisse, ad salutem sufficere*. Ubi autem Apologia *reiicit* illos qui hæc duo *novisse, ad salutem sufficere* docent? Ostendat nobis locum Apologiæ Calovius in quo *rejectio* illorum qui hoc docent contineatur? Nam Calovii *rejectio* haud quaquam est ejusdem ponderis cum eo quod Apologia reijcit. Ego interea sic argumentor. Quæ duo circa peccatum originis novisse suffecit totis quadringentis in primitivâ Ecclesiâ annis, ea si hodieque aliquis de illo peccato *novisse*, dicat ad salutem sufficere, *reijci* ideo non merebitur. Hæc vero duo superius verbis Parentis mei expressa de peccato originis *novisse*, nempe quod sit, & quod effectus ejus æterna sit damnatio, suffecit de eo illis quæ diximus seculis in Ecclesiâ novisse. Ergò. Minorem probo per compendium verbis Leonhardi Hutteri, Articulo IX de Peccato Orig. Cap. I. Num. 2. *Ante tempora Augustini vix ulla in Patrum scriptis occurrit plena ac perfecta peccati hujus definitio: quin ne curam aliquam hujus rei suscepisse videtur simplicior illa adhuc & rudior primitivæ Ecclesiæ infantia, contenta potius duabus illis quæstionibus, AN sit tale peccatum, & quinam ejus effectus? &c.* Ista Hutterus quibus congrua leguntur apud Chemnitium in Locis Commun. Loco VII. de Peccato Cap. II. paginâ 554. *Veteres*, inquit, *qui præcesserunt Augustini ætatem, quando incidunt in mentionem peccati originis, duas tantum tractant quæstiones. 1. Quod sit, & unde sit? 2. Qui sint ejus effectus, id est, quæ pœnæ vel reatus? Quid autem sit, aut quos morbos in nobis agnoscere debeamus, quando fatemur peccatum originis, item in quâ parte hominis hæreat, etiam non facilè reperietur apud ipsos expressum.*

PVN-

PUNCTUM XIII.

P*Rofitemur, & docemus*, hunc morbum, seu vitium originis verè esse peccatum, damnans & afferens nunc quoque æternam mortem his, qui non renascuntur per Baptismum & Spiritum sanctum, *Rom. V. 14. 18. cap. VI, ult.* Aug. Confess. art. 2. p. 10. Apol. eod. art. p. 51. Teuton. pag. 24.

Rejicimus eos, qui docent originis peccatum Deo quidem invisum & pœnæ reum facere, minimè autem ipso actu mortem afferre æternam, si non peccata actualia cum eo conjungantur.

Ita docere D. Calixtum, vel ea testari possunt, quæ de pœna infantium non baptizatorum, libro de bono perfectè summo, sive æterna beatitudine, p. 68. tradidit. *Nam sicut peccarunt, neque tamen noverunt, aut voluerunt peccare, atque adeo peccarunt, non tam agendo, si propriè loquamur, quam habendo peccatum: ita quoque per privationem, & non tam patiendo, quàm carendo, punitum iri consentaneum est.* Addatur idem Calixtus in Exercitatione de peccato origin. §. 37. Præceptorem secutus fuit discipulus, Iohannes Latermannus, quando in Exercitatione de æterna Dei prædestinatione & ordinata omnes salvandi voluntate, habitâ Regiomonti 1646. §. 23. ita scribit: *Stante autem hac assertione, Deum non obstante lapsu (quæ verba præ cæteris diligenter attendenda sunt) omnes salvos velle; suâ sponte inde fluit, quod solum peccatum originale post lapsum adæquata damnationis causa esse non possit: Notanter dico, adæquata causa, quod enim sufficiens damnationis causa sit; nemo nisi Pelagianus negaverit, imo sufficiens omnes damnandi causa fuisset, nisi Deo novum gratiæ fœdus sancire placuisset. Cæterum adæquata causa non est, h. e. solum peccatum, quod ab ortu trahimus, non facit, ut homo post lapsum in barathrum æterni exitii præcipitetur, sed accedat semper voluntaria adversus Evangelium contumacia, necesse est.*

EXAMEN ET DISCUSSIO PUNCTI XIII.

MAnifeste rursus fallit Calovius, quando ideo *rejicit* Calixtum quod ille docuerit, *Originis peccatum minimè ipso actu mortem æternam afferre, si non peccata actualia cum eo conjungantur.* Veritati turpiter hîc parcere Calovium sonorâ voce cla-

ce clamant verba parentis quæ leguntur in Disput. de Peccato Orig. Th. v & vi quibus diserte affirmatur, *eâ conditione singulos homines, qui communi & naturali modo ab Adamo descendunt, nasci, ut sint exclusi æterna beatitudine & obnoxii æternæ damnationi; nec ab hac eripi, vel ad illam admitti posse, nisi per gratiam Dei, & propter meritum & mortem Christi. Hanc* vero *conditionem, hanc labem sive hoc malum generationi naturali instar affectionis sive proprietatis naturalis, & naturaliter inseparabilis adhærescens, phrasi Ecclesiasticâ Peccatum Originis vocari* ibidẽ luculenter, vocibus PECCATI ORIGINIS majusculis literis expressis, asseritur, ita ut *exclusionem ab æterna beatitudine*, & obligationem *ad æternam damnationem* Peccato Originis tanquam causæ acceptum ferri, neminem fugere possit, minimè verò omnium D. Calovium, qui paulo ante integras hasce Theses verbotenus exscriptas, in eadem paginæ facie, in quâ sententiam priora evertentem Calixto affinxerat, exhibuit. Tribuit autem ei tale quid, nixus consequentiâ adeò lubricâ, ut non sit, quod eâ in partes Lectorem raptum iri metuamus. Est nempè talis: Calixtus libro de bono perfecte summo *de pœna infantum non baptizatorum tradit: sicut illi peccaverint non tàm agendo si propriè loquamur, quàm habendo peccatum, ita quoque non tam patiendo* (non tam pœna sensus) *quam carendo*, (pœna damni, carentiâ visionis beatificæ) *punitum illos iri consentaneum esse*. Ergo Calixtus *negat* peccatum originis *mortem æternam afferre si peccata actualia cum eo non conjungantur*. Hæc verò consequentia plane futilis est nulla. Etenim ex illo D. Calixti antecedente, hoc tantùm consequens elicietur; Ergo infantes ante baptismum è vivis excedentes, quia non tam agendo quã habendo peccatum, deliquerunt, non experientur integram illam pœnam quæ mortis æternæ nomine venit. Neutiquam vero inde sequitur, quod Calovius nimis præcipite fluxu hinc deducit, nempe infantes quales diximus exspirantes,

tes, nullam planè mortis æternæ pœnam experturos. *Mors enim æterna* utramque pœnam, & *exclusionem à beatifica visione Dei* & *in corpore & anima cruciatus sempiternos* comprehendit, sicut docet D. Gerhardus (cujus verba sunt quæ citavi) Loco de Inferno Cap. XIII in fine. Neque etiam omninò insuper habendum, quod Calixtus libro & loco citatis, non tàm suam quàm Augustini, de infantum inevitabili casu ante susceptum baptismum sublatorum pœnâ sententiam alleget, nec adsertivè hîc quidquam decernat, sed Augustini collectionem non improbans, quod ille docuit *consentaneum esse*, tantùm affirmet.

D. Latermanni verba quod attinet, equidem non est ut pro illo respondeam. Calovius tamen sciens volensque dissimulavit & hîc præteriit responsionem viri, quam Reprehensoribus suis ille dudum reddidit, in Declaratione Apologeticâ, contra injustas, ut vocat, & importunas quorundam accusationes, edita Thoruni Borussorum Anno CIↃ IↃ C XLIIX Puncto VI. *Quanquam labes originalis*, ait ibi, *SVFFICIENTISSIMA causa damnationis sit, proxima tamen & ADAEQVATA non est, qua scilicet posita ponatur effectus: aliàs enim nemo salvari posset, sed omnes damnaremur, quia ex æquo omnes vitio illo inquinati sumus.*

ARTICVLVS III.

AVGVSTANÆ CONFESSIONIS DE CHRISTO.

PVNCTVM I.


Rofitemur, & docemus, doctrinam de persona & merito Christi, quod Iesus Christus *sit* Deus & Dominus noster, *quod sit* propter peccata nostra mortuus, *&* O. *esse maximè fundamentalem, hanc solam, eamque distinctam, & non nisi ex revelatione Dei ac verbo haustam, ad justificationem & salutem* Symb. Athan. sub finē & artic. Schmalc. part. 2 c. I. p. 304. 305. Teut. 137.

consequendam hominibus jam olim profuisse, quemadmodum & hodie iisdem necessaria est & prodest, Gen. 3. 15. Psal. 14. ult. 40. 8. 9. Esa. 53. 11. Ioh. 17. 3. Act. 4. 10. 11. 12. 1. Cor. 3. vers. 10 11. 12.

Rejicimus eos, qui docent, doctrinam de Christo, ejusque personâ θεανθρώπῳ & officio, quod nempe morte sua genus humanum redempturus esset, fideles Veteris Testam. omnes explicitè non cognovisse & credidisse, nec ut cognoscerent & crederent, eis ad salutem fuisse necessarium.

Ita docet D. Georgius Calixtus in der Wiederlegung M. 4. §. 87. Quando non negat, quod à VVellero objiciebatur, nim. in V. T. necessariam non fuisse fidem in Iesum Christum, tanquam verum Deum, neque hoc modo à vulgo fidelium fuisse in eum creditum. Respondet enim ad hanc objectionem: Si vulgo creditum fuit, futurum Messiam esse verum Deum, quæro igitur, utrum vi testimoniorum scripturæ, an verò citra testimonium hoc fuerit creditum: Si idonea testimonia scripturarum horsum requisita fuerunt, sane in libris Mosis talia non reperiuntur: Neque in libro Iosuæ, Iudicum, Regum, talia deprehenduntur, per quæ hæc quæstio expediri possit. In Davidis Psalmis, & quadringentis adeò annis post Mosis ætatem, produnt sese quædam horsum pertinentia testimonia, quorum pleraque tamen parum efficerent, nisi in N. T. allegata, & de Christo explicata fuissent. Apud Prophetas quidem plura reperiuntur, sed perquam difficile fuerit, si ex iis idonea conclusio adversus Iudæos conficienda & asserenda sit; Si verò Deus omnes homines & omnibus temporibus ad hoc obligare voluisset, nempe ut Mesiæ Deitatem expressè crederent, procul dubio eandem ubique & semper claris atque evidentibus verbis revelâsset. Et Bb. 4. §. 22. Considerandum est septimò, quod promissiones de venturo Mesia in V. T. successivè creverint, & prioribus promissis aliquid antea nondum cognitum fuerit supperadditum. Nempe Deus initio revelavit: Mesiam contriturum caput serpentis, i. e. destructurum opera Diaboli, & peccati, mortis & condemnationis à Diabolo introductæ vim enervaturum; futurum de semine mulieris, id est, hominem nasciturum ex muliere, Gen. 3, 15. Das ist / man habe im Alten Testament an Jesum Christum / als wahren Gott nicht eben glauben müssen / man habe auch daran in gemein nicht geglaubet.

glaubet. Respondet enim: Hat man ins gemein geglaubet/ der zukünfftige Messias würde wahrer GOtt seyn/ so frage ich/ ob solches/ Vermöge zeugnissen der heiligen Schrifft geglaubet worden/ oder ohne Zeugnissen. Sind hierzu bündige Zeugniß der Schrifft nöhtig gewesen/ die finden sich ja in Mosis Büchen nicht. Im Buch Josue/ der Richter/ Könige/ wird sich auch nichts finden/ damit diß Werck könte gehoben werden. In den Psalmen Davids/ und also vier hundert Jahr nach Mosis Zeiten/ finden sich hieher gehörige Sprüche/ deren doch die meisten nicht viel außrichten würden/ wenn dieselben nicht im Neuen Testament angezogen/ und auff Christum weren gedeutet worden. Bey den Propheten finden sich zwar noch mehr. Es gehet aber dennoch schwer zu/ wenn darauß ein bündiger Schluß wieder die Jüden gemacht und behauptet werden sol. Wenn aber GOtt hette alle Menschen/ und zu allen Zeiten dahin verbinden wollen/ nehmlich des Messiæ Gottheit außdrücklich zuglauben/ so würde er dieselbe auch alle wege mit hellen deutlichen Worten offenbahret haben. Und Bb 4. § 22. Zum siebenden stehet zu beobachten/ daß im Alten Testament die Lehren und Zusagen von dem künfftigen Messia allmählich zugenommen/ und dem vorigen etwas/ welches vorhin also nicht bekant/ zu gethan worden: nehmlich/ anfangs hat GOtt offenbaret/ daß der Messias/ der der Schlang den Kopff zutretten/ das ist/ des Teuffels Werck zerstören/ und der Sünden/ dem Todt und Verdamniß/ welche vom Teuffel eingeführet/ ihre Krafft benehmen würde/ seyn solte Semen mulieris, eines Weibes Saame/ das ist/ ein Mensch vom Weibe gebohren. Gen. 3. 15. Et in der Verantwortung auff das Churf. Schreiben/ §. 18. lit. Hh. Esaias quoque passionem & mortem Messiæ evidentius prædixit, quam antea factum, de qua antequam David Psalmos suos conscriberet, in præcedentibus libris ne quicquam legitur. Von Esaia ist auch das Leiden und Sterben Messiæ deutlicher Propheceyet/ als vorher geschehen/ davon ehe David seine Psalmen geschrieben/ in vorigen Büchern nichts zulesen. Item II. 3. S. Petrus, Iacobus, Iohannes & alii fideles in diebus exinanitionis Christi in Messiam à DEO promissum, crediderunt. Et hunc jam venisse, esseque hunc ipsum IESUM, Mariæ Filium, quanquam de ejusmet passione, morte & resurrectione eo ipso tempore nihil adhuc dum expresse sciverint. Unde consequens est, hanc notitiam eo tempore ad salutem non fuisse necessariam, h. e. S. Petrus/ Jacobus/ Johannes/ und andere Gläubigen/ in den Tagen der Erniedri-

niedrigung Christi haben geglaubt/an den von Gott verheissenen Messiam/ und daß derselbe nunmehr gekommen / und were dieser Jesus Mariæ Sohn/ ob sie schon von seinem Leiden / Sterben und Aufferstehung zu der Zeit noch nichts außdrücklich gewust: Solches ist noch damals zur Seeligkeit gnug gewesen. Item in Appendice dissertationis de quæstionibus duabus §. 17. docet: Mysterium Trinitatis è solo Vet. Test non posse evinci, & proinde non ita clarè in eo propositum esse, ut à quovis lectore posit deprehendi. Non igitur omnibus ejus temporis hominibus creditu necessarium fuisse, atque adeo distinctam cognitionem redemtionis (forte Redemtoris) *quæ videlicet sine cognito mysterio Trinitatis distincta esse nequeat, Novo Testamento reservatam esse. Hæc enim omnia cohærent, & ad se invicem consequuntur; positoque uno, cætera etiam poni oportet. Similiter discipulus ipsius* M. Iohannes Latermannus in Exercit. de sanctissimo Trinitatis Mysterio contra Socinianos, §. 6. Verba sunt hæc: *Veruntamen vestigia sunt, ut diximus, & insinuant saltem mysterium, haudquaquam autem illud intellectui nostro ita sistunt, ut ibi contineri perspicuum sit. Includitur videlicet cognitio hujus mysterii in distincta cognitione Redemptionis, quæ ut Novo Testamento reservata fuit, ita istius quoque distinctior cognitio eidem non potuit non reservari.*

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI I.

HIc locum habent & repetenda sunt, quæ ad Articuli primi A. C. de Deo, Punctum III & IV dicta sunt. Nempè, controversiam de notitiâ mysterij Incarnationis fidelium V. Testamenti, non magis quam de eorundem notitia Trinitatis, eà ætate quum libri Symbolici ederentur, motam fuisse, ne dum decisam. Eum igitur qui de tali quæstione de quâ Libri illi tacent, suam, citra dissentientium præjudicium aperit sententiam, præter meritum accusari quod illis de quibus diximus libris contradicat. Certè si litem de notitiâ mysterii incarnationis, hominibus, qui antequam incarnatus esset Servator vixerunt, necessariâ, dirimere sibi sumpsissent Confessores, locorum eò facientium indicium facere, minimè

mè verò ad Symbolum Athanasij vel Articulos Smalcaldicos provocasse debuisset Calovius; quippe quibus hac de re ne verbo quidem fit mentio, & neutrum fideles V. T. concernit; sed illud melioribus seculis, hi sequioribus, in gratiam usumque eorum qui post exhibitum Messiam extiterunt, scripserunt Ecclesiarum antistites. Etenim Divi, in margine citatorum scriptorum Auctores, *Necessarium esse ad æternam salutem* docent (verba sunt Athanasij) *ut incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi, fideliter credamus*; quòd nempe, quemadmodum Lutherus in Articulis Smal. rem effert, *Iesus Christus Deus & Dominus noster, sit propter peccata nostra mortuus.* Illud ipsum verò *ad justificationem & salutem consequendam hominibus jam olim*, iis scilicet qui sub Veteri pacto vixerunt, *profuisse*, *quemadmodum & hodie*, iis mortalibus quibus revelatio Novi Testamenti illuxit, *necessaria est & prodest*, id ipsum in neutro citatorum locorum assertum invenio. Pro lubitu igitur illa addidit Calovius, sua propria verba, pro doctrina Athanas. vel Lutheri satis audacter venditans. Non abs re hic fuerit adscribere verba Parentis, quæ ad Symbolum Athanasij intempestivè à Calovii complicibus jam dudum objectum, ipse reposuit Appendice ad Quæstiones de Trinit. Mysterio & Apparit. Filii Dei Num. XIIX in fine.

Notandum, verba Symboli non redolere pristinum Veteris Testamenti ævum, hæc, inquam verba, Qui passus est pro nostrâ salute, descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis, adscendit ad cœlos, sedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis. *Præterea notandum, quod non dicatur*, Quicunque voluit salvus esse, opus habuit tenere catholicam fidem, *nempe eam quæ subjungitur*, quam nisi integram servasset, in æternum periisset: *Sed* Quicunque vult salvus esse teneat catholicam fidem, *quæ videlicet hodie & juxta hunc Novi Testamenti statum (quo demum vere quæ præcessere enunciari possunt) omnibus ad salutem* *est*

est necessaria, quam nisi quisque integram servaverit in æternum peribit. Hæc ibi Parens.

Porro quomodo Articuli Smalcaldici *reijcerent* eos, qui docerent, fideles Veteris Testamenti *explicitè* non *novisse* doctrinam de Christo, ejusque personá θεανθρώπῳ & officio, quum in illis Articulis Parte 1, Art. 1, 2, 3 & 4 affirmetur, *de his articulis* SS. Trinitatis & Incarnationis *nullam esse inter nos & adversarios* (Pontificios) *controversiam*? Adversarii autem Pontificij Scholasticorum doctrinam tunc retinebant, inter quos Thomas Aquinas, Bonaventura, Hugo de S. Victore, Richardus de mediâ Villa, Thomas Argentinas, Albertus Magnus, Alfonsus Tostatus, omnes, verbis eorum in medium productis, citati à Parente Quæstione 1. de Myst. Trinitatis, à fidelibus Veteris Test. Trinitatis & Incarnationis mysterium explicitè cognitum non fuisse defendunt. Quibus præivere Patres, Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Theodoretus, Isidorus Pelusiota, Chrysostomus, Basilius Seleuciensis, Gregorius Magnus, Auctor Quæstionum Veteris & Novi Test. Bernhardus, quorum verba Parens loco citato pariter allegavit. Hos verò eadem opera *rejecissent* Articuli Smalcaldici, quod tamen Auctorem eorum intendisse quis sibi persuaderi patiatur? Certè nullum verbum quod huc tendat, in articulis illis reperitur. Impudenter itaque ad illos provocavit Calovius.

—— Quasi Poëta cum tabulas cepit sibi
Quærit quod nusquam est gentium, reperit tamen.

Cæterum qualis quantave perfectio cognitionis hujus mysterij fidelibus V. T. obtigerit, licet disquiri inter eruditos & in utramque partem disputari possit; certum tamen est quæstionem hanc, ad praxin à Christianis exercendam non magis facere quam illam, quæ nobiscum Pontificiis circa Iohannis Baptismum intercedit. Quum igitur neutra, sive solvatur, sive

non

non solvatur, praxin Christianam vel meliorẽ vel deteriorem redditura sit, alterutram fidei articulorum numero adscribere ineptum, hac vel istac inclinantes *Reiicere*, iniquũ esse existimamus. Proderit autem ad informandum Lectorem, ne calumniis circumveniatur, de ipsâ illâ in controversiâ vocatâ mysterij incarnationis quæ hominibus Veteris Testamenti obtigerit notitiâ, adscribere quæ Parentis mei mentem explicent. Refutationis calumniarum D. Welleri, quæ Wiederlegung inscribitur, Numeris XXCIII & XXCIV, ita habetur. Ohne ist es nicht/ daß aus der Schrifft erhellet/ es sein alle/ welche von anfang und nach dem Menschlichen Falle selig geworden/ zu solcher Seligkeit gelanget durch den Glauben/ daß Gott nach seiner unendlichen Barmhertzigkeit und unerforschlichen Weißheit und unbegreiffliche Krafft/ durch einen zukünfftigen und zu seiner zeit præsentirenden Heyland und Schlangentreter würde ins Werck stellen lassen/ dadurch sie vom ewigen Todt und Verdamnis zu erretten und der Seligkeit fähig zu machen. Daß sie dieses gläubet sind wir gewis: was sie aber von dem übrigen gewust/ davon stehet zu besehen was aus Herrn Luthero bald im anfang dieses Tractats angeführet. Er spricht über das dritte capitel des ersten Buches Mosis: Esaias primum ostendit virginem parituram. Der Prophet Esaias ist der erste/ der angezeiget/ daß eine Jungfraw den Heyland gebehren würde. Und über das zwey und dreissigste capittel: Posset Deus omnipotentiâ suâ servare genus humanum sine Christo. Gott konte durch seine Allmacht das menschliche Geschlecht erretten und selig machen ohne einen Messiam oder Christum. Si prorsus sine Christo, ergo etiam sine Christo, qui Deus foret. Hat er es können thun gantz ohne Christum/ so hette er es auch können thun ohne einen Christum/ der GOtt were. Wil derowegen nicht bündig seyn/ wann einer sprechen würde/ wer gegleubet hat/ daß GOTT durch einen zukünfftigen Messias das Menschliche Geschlecht erretten würde / der hat

auch

auch nothwendig müssen gleuben/ daß derselbige zukünfftige Messias würde wahrer GOtt seyn. Alle Gläubige unter dem Alten Testament haben gegleubet/ daß GOtt durch einen zukünfftigen Messiam das menschliche Geschlecht erretten würde. Ergo. Die Major, spreche ich/ oder der Vordersatz wil den Stich nicht halten/ und kan nicht probiret werden.

Es möchte jemand sagen/ Wer gleubet hat/ GOtt würde durch Messiam die Menschen selig machen/ und doch nicht geglaubet/ daß der Messias würde Gott seyn/ der hat sein Vertrawen selig zu werden auff eine blosse creatur oder Menschen gesetzet. Antwort/ dasselbe ist nichts/ dann er hat nicht gegleubet der Messias würde die Menschen selig machen GOtt außgeschlossen und bey seit gesetzet/ sondern er hat gegläubet/ Gott vermittelst seiner Barmhertzigkeit/ Weißheit und Macht würde die Menschen selig machen/ durch einen zukünfftigen Messiam: ob schon domahls noch nicht ins gemein bekand gewesen/ wer der zukünfftige Messias seyn würde. Der setzet seine Zuversicht nicht auff eine blosse Creatur/ der da gleubet und hoffet/ der Allmächtige Gott werde jhme durch einen Menschen Hülff und Rettung erweisen. Also vermeinet auch Moses/ seine Brüder die Israeliten soltens vernehmen/ daß Gott durch seine Hand jhnen Heyl gebe: welchen Mosen Gott zu einem Obristen und Erlöser gesand/ Act. VII, 25 & 35 S. Paulus spricht 1 Corinth. IX, 22: Ich bin Jederman allerley worden/ auff daß ich allenthalben ja etliche selig mache. Und 1 Timoth. IV, 16: Wo du solches thust/ wirstu dich selbst selig machen/ und die dich hören. Woraus dann erhellet/ daß auch selig machen ohne Abgötterey einer Creaturen oder Menschen zugeschrieben wird/ wann GOtt nur nicht außgeschlossen/ sondern es also genommen und verstanden wird/ daß GOtt als principal oder Hauptursache vermittels einer Creaturen oder durch einen Menschen die Seligkeit wircke und zu wege bringe.

PVN.

PUNCTUM II.

PRofitemur, & docemus, non sufficisse hominibus Veteris Testamenti, credere in Meßiam qualemcunque futurum, sive Deus esset, sive non; Verum oportuisse eosdem credere in ejuscemodi Meßiam, qui esset Deus verus, aeternus ac Iehova ipse, Deus ac Dominus noster, *cum nemo, nisi Iehova per Iehovam eos valuerit salvare Gen. 4. 1. 2. Sam. 7. 19. Ier. 23. 6. cap. 33. 16. Hos. 1. 7. Michae 5. 2.*

Symb. Athan. sub finem & artic. Schmalc. part. 2. art. 1. p. 304. 305.

Rejicimus eos, qui docent, sub lege, seu tempore V. Test. personam Redemptoris mittendam fuisse praedictam, & adventum ejus expectatum, quae autem ipsa persona haec foret, homo an Angelus, an Deus, nondum tunc temporis omnibus fuisse manifestatum, quemadmodum nec cognitio divinitatis Filii, seculi istius hominibus ad salutem fuerit necessaria.

Ita docet D. Georgius Calixtus, *in der Wiederlegung/ f. 63. & 64.* 1. 3. Fideles Veteris Testamenti similiter justificati & salvati sunt per eandem fidem, nempe quod Deus destinato tempore Messiam quendam, sive Christum, missurus esset: Sed necessitas credendi Messiam hunc non fore nudam creaturam, verum etiam verum Deum, accessit demum in N. Testam. postquam hoc unicuique sufficienter revelatum & cognitum fuit Messiam, sive Christum jam venisse, & ex sua parte perfecisse, quod hominem perditum à condemnatione liberandum, & salutis participem efficiendum requirebatur, adeoque de caetero ab iis, qui fide ipsi adhaerebant, i. e. Christianis, cultu & veneratione prosequendum esse; Tunc demum, inquam, coepit etiam fieri necessarium cognitu; an nuda creatura, seu nudus homo, an verò unà verus Deus esset iste Messias, h. e.? Die Glaubigen des Alten Test. sind gleichfals gerecht und selig worden durch einen ebenmessigen Glauben / daß GOtt zu seiner bestimten Zeit einen Messiam/ oder Christum/senden würde. Aber die Nothwendigkeit zu glauben / daß er kein blosse Creatur/sondern auch ein wahrer Gott sey/ist allererst im Neuen Testament auffkommen / nach dem solches einem jeden zur gnüg offenbahrt/ und kund worden were / daß nunmehr der Messias oder Christus kommen/ und was dem verlohrnen Menschen von der Verdamniß zu befreyen und der Seligkeit fähig zu machen nöthig were/seines theils ins Werck gestellet und verrichtet/und also hinfürter von denen / die jhm durch den Glau-

den anhängig / oder von den Christen hat müssen veneriret und geehret werden / da ists auch nöthig worden zu wissen / ob er nur eine Creatur / und blosser Mensch / oder aber zugleich wahrer GOtt wer. Item in dissertatione de duab. quæstionibus. Num Mysterium Sanctissimæ Trinitatis è solius Vet. Test. Libris possit demonstrari, &c. §. 1.5. sententiam suam sequentibus. *Hugonis de S. Victore exprimit verbis. Sub lege autem persona Redemtoris mittenda prædicebatur, & ventura exspectabatur: Quæ autem ipsa persona hæc foret, homo, an Angelus, an Deus, nondum manifestabatur; Soli hoc cognoverunt, qui per Spiritum S. ad hoc singulariter illuminati fuerunt.* Quod etiam idem Calixtus repetit in appendice der Verantwortung auff das Churfürstl. Schreiben Yy 4. Ibi namque prædicta Hugonis verba ita interpretatur : Hoc sensu oportebit etiam D. VVellerum Hugonis verba accipere & interpretari: nempe quæ persona hæc foret; homo (i. e. uti Calixtus interpretatur, merus ne homo, an Angelo, vel ipsi Deo uniendus) an Angelus, an Deus, nondum manifestabatur, i.e. inquit Calixtus, sub lege Mosis non manifestabatur : an Messias non nisi homo merus futurus, an vero ejus humana natura cum alia sublimiore, uti Angelica, aut divinâ unienda esset ? Auff selbige weise wolle D. Weller des Hugonis Wort auch auffnehmen / uud verstehen / Quæ persona hæc foret, homo (D. Calixtus glossieret das Wort nach seinem Willen / ob habe Hugo so viel sagen wollen als Merus ne homo) an Angelus an Deus nondum manifestabatur. Das ist / zu Anfang ists nicht offenbahret worden / ob der Messias anders nichts seyn würde / als ein blosser Mensch ? oder ob seine Menschliche Natur mit einer andern höhern / als der Englischen / oder Göttlichen würde vereiniget werden.

EXAMEN ET DISCVSSIO PVNCTI II.

Hic nõ nisi tribus opus est verbis. In Symbolo Athanasiano & Articulis Smalcaldicis de fide in Messiam qualem videlicet *homines Veteris Testamenti* habuerint, verba fieri tum persuadebit Calovius, quando & Symbolum & Articulos vel sub V.T. scriptos, vel *hominibus Veteris Testamenti* præscriptos, probatum prius dederit, Nempe, quod pridem monuimus, eo-

tempore quo libri illi Eccleſiarum noſtrarum Symbolici condebantur, nec de hac præſente, nec de præcedente quæſtione ulla inter partes movebatur controverſia. Nec B. Lutherus in doctrina de Perſonâ Chriſti, ut ipſe parte 1 Articulorum Smalcald. ad Art. 1, 2, 3, 4. teſtatur, diſſenſit à Pontificiis, etiamſi illorum de hoc capite ſententia è ſcriptis Scholaſticorum tunc ſatis erat nota. De quo itaque libri Symbolici & nominatim articuli Smalcaldici allegati neque agunt neque loquuntur, ei Calixtus circa illum Articulum contradicere ne potuit quidem, ſed glaucoma oculis aliorum objicit, qui eum contradixiſſe comminiſcitur.

PVNCTVM III.

Concilium Antiochenum ob eundem errorem damnavit Samoſatenū.

PRofitemur, & docemus, Filium Dei, qui in propriâ hypoſtaſi jam olim Patribus apparuit, dici non tantum ſimpliciter מלאך *Angelum. Ex. 23. 20. quod dictum eſſe de Chriſto, Paulus Apoſtolus teſtatur, 1. Cor. 10, 9. & Hoſ. 12. 4. 5. Verum etiam* מלאך יהוה *angelum Iehovæ, Gen. 16, 7. Exod. 2. 3. Iudic. 6. 11. 12. &* מלאך אלהים *angelum Dei Gen. 31. 11. 13. cum quibus confer ejusdem libri cap. 28. 20. & ſeq. Adde & Exodum, cap. 14. 19. Item eundem vocari Angelum* מלאך גאל *Gen. 48, 16.* מלאך פניו *Angelum faciei ejus, Eſai. 63. verſ. 9. &* מלאך הברית *Angelum fœderis in Malach. 3. 1.*

Rejicimus eos, qui negant, Filium Dei propriâ hypoſtaſi ante incarnationem unquam apparuiſſe, eumque uſquam appellari Angelum, præterquam duobus locis, quæ leguntur, Eſa. 9 6. Malach. 3, 1.

Ita docet D. Georgius Calixtus in diſſertatione de duabus quæſtionibus. *Num myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis è ſolius V. T. libris poßit demonſtrari?* §. 33. *Verba ſunt hæc. Angelus* מלאך *ſignificat legatum, nuncium & proinde miniſtrum. Hoc nomine in ſacris literis appellantur, tum homines, qui ab hominibus ad homines ablegantur, tum qui à Deo mittuntur ſive Spiritus ſint cœleſtes, ſive mortales Prophetæ. Vnigenitus Dei Filius ejusdem eſt cum Patre ſuo potentiæ & Majeſtatis, & in diſponendis, gubernandis & dirigendis rebus ſive univerſi, ſive alicujus populi, ſive horum illorumve hominum Deus eſt & Dominus; non nuncius, aut Miniſter. Qui aliter ſtatuerit & in talibus Filium Dei Angelum dixerit, vel ſimpliciter & abſo-*

absolutè Angelum appellaverit, gratificabitur Arianis, & eatenus consentientes habebit. Vt autem idem Dei Filius humanum genus à morte & damnatione liberaret, & sine quibus Evangelicum fœdus consistere non poterat, adimpleret, descendit de cœlis & homo factus est: quum esset in forma Dei ipse sese inanivit, forma servi accepta, similis hominibus factus est. Phil. 11.6. Hinc igitur in V. T. semel Angelus appellatur, non tamen simpliciter, sed Angelus fœderis. Malach. 3. 1. Suo videlicet sanguine fœdus sancituturus & confirmaturus: cujus proinde in carnem adventu, passione & morte fœdus nititur, & qui in fœdere, cum Patribus inito, promittitur venturus.

Et iterum paulopost, Ies. 9 appellatur μεγάλης βυλῆς ἄγγελος, magni, de redimendo videlicet genere humano, consilii Angelus; non quidem in fonte Hebræo, sed in versione Græcâ, quæ hodie extat: Hæc sunt loca, quibus Filius Dei Angelus appellatur, unicus quidem in originario, alter in græco textu: & utrobique non simpliciter, sed cum additamento. Nec non ibidem § 36. quoniam Angelo nudè & simpliciter dicto, nullus Iudæus, nullus Muhamedanus, & vix quisquam Christianus alium intelligit, vel concipit, quam nuncium & creaturam; ideo religio mihi semper fuit, Angelum, sicut dixi, nudè nuncupatum de Christo interpretari; ne suspicio cuiquam, qui fortè ad amplectendam Christi religionem induci posset, ingeneretur, Christum antequam carnem suscepisset, atque citra incarnationem & functionem redimendi generis humani, quam in se recepit. consideratum, esse nuncium, ministrum, creaturam. Neque quidquam magis è re & sententia Arianorum, quam hoc ipsum. Vide eundem in der Wiederlegung D. VVelleri §. 94. 95. 96. & seq. Adde & ibidem §. 103. Et quoad alteram hujus puncti partem, Calixtus ex præmissis falsis, iisque non concessis, sæpissimè concludit. Ergò ist der Sohn GOttes in solcher angenommenen Gestalt in eigener Person nicht erschienen / in der Wiederlegung D. VVelleri, §. 107. usque ad §. 119. nec non in der Beantwortung Churfürstl. Durchl. Schreibens §. 27. Similiter D. Christianus Dreier in gründlicher Erörterung p. 80. & seq. & Ioh. Latermannus in exercitatione de sanctissimo Trinitatis mysterio contra Socinianos, §. 24. sub finem.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PVNCTI III.

ITerum hîc nimium quantum iniquitatem suam prodit D. Calovius, qui quum ne literam quidem in ullo libro Symbolico reperire potuerit, cum quâ vel in speciem pugnaret exosa sibi Calixti sententia, *Concilium Antiochenum*, ne nihil opposuisse videretur, in margine citat; quodnam autem intellectum velit non addit, cujus tamen rei indicium vel maximè facere debuisset, quum *sex fuisse Concilia Antiochena* existimet & annotet Franciscus Sylvius ad Summam Caranzæ, verbo, *Concilium Antiochenum.* Plura certè fuisse non est cur dubitemus. Quænam verò Ecclesia Protestantium, Doctores suos ad Concilium hoc particulare, nimirum Antiochenum, unquam adstrinxit? Qui tamen de Antiochenis Conciliis aliquid novisse cupit, introspiciat quæ Parens meus D. Iohanni Scharfio inculcare coactus est. Eadem scilicet Calovio, ad hanc Arianorum Synodum æquè atque Scharffius, provocanti, reponi possent; ast quum pluscula sint, ad Responsum sive Antwort auff D. Hülsemans Muster Lectorem remitto, in cujus calce ubi prima pagina latina incipit *Vacaturæ erunt hæ pagellæ &c.* huc facientia leguntur. Quidquid igitur sit de Patrum Antiochenorum improbæ Arianorum hæresi faventium Concilio, immota tamen sibi constat veritas verborum B. Parentis, ibidem scribentis; *Nullum Corpus doctrinæ*, vel Iulium, vel Prutenicum vel aliud simile; *nulla Confessio* vel Augustana, vel Saxonica vel Wirtenbergica, vel alia; *nulla Formula Concordiæ*, quæstionem, *Num Filius Dei Patribus sub Vetere Pacto, seorsim secundum suam sibi propriam hypostasin in adsumta quadam figura vel corpore apparuerit, & per Angelum qui ejusmodi in locis commemorari consuevit, intelligatur?* attigit aut determinavit.

Controversiam ipsam quam D. Calovius huc pertrahit quantum concernit, non est ut cum eo nunc in arenam descendamus & de illa disputemus. Quod autem ille sibi sumit potestatem *reiiciendi* eos, qui sententiam sibi displicentem amplectantur, in eo tyrannum Mislentam, (qui alibi etiam *Martyr* ei, ast *incruentus* tamen audit) est imitatus. De quo oportunè nec immeritò hîc repetere licebit, quod antehac monuit B. Parens meus, quum ad D. Hulsemanni modo citatum **Meisterliches Muster** responderet. In hujus scilicet Responsionis calce, sub titulo, *Emendanda & Addenda*, postquam loca Brentij & Lutheri, qui idem quod ipse hac de re senserunt & publicis scriptis professi sunt, allegasset, ita sermonem concludit; *Ita quidem ante annos centum & plures docuerunt Lutherus & Brentius: at hodie decreto & scito Mislentæ & sociorum,* (Calovij & complicum) *contraria sententia transiit* in articulum fidei, *& est* (verba Mislentæ jam sequuntur) error capitalis ac fidei fundamentum evertens, negare apparitiones Filij Dei in Vetere Testamento in propriâ personâ, sed

Pag. 95. tantum per Angelos *factas affirmare. Decretum exstat in Appendice, quæ Anticrisi subjuncta.* Ista pro re nata D. Calovio in memoriam revocanda, & ex iis quæ tunc Parens commentatus est, excerpenda fuerunt. Ne autem porrò sit nescius, fecisse olim cum Parente meo Wittebergenses quoque Theologôs, adscribo quæ Ægidius Hunnius Commentario in

Edit. Francof anno 1589. p. 210. caput x Epistolæ ad Hebræos, hanc in rem inseruit. *Quamvis* ait ibi, *priusquam carnem assumeret, Filius Dei semper in mundo fuit (siquidem ratione Deitatis nec ingreditur nec egreditur mundum, sed immutabiliter rebus omnibus creatis adest, juxta testimonium Ieremiæ 23, Numquid non cœlum & terram impleo ego? dicit Dominus) tamen ante eam incarnationem in mundo se non visibiliter manifestavit, assumens autem humanitatem ipse λόγος, visibilis & conspicuus factus, & carne manifestatus scribitur.*

PVN-

PUNCTUM IV.

PRofitemur, & docemus, Filium Dei ita factum esse hominem, ut à Spiritu sancto sine virili opera conciperetur, & ex Maria pura sancta semper virgine nasceretur, *natusque sanctus, impollutus, & ut Iustinus in expositione fidei loquitur, ἁμαρτίας καθάπαξ κεχωρισμένος, à peccato ex omni parte segregatus, defectus humanos ultrò susciperet, adeoque causam mortis non in se haberet, sed propter peccata nostra moreretur, Esa. 7. 14. Matth. 1. 23. Luc. 1. 35. Hebr. 7 26. & Rom. 4. ult.*

Artic. Schmalc. part. 1. pag. 303. & part. 2. pag. 304. Adde Catalogum testim. sub finem concord. h. e. p. 875. Teut. 137. & in Test. p. 21. f. b.

Rejicimus eos, qui docent, Christum ob naturam suam humanam, seu, quia homo fuit, defectibus humanis, morbis nempe, dolori, ac denique morti fuisse obnoxium.

Ita docet D. Georgius Calixtus in digress. de arte nova pag. 265. & 266. Hisce verbis: Docet scriptura, Adamum Protoplastum, & Christum Servatorem homines esse. Hoc dum docet, itidem docet, utrumque animal esse, utrumque rationalem esse, sive animâ rationali & corpore organico sentiente præditum esse: & quia illa, ideo quoque intellectu & voluntate; quia hoc, ideo, sensu & appetitu & facultate sese movendi, nec non humanis membris, duabus manibus, duobus pedibus, decem manuum & totidem pedum digitis instructum esse; item naturæ suæ relictum fami & siti, dolori, morti obnoxium esse. Dum, inquam, actu docet, homines esse, cætera omnia docet virtute.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI IV.

NIhil eorum quæ Caloviushic *Profitetur & docet* in Articulis Smalcaldicis citato loco comparet, præter pauca illa verba quæ majoribus characteribus hîc excudi fecimus. De Catalogo testimoniorum calci Formulæ adjectorum quem simul allegavit, infra dicam. Chordâ porrò toties tactâ oberrat D. Calovius, & mavult in leges contradictionis apertè peccare, quam occasionem Calixtum traducendi non arripere. Quod ut clarius ostendere possim præmitto,

mortis

mortis causas in homine, esse vel ex genere morum, vel ex genere naturæ, ut Philosophi loquuntur. Ex genere morum, est peccatum. Ex genere naturæ hæc est, quod corpus hominis constat ex contrariis. Quo posito nemo non cernit, quam sit nulla prorsus contradictio inter hæc duo, *Christus nullam in se habuit causam mortis in genere morum* (quia peccatū non habuit) ET; *Christus aliquā in se habuit mortis causam in genere naturæ* (quia corpus habuit nostro ὁμοούσιον ex contrariis constans.) Prædicati palpabilem in utraq; propositione diversitatem contradictionem tollere, vel illi etiam viderint, qui ære nondum lavantur. An fortè Calovius tacitè negat corpus Christi constitisse ex contrariis nostroque fuisse ὁμοούσιον, & ita *naturæ suæ relictum* (si vel Deo ita relinquere visum, vel Servatoris nostri dignitati, sic relictum iri, congruum fuisset) morti fuisse obnoxium ? Hoc, certè, si facit, Marcionitarum hæreticorum castris appropinquare videbitur. Recordetur velim ejus quod in suâ Matæologiâ Papisticâ Sectione II cap. I initio scripsit, Lutheranos *non asserere immortalitatem partem naturæ fuisse*, (in primo homine) *aut è principiis naturæ profluxisse*. Si itaque adhuc hodiè credit, *immortalitatem non fluere è principiis naturæ* hominis, utique admittat necessum est, *naturam hominis sibi relictam non esse immortalem.* Ergo nec Christi humana natura, si *sibi relictam* ponamus, fuisset immortalis, sed mortalis, & morti aliquando facta esset obnoxia. Seipsum itaque reijciat oportet D. Calovius, si non desinet D. Calixtum *reiicere* quod scripserit, *Scripturam, dum docet Adamum & Christum homines esse* --- utrumque *naturæ suæ relictum, fami, siti, dolori, morti obnoxium esse*, docere *virtute*. Interim qui mortalis est naturâ, si de se præcise consideretur, eundem beneficio certorum mediorum posse simul esse immortalem, & morte perpetuò carere, certum est & D. Calixto alias monitum & traditum.

De

De *Catalogo testimoniorum* quæ Formulæ Concordiæ addita cernuntur, & quibus contradixisse Calixtum contendit Calovius, adscribo verba D. Polycarpi Lyseri, ex illius Kurtzen und gegründeten Berichte auff die unter D. Daniels Hoffmans wieder die zu Dreßden gedruckete Christliche Concordiam in offenen Drucke außgesprengete Beschuldigung / zu Dreßden Anno CIↃ IↃ XCVII gedrucket. Damit sich niemand des Appendicis halber zu beschweren hette / hat man jhn erst zu letzt hinter die Nahmen der subscribenten drucken lassen / anzuzeigen / daß zu des Appendicis subscription niemand verbunden sey / man möge jhn bey dem Werck haben / man möge jhn davon laßen. Appendix itaque non est pars Formulæ, nec paris auctoritatis cum illâ. Quare si vel maximè Appendici huic aliquis contradicat, Formulæ non est dicendus contradixisse.

PVNCTVM V.

P*Rofitemur, & docemus*, Christum non tantùm ut Deum, verum etiam ut hominem, omnia nosse, omnia posse, omnibus creaturis præsentem esse, & omnia, quæ in cœlis, in terris, & sub terra sunt, sub pedibus suis, & in manu sua habere, Matth. XXIIX, 18. Iohan. XIII, 3. Ephes. IV, 10. Epit. concord. pag. 608. Teut. 245.

Reijcimus eos, qui vel pro incerto habent humanæ naturæ Christi divinam Majestatem fuisse communicatam, vel prorsus negant, Christum hominem secundum humanitatem esse omnipræsentem.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Epitome Theol. pag. 160. hisce verbis: Ne quidem ipsum corpus communicatæ majestatis est expers, de qua tamen tacere malumus, quàm incerta proferre. Vide eundem Calixtum in der Wiederlegung D. VVelleri §. 62. nec non §. 12. ubi ait: Doctrina de ubiquitate corporis & humanæ naturæ Christi, est omnino novitas, sive nova doctrina. Die Lehr von der Allenthalbenheit des Leibes und der Menschheit Christi ist schlechter Dings eine Neuerung / oder neue Lehr. Item in der Beantwortung des Churfürstl. Schreibens / &c. §. 23. 26. 27. Similiter Doctor Conradus Horneius in dissertat. Theol. 6. §. 23. Homo (puta Christus) est æternus,

est ubique, at non secundum humanitatem, sed secundum divinitatem. Nam secundum illam quidem dicitur: postquam venit plenum tempus, misit Deus Filium suum factum ex muliere, Gal. iv, 4. item non est hic, surrexit n. adeste, videte locum ubi jacebat Dominus, Matth. xxiix, 6 Item cum videret turba, Iesum illic non esse, Ioh. vi, 34. & gaudeo propter vos, me illic non fuisse, Ioh. xi, 15.

EXAMEN ET DISCVSSIO

PVNCTI V.

H*Vmanæ naturæ Christi divinam Majestatem esse communicatam*, admisit & passim inculcavit B. Parens meus. *Christum hominem* autem secundum *humanitatem esse omnipræsentem* negavit, fateor, eamque doctrinam pro novâ jure habuit. *Omnipræsentiam* illam, scribit beatus Vir Antwort auff D. Hülsemans Muster Thesi CIX, *negant non solùm nominati à Mislenta Iesuitæ & Pontificii moderni, Calviniani & Arminiani, sed etiam Græci & Orientales & quicquid est Christianorum toto orbe, exceptis illis in cæterorum comparatione paucis, qui ad eam recipiendam, vi Formulæ Concordiæ adiguntur. Anno* CIƆ IƆ XXXVII *quum scriberentur Articuli Smalkaldici, nulla fuit inter Protestantes & Pontificios, circa articulum de Persona & incarnatione Christi controversia. Ergo dogma de præsentiâ humanæ naturæ Christi in omnibus Vbi, in quibus Divina præsens, nondum invaluerat. Si enim invaluisset aut innotuisset, controversiæ expers non fuisset, quandoquidem nemo unquam Pontificius ejusmodi præsentiam docuit vel admisit, nisi unus Iacobus Faber Stapulensis, qui apud suos orthodoxus non audivit. Mislenta ni-*
Pag. 88. *hilominus in Appendice suæ Anticriseos dogma de* omnipræsentiâ carnis Christi articulum fidei *appellare audet; ejusque demonstrationem ex hoc ipso Confessionis Smalcaldicæ loco & Augustanæ tertio Articulo arcessere.* In Confessione, *inquit*, Augustanâ Carolo V. Imperatori exhibita articulus de omnipræsentia ceu creditu necessarius numero tertio promulgatus est, ac ab omnibus & singulis Ecclesiis Lutheranis receptus & approbatus. Post

Confessionem Augustanam non in libertate Lutheranam religionem profitentium dogma hocce situm fuit; sed pro fidei Christianæ articulo habitum: ipso B. Luthero facem præferente in Articulis Smalcaldicis Articulo quarto, parte primâ. *Tertius articulus Augustanus nemini, ut puto, ignotus est. Quartum illum Smalcaldicum hîc adscribemus, ut quam stolidus vel improbus Mislenta sit, unicuique appareat. Verba igitur Articuli hæc sunt.* Filius ita factus est homo, ut à Spiritu Sancto sine virili operâ conciperetur & ex Mariâ, purâ, sanctâ semper virgine nasceretur. Postea passus & mortuus est, sepultus descendit ad inferna, resurrexit è mortuis, adscendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei, venturus judicare vivos & mortuos, &c.

Ex his judicet Lector, utrum à Confessionis Augustanæ consortio *reiiciendus* sit, qui omnipræsentiam illam neget. Ad Formulam Concordiæ Parens nunquam fuit adstrictus, nec ullus Professorum in hac Academia adstringitur. Imò nostrum Corpus Doctrinæ Julium, cui sacramentum diximus, *Omnipræsentiam* illam *humanæ naturæ in omnibus Ubi, in quibus divina Christi natura seu ipse λόγος præsens sit*, ut Mislenta & complices eam efferre solent, tanquam rem illiquidam *seponit*; Parte II Artic. I in fine. Was aber die Disputation belanget de Ubiquitate, Ob der Leib Christi auch sonst allenthalben/ und an allen örtern sein möge/ setzen wir dieselbige nach Lutheri raht beyseits/ und daß aus hochwichtigen bedencklichen Ursachen/ biß wir einmahl in ewigen Leben Christum von Angesicht zu Angesicht in seiner Herrligkeit sehen werden wie er ist/ wie solches alles in der widerholten gemeinen Confession der Sächsischen Kirchen vor diesem Artickel weitleufftiger erkläret ist/ dahin wir die Pastores weisen. Calovio porrò opponimus Eines Christlichen Hochgelahrten und umb die Gemeine Gottes wolverdieneten Lehrers der ungeenderten Augßpurgischen Confession (quem D. Salomonem

nem Glassium esse vix est quod dubitemus) Bedencken/ quod Numero VI von der Algegenwärtigkeit Christi ita judicat: Es ist aber diese Controversia nicht neulich entstanden/ sondern fast vom Anfang der Julius Universität hergewesen: wie die Wort D. Heshusii, Professoris quondam Helmstadiensis, hievon zu mercken/ welche D. Calixtus in der Widerlegung einführet. T. 3. b. Gleich wie aber der jetzigen Professorum daselbst Prædecessores vor rechtglaubige Theologen von anderer Universitäten Theologen gehalten/ und sie bey ihrer Meinung gelassen/ und dergestalt die Christliche Kirch mit hefftiger Widersetzung in solchem Dogmate nicht beunruhiget worden: Also hindert auch nichts/ daß es ferner also gehalten werde. Wenn das jenige/ so in corpore doctrinæ Julio enthalten/ in wolgegründeten Bericht/ ꝛc. p. 56. 57. (dahin auch D. Hülsemann weiset in Dialysi p. 338. 340) von den Professoribus zu Helmstedt statuiret und gelehret wird; (wie sie denn darauff/ als ihre Normam Doctrinæ, gewiesen und verpflichtet:) so wird davorgehalten/ daß der Sachen selbst/ und der Erklärung der Schrifft-Texte von diesem Lehrpunct genug geschehe/ und im übrigen man in Ruhe stehen/ und diesen Streit/ ohne Gefahr der Göttlichen Lehre/ beyseit setzen könne.

In cumulum addo, probare nos quod dudum scripsit D. Nicolaus Selneccerus, unus ex Auctoribus Formulæ Concordiæ, in Catechesi pag. 220. *Quid sentis de Ubiquitate?* Primùm *de ipso vocabulo sentio planè hoc portentosum esse*. Secundò, *quod ad rem attinet, duas regulas retineo, & præterea nec de Ubiquitate, nec de localitate quicquam quæro & disputo. Prior regula hæc est: Christus non tantùm suâ Deitate, sed etiam corpore suo potest esse, ubicunque, quandocunque, & quomodocunque vult esse, quia Deus est omnipotens. Posterior regula est: Christus vult esse corpore suo ibi & revera præsens est ibi, ubi se corpore suo esse velle, dixit ipse & promisit, quia verax est, & servans suæ promißionis*. Priorem regulam approbat etiam Confessio Saxonica pag. 134, his verbis.

So können und wollen wir auch mit den Sacramentariis, als mit Martyre und andern nimmermehr sagen oder lehren/ daß Christus mit aller seiner Allmacht so viel nicht vermöge/ daß er mit seinem Leibe/ mit welchem Er Sich persöhnlich vereiniget/ wann Er wolle könne allenthalben seyn. Utinam nulli ulterius progrederentur, sed omnes intra hos terminos subsisterent!

PUNCTUM VI.

Profitemur, & docemus, non tantùm Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, per fidem in electis, qui per Christum justificati, & cum Deo reconciliati sunt, habitare; omnesque verè pios esse templa DEI Patris, & Filii, & Spiritus sancti: à quo etiam ad rectè agendum impelluntur; sed etiam Christum secundum suam assumptam naturam, & cum ea præsentem *illis* esse, ut Mediatorem, Caput, Regem, & summum Sacerdotem. Non enim dimidiatus tantùm Christus, aut una duntaxat ipsius pars Ecclesiæ præsto est: sed tota Christi persona. Ad eam autem pertinent ambæ naturæ, divina & humana: quare eam præsentem habemus non tantum secundum divinam, verùm etiam secundum assumptam humanam ipsius naturam, juxta quam ipse frater noster est, & nos caro sumus, de carne ejus, & os de ossibus ejus. Et sanè in hujus rei confirmationem, sacram suam cœnam instituit, ut testaretur, se etiam secundum eam naturam, qua carnem & sanguinem habet, nobiscum esse, in nobis habitare, operari & efficacem esse VELLE, *Ioh. 14. 23. 15. 26. 1. Cor. 6. 15. 16. 17. Ephes. 5. 29. 30. 31. 32.* Concord. pag. 695. nec non p. 783. 784. Teut. 281. 313.

Rejicimus eos, qui peregrinam & fanaticam appellant doctrinam de substantia hominis fidelis, gratiosè ac mysticè unitâ cum substantiâ totius sanctissimæ Trinitatis, deque termino hujus unionis non solâ divinâ, sed humanâ quoque Christi natura, cui etiam fide extra Sacramentum jungamur, quoad substantiæ nostræ peculiarem quandam & mysticam approximationem.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Exercitatione de auctoritate sacræ Scripturæ, &c. habita Helmæstadi diebus 21. Iunii & 16. Septembris CIↃ IↃ C XLIIX. §. CXI. seu ultimo: Verba sunt hæc: Nolimus substitui peregrinam & fanaticam doctrinam de substantia hominis

minis fidelis unitâ cum substantia totius sanctissimæ Trinitatis, deque termino hujus unionis non sola divina, sed humana quoque Christi natura; cui etiam fide extra Sacramentum jungamur, quoad substantiæ nostræ peculiarem quandam approximationem. Nolimus hujusmodi commentorum τέρατα spargi; sed magis medio Rheno, vel Albi, vel si quis alius ad septentrionem magnus & profundus fluvius, ne unquam caput efferant, submergi. Qui sanè, quanti quanti sunt, restinguere tamen non poterunt ignem æternum, qui paratus est diabolo, calumniarum parenti & flagitiorum autori, & Angelis asseclisque ejus. Ejusmodi τέρατα commentorum impingit universis Lutheranis, quotquot credunt continuam (non dicimus CONTINVAM, prout quantitas continua vocatur, sed ἀδιάστατον & indistantem, quousque credunt) carnis Christi in carne quorumvis fidelium conjunctionem. In der Beantwortung auff Churf. Durchl. Schreiben / §. 23.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PVNCTI VI.

VErba quæ hîc Calovius è Formula Concordiæ citat, partim de inhabitatione gratiosâ SS. Trinitatis in suis fidelibus, partim de omnipræsentia humanæ Christi naturæ omnia agunt, quod qui introspiciet non poterit non deprehendere. Nec ullum adductorum verborum de *substantiæ nostræ peculiari ac mysticâ approximatione, cum substantia totius Trinitatis*, item, *cum humana Christi natura extra sacramentum*, loquitur. Hîc unicuique suos oculos judices esse libenter patimur. Non igitur Formulæ Concordiæ, sed Calovij & complicum novis & absurdis figmentis repugnant, qui olim inauditam illam *peculiarem approximationem substantiæ SS. Trinitatis, & humanæ Christi naturæ extra sacramentum cum corporibus fidelium*, non possunt admittere. Calovius autem impudens est, qui prætextu Formulæ Concordiæ eos sumit *reiicere*, qui Formulæ, quæ de hac novitate muta est, nullo modo contradicunt. Haud injuria autem impudentem dixero, qui novam ali-

aliquam & primariis vere Lutheranis Theologis minimè probatam opinionem canonizare, & *fidei verè Lutheranæ Consensui* inserere veritus non fuerit. Certè D. Johannes Gerhardus, Exegesi Locorum Theolog. Loco 11 de Naturâ Dei & Attributis Divinis Sect. 11x num. 188 adducit quidem illam *quorundam* opinionem, *quod specialis Dei in sanctis habitatio & propinquitas, præter specialem operationem gratiosam, etiam ipsius essentiæ specialem approximationem inferat*, atque illorum ibidem affert argumenta, ast ipse, ut prudens erat ac modestus, sententiam non amplectitur, sed in medio relinquit. Post recitata enim argumenta, & allegatas similitudines, quibus sententiæ illius Patroni eam *declarare* ament, ita ipse infit. *Nobis hic probatur illud Chrysostomi Homilia I. de incomprehensibili Dei natura: Deum esse ubique, totumq́, esse in quavis parte orbis terrarum, novi, sed quemadmodum sit, nescio.* Itemque illud ejusdem Homilia 2 in Epistolam ad Hebræos: *Quod ubique sit Deus scimus & dicimus, quomodo autem ubique sit intellectu non capimus.* In quem sensum etiam verba Lombardi & Lutheri adjicit. At hodie sententia quam Gerhardus in medio reliquit, è Calovij & complicum mente in Formula Concordiæ, scilicet, est determinata, & qui ei contradicunt, sunt ab Augustanæ Confessionis societate *reiiciendi*. Tam fœcundi sunt quidam hujus seculi Theologi in dogmatibus augendis, & rejectionibus aliorũ cumulandis. Qui veterem & veram de omnipræsentiâ Divinæ substantiæ doctrinam cognoscere cupit, adeat Parentis Antwort auff D. Hülsemans Muster Num. LXVI & LXVII.

PVNCTVM VII.

PRofitemur, & docemus, Deum λόγον unitum homini, edere miracula, & operari non seorsim, aut separatim à natura humana assumpta, sed pro sua bonitate placuisse ipsi per assumtam humanitatem, in ea, & cum ea, propriam divinam suam potentiam operando exercere. Vnde CORPVS DOMINI est adorabile, cùm Verbum manum

Ita loquit. Form. Concord. ex Athanasio in Catal. Testimoniorum pag.

num suam corporalem extendens sanaverit febricitantem, vocem humanam edens, suscitaverit Lazarum; manibus suis in cruce protensis, principem aëris prostraverit, *Matth. 8, 15. Luc. 8, 46. Ioh. 11, 43. Coloss. 2, 14. 15.*

Epi. & Concilio Ephesino Anathem. 8. 9. & 11. Teut. pag 20.

Rejicimus eos, qui docent, non humanæ, sed solius divinæ opis fuisse, ut uno verbo mortuus suscitaretur, digitis in aures insertis, surdo auditus restitueretur, aut manus contactu cœco visus redderetur.

Ita docet D. Conradus Hornejus, disput. Theol. parte 1. disp. 1. sect. 3. §. 81. circa finem, hisce verbis: sic voce humana loqui, digitum auribus inserere, manibus aliquem contrectare, actiones humanæ sunt, & non Deo, sed homini propriæ, at verbo uno mortuum suscitare, digitis in aures insertis, surdo auditum restituere, aut manus contactu cæco visum reddere, non humanæ, sed divinæ opis est.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI VII.

ITerum provocat D. Calovius ad Catalogum testimoniorum, quem partem Formulæ Concordiæ non esse, è supra dictis constat. Ad hanc nempe Appendicem, ab auctoribus & adstipulatoribus Formulæ nulla subscriptione munitam, confugiendum fuit, quum in ipsâ Formula nihil occurreret quod B. Horneio opponeretur. Nondum etiam assequor, quomodo Horneii verba, adductis Athanasij adversentur. Prior locus ex Athanasij Dialogo v de Trinitate, posterior ex Oratione v contra Arianos, excerptus est & ita habent: *Quomodo corpus Domini non esset adorabile? quum Verbum manum suam corporalem extendens sanaverit febricitantem, vocem humanam edens suscitaverit Lazarum, manibus suis in cruce protensis principem aëris prostraverit?* D. Horneij autem quæ Calovius rejecit sunt ista; *Voce humana loqui, digitum auribus inserere, manibus aliquem contrectare, actiones humanæ sunt, & non Deo sed homini propriæ: at, verbo uno mortuum suscitare, digitum in aures inserendo auditum restituere, aut manus contactu cæco visum reddere,*

non

non humanæ sed Divinæ opis est. Hic Calovius debuisset ostendere, quâ parte Horneiana verba Athanasianis contradicerent. Equidem fateor, contradictionem illam invenire me non posse.

Neque etiam Horneius docet λόγον *operari seorsim aut separatim à naturâ humanâ assumptâ*, sed tribuit utrique naturæ operanti quod suum est, cum communione alterius. *Digitum*, ait, *auribus inserere est actio humanæ naturæ.* Quis dubitet? Sed *digito in aures inserto surdo auditum restituere, non est humanæ* tantum, sed *Divinæ*, utique in, cum & per humanam naturam tanquam organon sibi personaliter unitum sese exserentis *naturæ actio, est Divinæ opis.* Hæc est mens verborum Horneij, in quâ quid *rejectionem* mereatur, monstrari à Calovio velim.

PVNCTVM IIX.

PRofitemur & docemus, quod non nudus homo tantùm pro nobis passus, mortuus, & sepultus sit, ad inferos descenderit, à mortuis resurrexerit, ad cœlos ascenderit, & ad Majestatem & omnipotentem Dei virtutem evectus fuerit: sed talis homo, cujus humana natura cum Filio Dei tam arctam ineffabilemque unionem & communicationem habet, ut cum eo una sit facta persona. Quapropter verè Filius Dei pro nobis est passus, sed secundum proprietatem humanæ naturæ, quam in unitatem divinæ suæ personæ assumsit, sibique eam propriam fecit: ut videlicet pati, & Pontifex noster summus, reconciliationis nostræ cum Deo causa, esse posset: Sic enim scriptum est: Dominum gloriæ crucifixerunt. Et sanguine Dei redempti sumus. *Actor. 20, 28. 1. Cor. 2, 8.* secundum Canonem X. Concilii Ephesini. Epitome Concord. pag. 607. & 608. Teut. 245. n. 8.

Rejicimus eos, qui docent, passione, crucifixione, & sanguinis effusione, ac morte suâ salutem generis humani procurare, solius divinæ naturæ & virtutis opus esse.

Ita docet D. Conradus Horneius, in parte II. Disputat. Theol. disput. I. sect. 3. §. 81. sub finem, hisce verbis: Similiter pati, cruci-

figi, sanguinem profundere, mori, humanæ naturæ actiones sunt; at passione, Crucifixione, & sanguinis effusione, ac morte sua, salutem generis humani procurare, solius divinæ naturæ & virtutis opus est.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PVNCTI IIX.

QVæ hîc ex Epit. Form. Concordiæ citantur, ibi extant. Loquuntur autem verba Epitomes, de primo genere communicationis idiomatum, cui Horneius nihil unquam adversi docuit. *Reiicimus*, pergit Calovius, *eos qui docent, passione, crucifixione, sanguinis effusione & morte sua salutem generis humani procurare, solius divinæ naturæ & virtutis opus esse*. Hisce vero subjungit verba Horneij. In quibus si quid vitij hæreret, id tamen non primo Communicationis idiomatum generi, de quo allegata Epitomes Form. Concordiæ verba agunt, sed secundo quod communicationem operationum vocant, per illa adspergeretur. Sed ne hoc quidem evinci potest; etenim bonum sensum habent Horneij verba quæ Calovius, genio indulgens, sinistrè detorquet. Neque enim à salutis acquisitione aut procuratione ille humanam naturam excludit, quando ait, *passione, crucifixione, & sanguinis effusione ac morte suâ; salutem generis humani procurare, solius Divinæ naturæ & virtutis opus esse*. Imò dum *passionis &c.* in procuranda salute mentionem facit, humanam naturam ad hoc ipsum opus satis apertè requirit. Dum autem addit, *solius divinæ naturæ & virtutis esse, passione &c. salutem procurare*, ostendere vult principium & fontem quasi, ex quo infinitus, qui in passionem & mortem humanæ in Christo naturæ dimanavit valor, profluxerit. Hunc videlicet fontem, non humanam sed Divinam esse naturam, nec in ulla persona passiones tanti posse esse ponderis, quanti fuerint illius personæ passio & mors, in quâ *tota* quoque *plenitudo Deitatis* continebatur. Hæc est mens & doctrina Horneij, conformis utique Theologorum verè Lutheranorum communi doctrinæ.

PVNCTVM IX.

PRofitemur & docemus, ad Majestatem, quam Christi humanæ naturæ adscribit sacra Scriptura, & orthodoxi Patres, secundum Scripturam pertinere, quod vivificet, omne judicium, omnemque potestatem in cœlo, & in terrâ, adeoque omnia in manibus suis habeat, omnia sub pedibus ipsius subjecta sint, à peccatis mundet, &c. Eaque non esse dona creata, sed divinas, infinitas proprietates, quæ tamen (juxta testimonia scripturæ) Christo homini datæ, & communicatæ sunt, *Ioh. V. & VI. Matth. XXIIX. Dan. VII. Ioh. III. & XIII. Matth. XI. Eph. I. Ebr. II. 1 Cor. XV. 1. Ioh. I.* quodque hæc communicatio non tantum quasi per phrasin aut modum loquendi dicta de persona Christi secundum ipsius divinitatem, sed potius secundum assumptam humanam naturam intelligenda sit, & quod humana in Christo natura illam majestatem acceperit, secundum rationem hypostaticæ unionis.

Formula Concord. pag. 775. Teuton. pag. 310.

Rejicimus eos, qui docent, hominem quidem Christum personaliter habere omniscientiam, omnipotentiam, omnipræsentiam, sed humanam Christi Naturam omnipotentem, omnisciam, & omnipræsentem esse ac dici, non æquè admittunt, quia naturam in unione suppositali tale quid non deceat, imò eos nimium progressos esse, qui eam communicationem unioni personali tribuerunt, adserunt.

Ita docet D. Christianus Dreierus in gründlichen Erörterung/ pag. 403. Naturæ in Christo manent in esse suo naturali, & retinent proprietates suas; est tamen aliqualis inter ea communio, quæ nempe ex unione suppositali & personali promanant, ut habeat homo omniscientiam, omnipotentiam, & omni præsentiam personaliter, quemadmodum divina natura eas proprietates habet per se & formaliter. Vnio suppositalis & personalis, quà talis, non importat aliam communicationem, si inductio per omnia exempla fiat. Quid enim suppositum, quid persona sit ex natura & generalibus conceptibus ejusmodi terminorum, determinandum est. Notat Autor in margine; Quicquid ex personali unione inferendum est, ex unione suppositali & personali, quà tali, fluat, oportet. Item pag. 422. Eaque propter non immeritò dixi, D. Brentium hic in

excessu peccâsse, quando communicationem idiomatum in unionem personalem invexit. Das ist/ die Naturen bleiben in jhrem Esse, und behalten jhre Eigenschafften; doch ist eine Communio unter jhnen/die nemlich auß der suppositali, und personali unione herfleust / daß der Mensch hat die Allwissenheit/ Allmacht/ Allgegenwertigket personaliter, wie die göttlich Natur die Eigenschafften hat per se, & formaliter. Keine andere Gemeinschafft(nullam aliam communicationem, quâ scilicet ipsa humana natura sit omniscia, omnipotens, omnipræsens) bringet die unio suppositalis und personalis, quâ talis (quà suppositalis) mit sich/wenn man auch aller Exempel inductiones hervor sucht; Denn was suppositum und persona sey/ muß aus der Natur erklåret werden in generalibus conceptibus. Setzet auch in margine hiezu |: Was man aus der persöhnlichen Vereinigung schliessen will/muß aus der unione suppositali, und personali, quà tali (quà suppositali) herfliessen. Item p.422. schreibet er: Darůmb habe ich wol gesaget/ daß D. Brentius hie ein wenig zu weit gegangen sey/wenn er die Mittheilung Göttlicher Hoheit in die persöhnliche Vereinigung mit eingeführet.

EXAMEN ET DISCVSSIO.

PVNCTI IX.

Hoc punctô quum *Reiiciantur* partim *qui docent humanam Christi naturam non esse omnipræsentem*, quâ de re paulo ante est responsum; partim D. Dreierus peculiariter notetur, ille vero nostrâ desensione non indigeat, non est cur verba in cassum disperdamus.

PVNCTVM X.

Ita docet Formula Concord. pag. 778. Concil. Ephes. Anath. 9. & 11. Teut. 311.

P*Rofitemur & docemus*, cum veteri orthodoxâ Ecclesiâ, quòd humana in Christo natura majestatem illam acceperit, secundum rationem hypostaticæ unionis, videlicet, quod cum tota divinitatis plenitudo in Christo habitet, non quemadmodum in sanctis hominibus & Angelis, sed corporaliter, ut in proprio suo corpore, etiam omni suâ majestate, virtute, gloriâ, operatione, in assumtâ humanâ naturâ liberrimè (quando & quomodo Christo visum fuerit) luceat, & in ea, cum ea, & per eam, divinam suam virtutem, majestatem & efficaciam exerceat, operetur & perficiat.

Reji-

Rejicimus eos, qui docent attributa divina enumerata non esse humanæ naturæ *communicata per unionem* personalem, sed *tantum personaliter unita*, itemque Christum corpore & humanitate sua ex terris ita abivisse, ut hic in terris *non manserit*, nisi divina essentia & gratia sua.

Ita docet D. Calixtus in Epit. Theol. p. 162. Neque attributa divina sicut Filio à Patre per æternam generationem, ita humanitati à divinitate per personalem unionem communicantur (sequeretur hinc Eutychianismus, & manifesta confusio naturarum in Christo.) Sed quia assumpta humanitas attributa illa divinitatis τῦ λόγυ personaliter sibi unita habet, ita ut in illa & per illam operationes suas exerant, ideo dicitur communionem cum illis habere. D. Conradus Horneius parte II. disput. Theol. pisput. 1. sect. 3. §. 80. sub finem hisce verbis: Eodem etiam Matth. xxiix, 18. respicit, cum ablegaturus discipulos in totum mundum, de potestate omnium sibi data præfatur, Data est, inquit, mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Profecti ergò docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii Spiritus S. docentes eos observare omnia, quæ præcepi vobis: & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi: Nam & ad hanc ablegationem, & ad ista tum præcipienda, tum promittenda, non humana tantùm auctoritas, sed divina majestas & potestas requirebatur, cùm nec baptizari in nomen, nisi Dei possit; nec qui corpore & humanitate sua ex terris abiturus erat, hîc in terris simul manere, nisi divina Essentia & gratia sua id faceret.

EXAMEN ET DISCUSSIO

PUNCTI X.

EN Tibi Lector, insigne specimen æquitatis & candoris Caloviani. Non erubescit ille hîc reiicere verba Calixti, quæ ipsius B. Chemnitij totidem sunt verba, & à Parente in Epitomen Theologicam, loco à Calovio indicato, translata; nomine etiam ejus à quo mutuo sumpta sunt, ibi, cum libri & capitis quo habentur indicio, expresso. Calovius autem Chemnitii nomen, quod, ni cœcus fuerit non potuit non

videre, bellè omisit, ut potiretur facultate Calixto tanto plausibilius convitium ingerendi. Verba Chemnitii libro de duabus in Christo naturis cap. XXIII p. 162, hæc sunt: *Quia assumta humanitas attributa illa Divinitatis λόγου personaliter sibi unita habet, ita ut in illa & per illam operationes suas exserant, sicut de ferro ignito dictum est, ideò dicitur Communionem cum illis habere.* Edit. in 4to.

Ista Chemnitius, ad quæ applicentur verba quæ ex Epit. Theologicâ Parentis Calovius, ceu erronea & ideò reijcienda, producit, & luculenter apparebit Parentem cum Chemnitio esse loquutum quando dixit, *humanitatem attributa* illa *divinitatis* τοῦ *λόγου* de quibus particulariter ibi sermo est, *personaliter sibi unita habere*. Apertum insuper unicuique est, ambas hasce propositiones, Humanitatem *attributa Divinitatis personaliter sibi unita habere*; Et hanc, *Attributa* illa *humanæ naturæ per unionem personalem communicata esse*, non nisi vocabulis inter sese differre. Imponit igitur Lectori Calovius, quando persuadere nititur Parentem suâ loquutione à Chemnitio mutuatâ, propositionum istarum posteriorem exclusam voluisse.

Ad alterum verò, quod etiam illi *reiiciuntur*, qui docent *Christum corpore & humanitate suâ ex terris ita abivisse, ut hîc in terris non manserit, nisi Divinâ essentia & gratia*, nihil attinet respondere nisi hoc unum, quod cum verbis Formulæ Concordiæ â Calovio productis, ista quæ *reiiciuntur* nulla specie pugnent. Aliâs semel de illâ omnipræsentia vel Ubiquitate, ut ipsum Corpus Doctrinæ Julium eam vocat, suo loco est actum. Fatemur ex Scriptura probari non posse, quod Christi humanitas post suam in cœlos ex his terris discessum, sit nihilominus in illis substantialiter præsens, nisi ubi & quando promisit se præsentem futurum sicut est in sacra Cœna. Notum est B. Luthero nostro, quum superioris seculi anno XXIX.

xxix. Marburgi cum Zvvinglio congrederetur, in disputationis æstu excidisse quidem Vbiquitatis assertionem, semel atque iterum ab ipso repetitam; post illa tamen mutasse sententiam, Vbiquitatem missam fecisse, certè super ea cum nemine contendisse, nemini eam obtrusam ivisse, inde non male colligimus, quod deinceps, ubi ex instituto de Persona Christi disputavit, nullam ubiquitatis fecit mentionem. Accedit quod Tomo Ienensi octavo, controversiæ de præsentia corporis Christi in S. Eucharistia, disputationem de Vbiquitate immisceri prohibet. Plane egregia sunt quæ hanc in rem D. Tilemannus Heshusius Præfatione quadam ad Henricum de Sallern, scripsit. Posteaquam, Magnum Lutherum dignis uti par erat, mactasset laudibus, addit: Hiemit aber wil ich keines weges gebilliget noch gestercket haben deren Theologen unrühmliches fürhaben/ die jhre gefaste und sonderbahre Gedancken/ die sie gleichwol mit rechtem Grund göttliches Worts nicht können erhalten noch darthun/ mit dem blossen Titel und herrlichen Nahmen Lutheri wollen beschönigen und verthetigen/und andere so jhnen nicht alsbald beypflichten auffs hefftigst verunglimpfen/ruffen sie bey menniglichen aus/ als weren sie von dem Bekäntnis Lutheri gewichen/ und wolten Lutherum meistern/ so es doch viel ein andere Meinung hat mit der Hauptlehre so Lutherus geführt/ und aus der Schrifft gewaltig hat erwiesen/ ein andere/ wenn Lutherus etwas hat disputiret/und seine Gedancken angezeigt/ die er doch hernacher hat geendert. Es hat etwa der Herr Lutherus die Vbiquität/ das ist die Allenthalbenheit oder Allgegenwertigkeit des Leibs Christi in allen Creaturen geführt und asserirt wider die Zwinglianer/ und solches hat er der Meinung gethan/ weil die Zwinglianer trotziglich stritten/ es were aller dings nicht möglich/ daß ein Leib köndte mehr denn an einem Orte seyn. Zu einem mahl hat Lutherus zeigen wollen/ daß GOtt viel weischette/ mit seinem Leibe etwa zu seyn/ wie er solch sein intent selbst meldet im

grossen

grossen Bekantnis. Und ist doch männiglichen bewust / daß Lutherus wie Tomo Ienensi octavo klar zu sehen / die ubiquität oder Algegenwertigkeit des Leibes Christi hat fallen lassen / und vermahnet / man solle im Streit der Gegenwertigkeit des Leibes Christi im heiligen Abendmal / von der ubiquität oder Allenthalbenheit nicht disputiren / sondern an dem klaren Wort Christi sol man sich genügen lassen / Der HErr Christus hat gesagt / Nehmet hin / esset / das ist mein Leib der für euch gegeben wird. Er ist warhafftig / dazu allmächtig / darumb ist ohn zweiffel der wesentliche Leib JEsu Christi warhafftig gegenwertig. Bey diesem richtigen und einfeltigen Bekäntnis und trewen Vermahnung Lutheri bleiben wir durch Gottes Gnad fest und bestendig. Weil denn uns Herr Lutherus selbst vermahnet / die Vbiquität oder Algegenwertigkeit des Leibs Christi in oder bey allen Creaturen fahren zu lassen / wir auch sehen durch Gottes Gnad / daß die ubiquitas vel omni præsentia corporis Christi nicht mag mit klaren Zeugnissen göttliches Worts gründlich erwiesen werden / den Wiedersachern nur ursach und anlaß dadurch gegeben wird / grewlichen wider uns zu declamiren / so kan uns kein verständiger Christ mit Billigkeit verdencken / daß wir das so in Gottes Wort nicht klar gegründet / für keinen Articul des Glaubens annehmen. Weichen derhalben nicht von dem Bekäntnis Lutheri, sondern folgen viel mehr seinem Christlichen und trewen Raht und Unterrichtung. Die Argument und Grund die zu Beschönigung der ubiquität / das ist allenthalben / geführet werden / haben wir nicht nur eins / sondern vielmahl in rechter Gottesfurcht und Anruffung erwogen / und mit Fleis betrachtet / wir befinden aber daß sie viel zu schwach sind / solchen hohen Articul des Glaubens zu statuiren / von dem wir kein außgedruckt Wort haben. Es gebührt uns nicht zu folgern / noch consequentias zu machen / in den hohen verborgnen Geheimnissen Gottes nach unser dummen Vernunfft / sondern GOttes helles außgedrucktes Wort müssen wir für uns / darauff wir fussen und

uns verlassen können und sollen/ haben. Weil denn kein Zeugnis der heiligen Schrifft zu finden | darin außgedruckt were | daß der Leib Christi auch ausser dem heiligen Abendmahl allenthalben / in oder bey allen Creaturen gegenwertig sey/ so haben wir bedencken solche Lehre / von welcher auch die alten Kirchenlehrer nichts gewust/ für einen Artikel des Glaubens anzunehmen / und uns uffdringen zu lassen. Können hierüber der gantzen Kirchen Christi Urtheil wol leiden.

PUNCTUM XI.

P*Rofitemur*, *& docemus*, de articulo, quod Iesus Christus, Deus & Dominus noster, solus sit agnus, qui tollit peccata mundi, Iohan. I, 29. & quod Deus omnium nostrum iniquitates in ipsum posuerit, Esai. LIII, 6. Cedere, aut aliquid contra illum largiri, aut permittere, neminem piorum posse etiamsi cœlum & terra, ac omnia corruant, adeoque articulum istum fidei esse primum & principalem, quemadmadum eum Articuli Smalcaldici appellant. Artic. Schmalc. parte I. art. I. pag. 304. 305. Teut. 137.

Rejicimus eos, qui docent, Doctrinam de merito Christi universalissimo pertinere non tam ad fidem ipsam, quam informationem in fide, ac proinde non primum, ac principalem esse fidei articulum.

Ita docet D. Christian Dreier in der gründlichen Erörterung/pag. 740. hisce verbis: Probe notandum est, unumquemque Christianorum id confiteri in Symbolo, quod ipse credit, non quod alius credit, nempe Christum sibi natum, sibi mortuum & resuscitatum esse: eaque propter nihil expressum est, in Symbolo, de universali Dei voluntate, quod omnes homines salvos cupiat; nihil de universali merito Christi, nihil de universali omnium hominum vocatione &c. Quorum articulorum notitia in tentationibus demum necessaria est, ad erigendas dubias & trepidantes conscientias; ut si quispiam cogitet. Non extare ullum Dei verbum, quod Deus se salvum cupiat: talis erigere se non possit absque subsidio universaliũ promissionum, sicut alibi ostendi & demonstravi. Verum hæc notitia pertinet potius ad subsequentem informationem in fide, quam ad fidem ipsam. Ex universalibus enim testimoniis aut seipsum informare oportet, aut informationem ab aliis accipere; sicut quo-

que ex irrefragabilibus testimoniis Scripturarum necesse est, aut seipsum informare, aut informationem ab aliis capere, quoties circa alia fidei capita dubium incidit, ut e. g. circa divinitatem aut satisfactionem CHRISTI, &c. qualia omnino in catholico, antiquo & necessario Symboli sensu continentur, neque tamen propterea dici potest, omnia Scripturæ testimonia, ad ejusmodi informationem idonea, omnibus & singulis Christianis cognitu necessaria esse. Das ist/ Daneben ist wol zu mercken/ daß im Symbolo ein jeglicher bekenne/ was er gläubet/ nicht was andere gläuben/ daß nehmlich Christus jhm zu gute gebohren/ für jhn gestorben/ und von den Todten aufferstanden sey/ daher stehet nichts darin expresse von dem allgemeinen Willen Gottes/ alle Menschen gerne selig zu machen/ von dem allgemeinen Verdienst Christi/ von dem allgemeinen Beruff der Menschen: Welche Wissenschafft in Anfechtungen nöthig ist/ die zweiffelnden und zaghafften Gewissen auffzurichten/ also gar/ daß wenn jemand auff die Gedancken kompt Er habe kein Wort Gottes davon/ daß Gott jhn wolle selig haben/ Er sich nicht wieder auffrichten kan/ ohne die allgemeine Verheissungen/ wie ich das anderswo auch erwiesen und dargethan habe. Aber das gehöret mehr ad informationem in fide, als ad fidem ipsam. Den auß den allgemeinen Sprüchen muß man entweder sich selbst unterrichten/ oder andere sich unterrichten lassen/ wie man auch entweder sich selbst unterrichten muß/ aus unbeweglichen Sprüchen der Schrifft/ oder sich von andern unterrichten lassen/ wenn man bey andern Stücken des Glaubens in Zweiffel geräth/ als von der Gottheit/ oder Gnugthuung Christi/ die allerdinges in dem Catholischen alten nöthigen Verstand des Symboli enthalten sind; und kan man doch darümb nicht sagen/ daß alle Sprüche/ die zu solcher information können angeführet werden/ allen und jeden Christen zu wissen nöthig weren.

PUNCTUM XII.

Form. Cō cord. p. 613. & 788. Teut. pag. 247. 315.

PRofitemur, & docemus, totam personam Christi, DEUM & hominem, eumque quoad corpus & animam ad inferos descendisse, Satanam devicisse, potestatem inferorum evertisse, & Diabolo omnem vim & potestatem eripuisse, nosque per ipsum è potestate mortis & satanæ ab æternâ damnatione atque adeo è faucibus inferni ereptos esse, 1. Petr. 3, 18.

Rejicimus eos, qui docent, posse quidem dici, totam personam, Deum

Deum & hominem, ad inferos descendisse; minime autem eundem quoad corpus etiam descendisse.

Ita docet D. Christian Dreier in der gründlichen Erörterung/pag. 471. & 472. Verba sunt hæc: Idcirco Theologi nostri non rejecerunt sententiam de descensu Christi secundum animam; sed est ea plerorumque veterum Nostratium Theologorum: neque repudiari potest citra repudium doctrinæ Catholicæ Christi Ecclesiæ. Hoc certum est, ne unicum quidem Ecclesiæ doctorum hoc dicere, quod Christus etiam corpore ad infernum descenderit. Itaque præstat simpliciter dicere, quod tota Persona, quæ Deus & homo est, ad inferos descenderit. Si volupe fuerit addere, secundum quam humanæ naturæ partem descenderit? asseramus cum prisca Ecclesia, quod secundum solam animam: Si volupe porro fuerit exponere, quid pisca Ecclesia de hac quæstione senserit? non occultanda est veritas, sed dicendum, quod secundum solam animam descenderit. Contra docuit Athanasius in sermone de passione Domini, ubi subjectum descendens sic describit: Resurrexit à mortuis, & descendit (in infernum scilicet) pro ludibrio ducens Diaboli ferociam. Editionis Græco-Lat. Commelianæ, &c. pag. 801. Das ist/ Derohalben haben unsere Theologi nicht verworffen die Lehre von der Hellen-fahrt Christi der Seelen nach/ sondern dieselbe ist der meisten unserer alten Theologorum gewesen: Sie kan auch nicht verworffen werden/ daß man nicht die Lehre der allgemeinen Christlichen Kirchen verwerffe. Das ist gewiß/ das keiner unter den alten Lehrern gesagt hat/ das Christus dem Leibe nach were zur Höllen gefahren. Darumb kan man sagen einfältiglich/ daß die gantze Person/ Gott und Mensch zur Höllen gefahren sey: Wil man aber auch sagen/ nach welchem Theil er zur Höllen gefahren/ sage man mit der alten Kirchen/ allein der Seelen nach. Und wil man erklären/ was die alte Kirche hiervon gehalten hat/ kan man die Warheit nicht unter die Bäncke stecken/ sondern muß sagen/ daß jhre Meinung sey: Christus sey allein der Seelen nach zur Höllen gefahren. Dagegen hat Athanasius gelehret in sermone de passione Domini, da er von der Natur/ welche von Todten aufferstanden ist/ schreibet. ἐξανέστη καὶ κατέβη, das ist: Er ist aufferstanden und niedergefahren/ hat des Teuffels Grimm gespottet/ rc.

Posteriora hæc duo puncta quia D. Christianum Drejerum tangunt, ea ipsi confutanda relinquimus: novit ille respondere Calovio.

ARTICVLVS IV. VI. & XX.

AVGVSTANÆ CONFESSIONIS

DE

JVSTIFICATIONE ET BONIS OPERIBVS

PVNCTVM I.

Apol. Aug Conf. art. 4 pag 60. art. Schmalc. part. 2 art. 1. pag. 305. Et Epitom. declarat. art. 3 p. 883. Teut. fol. 29. fac. b. 237, 276.

Profitemur, & docemus, articulum de justificatione, ac justitiâ fidei coram Deo, præcipuum esse in totâ doctrinâ Christianâ, sine quo perturbatæ conscientiæ nullam veram & firmã consolationem habere, aut divitias gratiæ Christi rectè agnoscere possunt, & contra quem aliquid largiri, aut permittere nemo piorũ potest, etiamsi cœlum & terra ac omnino corruant. Id D. Lutherus suo etiam testimonio confirmavit, cum inquit: Si unicus hic articulus sincerus permanserit, etiam Christiana Ecclesia sincera, concors, & sine omnibus sectis, permanet: sin verò corrumpitur, impossibile est, ut uni errori aut fanatico Spiritui rectè obviam iri possit. Et de hoc articulo D. Paulus præcipuè loquitur, cum inquit: Paulum fermenti totam conspersionem fermentat, Gal. 5, 9.

Rejicimus eos, qui docent, Controversias de Remissione peccatorum, justificatione & æternâ vitâ obtinendâ, quæ inter nos Lutheranos seu, Augustanæ Confessioni invariatæ addictos, & Pontificios, maximâ contentione disceptantur, & inter cæteras præcipuæ æstimantur, sine difficultate componi posse.

Ita docet D. Georgius Calixtus in consideratione & ἐπικρίσει ad Colloquium Thoruniense, &c. §. 40. hisce verbis: Ex hisce recensitis apparet, si hos intra terminos stetur, & removeantur tricæ scholasticæ, & proponatur doctrina verbis quorumvis captui accõmodatis, aut qualibus, quum non in umbrâ disputatur, sed serium illud certamen oculis in morte natantibus atrâ, cernitur, vel acutissimus quisque disputator uti velit; controversias de remissione peccatorum, justificatione & æternâ vitâ obtinendâ, quæ inter partes maximâ contentione disceptantur, & inter cæteras præcipuæ æstimantur, sine magna difficultate componi posse. Idem habet Calixtus

tius in Notis ad Concil. Trident. sess. 6. Et in Epit. Theol. moral. pag. 382. ubi Evangelicos ita describit: Qui neque Christum rejiciunt, neque Petri doctrinam in dubium vocant, sed de Purgatorio, Indulgentiis & nescio quibus haud maximi momenti rebus, olim aut incertis, aut penitus ignoratis AMBIGUNT.

EXAMEN ET DISCUSSIO PUNCTI I.

VErba à D. Calovio ex Apologiâ A. Conf. & Articulis Smalcaldicis producta, suis locis partim ratione sensus, partim αὐτολεξεὶ, inveniuntur. Et amplector quæ Lutherus Articulis Smalcald. loco cit. dicit, *contra articulum* de justificatione *neminem piorum aliquid largiri aut permittere posse*. Nego autem parentem quando scripsit, *si termini atque tricæ Scholasticæ*, sub quibus doctrina hæc inter nos & Pontificios disceptatur, *removeantur, & proponatur illa* ipsa doctrina *verbis quorumvis captui accommodatis, qualibus* in mediâ morte, *vel acutissimus disputator uti velit*, controversiam de justificatione *facilè componi posse*; eo ipso *aliquid contra præcipuum hunc*, ut Apolog. A. C. vocat, *articulum largitum esse ac permisisse*. Verba *quorumvis captui accommodata*, quibus hic articulus sub medio Papatu propositus est, & ibi adhuc hominibus, quando hora mortis ingruit proponi solet, B. Parens non tantùm in Epicrisi à Calovio hîc allegatâ, sed dudum ante, in Digressione de Arte Novâ Nihusii à p. 441 usque ad pag. 447. editionis Helmstadiensis, ex Hosii Cardinalis Testamento, Exhortatione Anselmi ad fratrem moriturum, Hortulo animæ, Agendis Ecclesiasticis, Sacerdotali Romano, produxit. Hisce similia è Moguntinâ, Coloniensi & Trevirensi Agendis, hoc ipso seculo in Germaniâ nostrâ excusis excerpta, exhibuit in der Verantwortung auff das Churfürstl. Sächsische Schreiben Mm. ut falsò scripserit Calovius Syncretismi sui pag. 338. *Calixtum tantùm producere Agenda Papistica ante Concilium Tridentinum usitata.*

Contra oculorum suorum testimonium hoc scripsisse oportet, qui modò nominatum Parentis mei scriptum sæpiùs integrum perreptavit, & nunquam non, conatu licet inani, sugillavit.

Dico Parentem nihil contra substantiam ipsam articuli de Iustificatione *largitum* fuisse aut *permisisse*, quando existimavit & scripsit si ab utraque controvertentiũ parte stetur intra simplicia verba, qualibus in media morte disputator etiam acutissimus articulum hunc concipere suoque animo ad solidam consolationem proponere atque eidem infigere vellet, controversiam omnem facile componi posse. Assertionem hanc probo hoc argumento: Qui articulum de justificatione quoad substantiam suam retinet integrum, is nihil *contra eum* (substantiam ejus) *largitur ac permittit*. Hæc propositio est ex terminis nota. Nunc subsumo; Calixtus commendans simplicia illa verba ex Agendis, Anselmo, Hortulo animæ &c. &, si utraque controvertentium pars illis insistat, controversiam illam componi posse persuasus, articulum de justificatione secundum substantiam suam retinet integram. Ergo Calixtus ita sese gerens, nihil contra articulum de Iustificatione *largitur ac permittit*. Minorem per compendium ita probo. D. Leonhardus Hutterus Locis Theologicis, Titulo de Formali causa Iustificat. nostræ, controversia speciali IV statim initiò ita scribit: *Acropolis hæc* (de causa formali justificationis controversia) *est totius belli, quod de justificatione hominis cum Iesuitis longe acerrimum geritur. Quod si enim de causa formali justificationis utrinque conveniret, OMNIS profectò RELIQVA controversia VLTRO exspiraret.* Statum autem controversiæ genuinum mox subijcit sequentibus verbis: *An causa formalis justificationis nostræ ponenda sit tantum in merito sive satisfactione Christi, per fidem nobis imputata, cum gratuitâ omnium peccatorum remissione per & propter Christum fide apprehensum?* Hanc verò ipsam

ipsam doctrinam, quam justificationis *causa formalis* termino Scholastico ibi designat Hutterus, quod videlicet non meritis nostris sed tantum meritis Christi nobis per fidem imputatis ad gratuitam peccatorum remissionem perveniamus, verbis illis *quorumvis captui accommodatis*, qualia ex Agendis, Anselmo, Hortulo animæ &c. Calixtus profert, omnino retineri; tum per se apertum est, tum rursus agnovit laudatus Hutterus, Locis iisdem, Titulo de Ecclesiâ Lutherana pag. 530 col. B, quando ita scripsit: *Taceo jam quod moribundis ac animam agentibus* sub densissimo Papatu, *subinde ex Hortulo Animæ acclamabatur, ut omnem spem atque fiduciam in nullam aliam rem collocarent, quam in meritum & mortem Iesu Christi, huic ipsius morti se involverent, eaque contra ignita Diaboli tela se munirent & contegerent. Vbi nullum est dubium, quin reliquis errorum & superstitionum Pontificiarum stipulis per ignem illum tentationum combustis ipsum FUNDAMENTUM SALUTIS sit firmiter RETENTUM, & sic plurimi IN FIDE in Christum decesserint.* Hæc ita ad verbum Hutterus. Calovius ipse in Syncretismo pag. 338 fatetur eos qui in tali *simplicitate* decesserint & decedant adhuc hodie, è *faucibus Erebi eripi.* Argumentor nunc denuo ita: Vbi est consensus de causa Formali justificationis (sive, de re ipsa huic termino substratâ) ibi reliqua de Iustificatione controversia facile expirabit. Vbi retinetur doctrina simplex ex Agendis, Anselmo, Hortulo animæ à Calixto deprompta, ibi est consensus de causa formali justificationis (sive, de re ipsâ huic termino substratâ) Ergo ubi retinetur doctrina simplex ex Agendis, Anselmo, Hortulo animæ &c. ibi reliqua de Iustificatione controversia facile exspirabit. Et Major Minor validè fundantur in verbis Hutteri, quibus stantibus (ut sane dicunt quod res ipsa est) vel ipse quoque Hutterus Wittebergæ talia docuit, quibus *aliquid contra articulum de Iustificatione largitus est & concessit*; aut si Hut-

tero tale quid imputari nequit, etiam Parenti meo, cum Huttero hic in re ipsa convenienti, non nisi per injuriam idem imputari potest.

Superest quod Calovius è Digressione Parentis de Arte Novâ pag. 382. editionis Helmstad. hic producit. Dicit Calixtum ibi Lutheranos sic describere, quod *sint illi, qui neque Christum reijciant, neque Petri doctrinam in dubium vocent, sed de Purgatorio, Indulgentiis, & nescio quibus haud maximi momenti rebus, olim aut incertis, aut penitus ignoratis, AMBIGANT.* Vix satis apparet, quo fine hæc verba attulerit Calovius. Quantum assequi licet, Lectori persuasum it, sub illis *haud maximi momenti rebus*, de quibus Calixtus dicit *Lutheranos ambigere* controversiã de Iustificatione voluisse intelligere, atque ita contradixisse verbis Apologiæ A. C. *Articulum de Iustificatione præcipuum* vocantis. Sed nemo non videt, hanc cavillationem nimis anxiè quæsitam, nimisque longe esse petitam. Primùm enim generaliter tantum loquitur D. Calixtus, quando meminit *rerum haud maximi momenti.* Hinc certe non sequitur, ergo præcisè *has res*, controversias de Iustificatione sub terminis Scholasticis, voluit *non maximi esse momenti.* Deinde, per *res non maximi momenti* Pontificiorum omninò dogmata, frivolis illis, quæ exempli loco nominavit, *de Purgatorio, de Indulgentiis* non dissimilia intellexit. Hoc ipse contextus, si introspectus expendatur, docet. Frustra ergo est suâ cavillatione Calovius. Eadem hæc verba, sed diversa paululum ratione, sugillavit etiam D. Hülsemannus Exercit. de Symbolo Apostolico Respondente M, Enoch Hanmanno habita anno 1653, Cap. VII Num. X, in fine. *Non*, inquit ibi Hülsemannus, *ita describimus nostros Cristianos, sive Lutheranos, quemadmodum id facit D. Calixtus* in Digressione de Arte Nova p. 382 *quod sint illi*, qui neque Christum reijciunt, neque Petri doctrinam in dubium vocant, sed de Purgatorio, indulgentiis, & nescio quibus haud maximi momenti rebus, olim aut incertis

certis aut penitus ignoratis, ambigunt; *certitudinem enim, quod hæc phantasmata Papistica nihil hic sint, non dubitationem ab illis requirimus*. Sic genero prælusit socer. Vnius enim in Calixtum animum si noris, utriusque noris. Hoc tamen contra Calovium in Hulsemanno probo, quod verba Parentis de *aliis haut maximi momenti rebus*, ita ut contextus poscit, & ego paulo ante monui accepit, nempe de *Papisticis phantasmatibus*. Quod autem vocem *ambigunt* arripit & exagitat, in eo genero Calovio nihilo melius se gerit. Quis vero non-malignus ibi non viderit, Parentem, cum Pontificiis humaniter acturum aliqua μειώσει in loquendo uti? *Ambigere* itaque dixit eos, quos omnino existimavit certos esse, quod Papistica illa, quæ D. Hulsemannus vocat *phantasmata, nihil* essent. Taceo nunc, Calixtum isto loco *descriptionem Lutheranorum* minimè tradere, sed incidenter tantùm & qualitercunque eos, pro sermonis & contextus exigentia, designare. Sed quid opus est pluribus? Ipsa illa Digressio de Arte Nôva, in qua, ad voculam *Ambigunt* impingentes, invenisse rati quo sinistris suspicionibus oneretur Vir optimus, ad liberandum eum, & ab intentato reatu absolvendum sufficientia, alibi suppeditat. Etenim non procul à fine, omnes totius Germaniæ Pontificios Dd. inprimis Colonienses compellans, *quæ fides nostra quæ doctrina sit* edisserit. Num. 258. Mox quæ Pontificii *affirment* Num. 261. catalogo satis prolixo proponit. De iis autem nos non *ambigere*, sed *ea omnia negare* iterum clara voce profitetur quando ait; *Nos ea, quæ tanquam vestra posuimus, NEGAMVS OMNIA*. Num. 271. Neque verò sunt, quæ nos *negare* affirmat, *res haud maximi momenti*, sed *sunt certè multa adeò absurda, & non modo pietati, sed publicæ quoque tranquillitati, & imperiorum rerumque publicarum saluti, & Imperatorum Regum, Principumque dignitati adeo adversa, ut* ab iis, quos compellat Pontificiis Doctoribus, *præ illorum* (quod comiter præsumit) *studio, & in Christiani orbis rempublicā* Ibidem.

 affectu,

affectu, affirmari posse, prorsus diffidat. Sicubi igitur toto hoc Tractatu Auctor *describit nostros Christianos sive Lutheranos*, profectò non loco ab Hülsemanno, & vestigia ejus legente Calovio producto, sed ibi id facit, ubi articulatim quæ utrorumque fides & doctrina sit, distincto characterum genere proponit. Tu interim, Benevole Lector, vel ex hoc solo exemplo Duumvirorum istorum ingenium & fidem prudenter æstimabis.

PUNCTUM II.

Apol. August. Conf. art. 4. p. 73. in fine Teuton. fol. 37, b.

PRofitemur, & docemus, verbum justificari, non tantum in Epistolis ad Romanos & Galatas scriptis, utpote, quæ inter omnes sacra Scripturas argumentum de justificatione uberrimè & accuratissimè tractant, verum etiam 1. Cor. VI, 11. Tim. III, 7. non aliter, quàm in forensi significatione accipi, hoc est, justificari, esse, consequi remissionem peccatorum.

Rejicimus eos, qui docent, in locis adductis, id est, 1. Cor. VI, 11. Tit. III, 7 verbum istud non forensem, sed moralem induere acceptionem, ac justificari nihil aliud esse, quàm justum, id est, justitiæ amantem & studiosum fieri.

Ita docet Conradus Horneius Dissert. Theol. 9. de Iustificatione & novâ justificatorum vitâ, Helmæstadi die 14. Cal. Novemb. Anno CIↃ IↃ C XXXIX habitâ, sect. 1. thes. 1. circa finem, hisce verbis: Iustificari, est justum, i. e. justitiæ amantem & studiosum fieri. Ita accipi videtur 1. Cor. VI, 9 11. An ignoratis, injustos non esse Dei hæreditatem possessuros? Et hæc eratis quondam; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis. Et Tit. III, 5. 6. 7. Ex suâ misericordiâ servavit nos per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus sancti, quem effudit super nos copiosè per Iesum Christum Servatorem nostrum, ut justificati illius gratiâ hæredes efficeremur secundum spem vitæ æternæ.

Et hæc acceptio moralis est. Idem ibid. n. 193. Iacobus dicit: Justificari, id est, Deo nos gratos & acceptos haberi, non tantùm, cũ per fidem ei reconciliamur, sed etiam cum opera fidei facimus: imo tum demum fidem nostram nobis ad justitiam imputari.

EXA-

EXAMEN ET DISCUSSIO
Puncti II.

BEatus Horneius, qui hîc Apologiæ A. C. contradixisse fertur, loco citato vocem Iustificandi quintupliciter in Scripturis capi ostendit. Calovius autem, ut imponat Lectori, & Horneium repudiata forensi significatione vocis *Iustificandi*, moralem præ illa fortè amplecti persuadeat, ejus declarationem, quæ verbis ab adversario recitatis immediatè subjungitur, data opera præterit & se vidisse dissimulat. Illa ipsa igitur quæ ibi exstant, quum Auctoris sui mentem ita explicent, ut alio interprete aut defensore opus non sit, mala fide omissa, ego restituo & hîc adscribo. Th. 11. *Cæterum*, inquit, *ex quinque illis significationibus tres priores, ad propositum parum faciunt: quarta autem & quinta huc propriè pertinent, & MAXIME QUARTA* (nempe forensis) *nam quinta illa* (à Calovio præteritis reliquis producta) *rarißimè in Scriptis occurrit, quum quarta usitatißima sit. Equidem Pontificii vocem justificandi non tàm quarta, quàm quinta significatione usurpant, nec justificationem, tàm per absolutionem à peccato, quàm justitiæ inhærentis adeptionem definiunt. Sed Scriptura eam tantùm dicit, quam nos ita vocamus, quam autem illi appellant non justificationem, sed vel sanctificationem, vel renovationem, vel vitæ novitatem indigitat.* Idem in Compendio Theolog. de Iustificat. Num. x fatetur, *Voce Iustificationis in Scriptura* (in locis classicis) *tantùm exprimi* peccatorum *condonationem*. Hæc ita Horneius prorsùs conformiter Augustanæ Confessioni ejusque Apologiæ. Appellamus autem omnes qui August. Confess. & ejus Apologiam legerunt, an illic uspiam pictum aut scriptum invenerint, in locis scripturæ omnino omnibus, aut minimùm in illis duobus 1 Cor. VI, 11. & Tit. III, 7. vocem Iustificandi in nullo alio quàm forensi significatu esse capiendam? Si verò illud

in modo dictis libris non legitur, non ne calumnia est, quæ fingit, B. Horneium statuentem, in duobus illis citatis locis, vocem justificandi etiam alio quam forensi significatu accipi posse, Augustanæ Confess. ejusque Apologiæ contradixisse? Ego certè, in Apologiæ paginâ 73 cujus in margine fit indicium, loca illa ne citata quidem, & eorum quæ Calovius hic *profitetur & docet* ne integram quidem lineam expressam invenio, unde, quâ fide libri Symbolici ab ipso citentur judicium fiat. Iuvat hîc addere verba Chemnitij, qui Examine Concilij Trident. *de vocabulo Iustificationis*, ita scribit: *Non propriè est quæstio, quid verbum justificare in aliis Scripturæ locis significet; sed hoc quæritur, quam significationem verbum justificare habeat, in illis Scripturæ locis, in quibus doctrina Iustificationis tanquam in suâ sede traditur & tractatur.*

Reliqua verba Hornei quæ Calovius è Numero CXCIII producit, iterum mutilata allegavit, omissa ejus declaratione, quæ ita habet: *Quod quidem ita intelligendum, NON quasi reconciliatio illa & receptio in gratiam tum primùm fiat, aut per opera subsequentia IMPETRETUR: (id enim falsum est) sed quod tum demum ratam eam Deus habeat, quæ pridem, sed hac & non alia lege facta erat. Et ita Iacobus nihil aliud affirmat, quàm quod supra etiam S. Iohannes inculcabat, quum diceret*, Si in luce ambulaverimus, sicut Deus ipse in luce est communionem nos cum eo habere, & sanguinem Filij Dei nos emundare ab omni peccato.

PUNCTUM III.

Apol. Aug. Conf. art. 12. pag. 183. 184 & seqq Teut. p. 81.

PRofitemur, & docemus, homines peccatores teneri quidem peccata sua cognoscere, coram Deo confiteri ac deprecari, idque ita, ut qui peccata sua non agnoscit, aut deprecatur, remißionem peccatorum minimè consequatur: nec confeßionem tamen, neque deprecationem ingredi ipsum Iustificationis negotium, aut ad salutem consequendam esse necessariam, propriè loquendo: sed ad salutem non impediendam, vel non amittendam.

Rejicimus eos, qui docent, confessionem peccatorum & deprecationem ad ipsam pertinere justificationem, & justificari per depre-

deprecationem & humilem peccatorum suorum agnitionem, idem esse, atque per fidem justificari, & per meram gratiam Dei justitiam consequi.

Ita docet D. Conradus Horneius parte II. Disputat. Theol. Disput. 4 sect. 1. p. 361. §. 47. hisce verbis. Vnde etiam fit, quòd quum justificatio fidei excludat virtutes & opera omnia, quæ propriâ bonitate suâ æstimantur, non tamen eos actus respuit, qui alienâ justitiâ & bonitate nituntur, quales sunt, agnoscere peccata, & humiliter deprecari: tantum enim abest, ut hæc opponantur justificationi fidei, ut per illa justificari, sit fide justificari. Sic Matth. XIIX, 32. dicitur: Totum debitum remisi tibi, quia me rogabas, Luc. XIIX. 14. Descendit iste (Publicanus) domum suam justificatus præ illo (Pharisæo) quia quicunque se extollit, deprimetur & qui se deprimit, extolletur, & Psalmo LI. 4. 5. A peccato meo munda me; nam defectiones meas ego agnosco. Hic justificari per deprecationem & humilem peccatorum suorum agnitionem, idem est, atque per fidem justificari, & per meram gratiam Dei justitiam consequi. Quare etiam idem Horneius, citato loco §. 56. seu ultimo, Agnitionem peccati appellat præparationem, seu dispositionem, qua se homo ad justificationem consequendam disponit. Verba sunt hæc: Quæ cum ita se habeant, nihil impedit, quo minus motus illi pœnitentiæ, ut timor iræ Dei, agnitio peccati, ejus detestatio & novæ obedientiæ propositum, præparationes seu dispositiones dicantur, quibus se homo non quidem per vires naturales, sed gratiam Dei, ita ad justificationem consequendam disponat. Et repetit §. 87. pag. 81. Falsissimum est motus illos, seu agnitionem & detestationem peccati, prout ex actu amoris Dei, & Deo obediendi proficiscuntur, actus regenitorum seu justificatorum esse: Sunt enim regignendorum & justificandorum. Conferatur Calixti Consideratio doctrinæ Concilii Tridentini ad sess. VI. can. IX ubi ait: Fidem solam proximè & immediatè ponere justificationem, Agnitionem & dolorem de peccatis remotè ad justificationem facere.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI III.

Disputat Philippus in Apologiâ loco in margine citato de *enumeratione delictorum*, quam *confessionem integram* appel-

lat; at quæ Calovius recitat ab istis prorsus sunt diversa, tantum abest ut conceptis verbis ibi inveniantur. Istis verò à Calovio opposita D. Hornei verba, asserentia quod *per agnitionem peccati & humilem deprecationem justificari, idem sit quod fide justificari,* incommodiora esse, non diffiteor. Attamen in malam partem haud trahi debebant, quum Auctor alibi satis rectè senserit, & contritionem à justificatione ex nostra quidem parte inferendâ, longissimè removerit. Etenim Thesi hanc ipsam haud longè præcedente XLIV, rem ita proponit: *Ideò per fidem tantùm, non per actus aliarum virtutum* (quales quoque sunt agnitio peccati & humilis deprecatio) *justificari dicimur, quod eo pacto tota justificatio nullis nostris meritis, sed soli Divinæ misericordiæ Christique merito in solidum attribuatur: etsi enim adversarii quoque, cum per dilectionem & timorem nos justificari dicunt, adhuc tamen gratis nullo nostro sed solius Christi merito justitiam nobis obtingere asserunt: multò tamen plenius & clarius id asseritur quum per solam fidem nos justificari dicimus: nam nec timor nec dilectio* (nec agnitio peccati nec humilis deprecatio) *meritum Christi apprehendit, sed fides tantùm, nec gratiam ita commendat quod propriâ justitia & virtute nititur, ut cæterarum virtutum actus, quàm quod alienâ & non suâ, ut fides, juxta illud Pauli, toties à nobis repetitum:* Propterea ex fide est, ut sit per gratiam.

Præterea quæ D. Horneius de præparationibus seu dispositionibus, quibus se homo ad consequendam justificationem disponat, tradidit, &, quod illis *agnitionem peccatorum* accenset, in eo ab Ecclesiarum nostrarum sententiâ non recedit, sed idem dicit & docet, quod dudum ante eum dixerunt & docuerunt, Lutherus, Chemnitius Balduinus & alii. Neq; enim præparationes eas, viribus naturalibus liberi arbitrii adscribit, neque in iis meritum aliquod, propter quod justificatio obtingat, collocat, sed quod justificandi, ordini illi quem ipse Deus constituit conformes gerere & veluti præpara-

parare sese possint, auxiliis gratiæ prævenientis tribuit. Quod si Pontificii quoque facerent, haud foret quod cum ipsis hac de re contenderemus. Chemnitius noster, Examinis Concilij Trident. Parte 1, Titulo, de Præparatione ad justificationem, hanc in rem ita scribit: *Si hæc esset mens & sententia Synodi, quod simpliciter vellent monstrare illum de quo jam diximus modum & ordinem, quo juxta Scripturæ traditionem Deus utitur, quando homines vult deducere ad justificationem, & si illa quæ Scriptura tradit præcedere, tribuerent non viribus liberi arbitrii, sed gratiæ Dei, & operationi Spiritus sancti: nec in illis præparationibus constituerent meritum aut dignitatem, propter quam justificemur: facilè posset de vocabulo præparationis, dextrè, juxta Scripturam, intellecto, convenire.* Et D. Fridericus Balduinus, Doctornm Protestantium hac de re sententiam Comment. in Epist. ad Rom. ad Cap. III, parte ult. quæst. ult. exponit his verbis quæ in gratiam Lectoris adscribo. *De præparatione ad Iustificationem,* inquit, *aliter docent Pontificii, quam nostræ orthodoxæ Ecclesiæ. Nos quum de præparatione loquimur, modum ac ordinem illum intelligimus, quo Deus juxta Scripturæ doctrinam utitur, quando homines vult deducere ad justificationem. Oportet enim ante justificationem præcedere veram & non simulatam contritionem, pavores conscientiæ agnoscentis iram Dei, & dolentis propter peccata, propositum emendandi vitam &c. quæ omnia non ex libertate virium nostrarum proficiscuntur, sed sunt motus Spiritus Sancti, extrinsecus quasi astantis, & pulsantis fores cordium, in quibus talia per auditum verbi ad extra quasi operatur, donec intromissus cor renovet, & in eo gratiosè habitare incipiat. Et hoc sensu scribit B. Lutherus super III Cap. ad Galatas, legem in universo suo officio esse ministram & præparatricem ad gratiam, quæ ad hoc prosit, ut gratia possit aditum ad nos habere. Hi verò motus antecedunt justificationem hominis, non ut suâ dignitate quicquam cooperentur ad justificationem, neque ut quasi ad mutationem aliquam physicam subjectum præparent, habileque reddant,* ad

ad suscipiendam novam justitiæ formam, sed antecedunt ut removentia prohibens justificationis nostræ obstaculum, seu instar remotionis puris, sanationem vulneris necessariò antecedentis, quemadmodum Lutherus de contritione loquitur in Psal. LI tomo IV latino fol. 384. Imputatio enim meriti Christi per fidem; locum habere non potest in corde impœnitente.

Tandem etiam D. Calixtum aggreditur Calovius, eique exprobat, quod Consideratione Doctrinæ Concilii Trident. ad Session. VI Canon. IX scripserit. *Fidem solam proximè & immediatè ponere justificationem; agnitionem & dolorem de peccatis, remotè ad justificationem facere.* Sed verba ista generalissimè jacent, & sensus hic est, quod agnitio & dolor de commissis peccatis eo ipso remotè ad justificationem faciant, dum impedimentum gratiæ, securitatem nempè & inpœnitentiam, removeant & excludant. Habent igitur tum agnitio peccatorum, tùm contritio sese ad modum causæ removentis prohibens, à quâ effectus per se non dependet. Si tamen ista tantòpere offendunt D. Calovium, ut ea propter ab Augustanæ Confessionis consortio reijciat D. Calixtum, quare etiam socerum suum D. Hülsemannum non reijcit, qui eo usque est progressus, ut contritionem *medium* planè acquirendæ salutis fecerit? Notavit hoc ipsum, & documenti instar, quo probetur non constare sibi Hülsemannum in docendo, protulit Parens meus in Appendice quæstionibus de Myst. Trinit. additâ Num. XXXII in fine. *Nihilminus hodie ferre potest Hülsemannus, quam propositum abstinendi à peccatis & studium pie vivendi dici necessarium ad salutem, quamvis mox addatur non esse necessarium, tanquam efficiat vel promereatur salutem, sed tanquam causam sine quâ non, vel removentem prohibens. Scripsit autem anno hujus seculi XL, Breviarii sui cap. IX, thesi II quæ hic subiicio.* Primum MEDIVM acquirendi salutem per Christum partam, ex parte hominis est agnitio dolor & detestatio peccati: Me-

xi. Medium dicitur non positivum, sed privativum, quale est puris remotio ad sanandum vulnus; tantum removens incapacitatem & obstacula remissionis peccatorum, scilicet opinionem non indigentiæ & studium pergendi in peccatis. *Tunc agnitio dolor & detestatio peccati, id est, propositum abstinendi à peccatis, ei fuit medium acquirendi salutem: hodie ne quidem ullo modo est necessarium ad salutem.* *Ita homini convenit cum se ipso.* Eijciat igitur prius Calovius trabem ex oculis soceri sui, quam festucam in oculo Parentis mei quærat.

PVNCTVM IV.

P*Rofitemur, & docemus*, quòd opera nostra non possint reconciliare Deum, mereri aut consequi remissionem peccatorum, & gratiam & justificationem, sed hanc tantum fide consequamur, per fidem adoptemur, in numerum filiorum Dei & hæredes vitæ æternæ scribamur (absque ullis nostris operibus præcedentibus, præsentibus, aut sequentibus) credentes, quod propter Christum recipiamur in gratiam, qui solus positus est mediator & propitiatorium, per quem reconcilietur pater. Hæc doctrina de fide ubique in Paulo tractatur, Rom. III, 20. 21. 22. 28. 4. 3. & seq. Gal. II, 16. Eph. II, 8. 9.

Aug. Conf. art. 4. 6. p. 11. 12. art. 20 p. 17. Apol. Aug Conf. pag. 64. & passim. art. Smalcald. part. 2. art. 1 p. 304. 305 Epit. Conc. art. 3. p. 584. & ejusd. declaratio eod. p. 684. & seqq. Teut. p. 4. 5. 8. 32. 81. 137. 235. 276.

Rejicimus eos, qui docent, bona opera, & inter ea propositum deinceps vitandi peccata, & obtemperandi præceptis divinis, esse necessaria ad justificationem consequendam.

Ita docet D. Conradus Horneius in Iteratâ Assertione, §. 21. Verba sunt hæc: Sed hic annotandum est, si per B. O. intelligas, τὰ κατορθώματα. Act. 25. 2. seu, actus ipsos observationis Præceptorum DEI, verum esse; Quod si autem de pœnitentiâ & proposito deinceps *vitandi peccata*, & obtemperandi præceptis divinis, non item: hæc enim naturâ justificationem præcedunt. Et idem ibidem §. 37. sub finem: Cum autem dixi, ad adipiscendam salutem in spe, seu justificationem, B. O. studium non esse necessarium, distinguat studium B. O. & propositum eis studendi: nam hoc etiam justificando necessarium est. Item §. 51. Vnde patet, *opera* quidem ab actu justificationis in doctrinâ Evangelicâ excludi, ut causam veram & meritum

ritum salutis, at non ut causam sine quâ non, & conditionem ejus, absque quibus adultis, & tempus operandi habentibus non detur. Adi eundem Horneium citato loco §. 110. 115.

EXAMEN ET DISCUSSIO PUNCTI IV.

SI *reiiciendus* est D. Horneius quod docuerit (1) *Pœnitentiam & propositum deinceps vitandi peccata, & (2)* Propositum *obtemperandi præceptis Divinis, naturâ justificationem præcedere*; reiicienda erit ipsa quoque (quod tamen Deus nolit) Concordiæ Formula, quæ articulo V de Lege & Evangelio pag. 611 Par. qui incipit. *Sed & Pœnitentiæ vocabulum* &c. expressè docet *Pœnitentiam agere* (ubi distinctè in Scriptura ponuntur pœnitentia & fides) *nihil aliud significare quàm peccata verè agnoscere, serio dolere, à peccatis inposterum ABSTINERE.* Hactenus igitur consentit Formula cum Horneio, nisi fortè dixeris, inter *abstinere à peccatis*, quæ Formulæ, & *vitare peccata*, quæ Horneii phrasis est, adeò notabile intercedere discrimen ut non pro iisdem sed contrariis habere oporteat: quod haud quenquam Latini idiomatis peritum facturum crediderim. Rejiciendus pariter erit D. Balthasar Meisnerus, qui Anthropologiæ Decade II. Disp. VII, Quæst. 1 § 15 ita ait: *Oportet ante justificationem præcedere veram & non simulatam contritionem, hoc est, seriam agnitionem peccatorum, pavores conscientiæ propositum abiiciendi scelera, oportet antecedere fidem &c.* Et reijciatur eadem operâ, puncto antecedente in testimonium vocatus D. Fridericus Balduinus, quod Commentario in Epist. ad Rom. loco tunc citato scripsit, *oportere ante justificationem præcedere veram & non simulatam contritionem pavores conscientiæ agnoscentis iram Dei, & dolentis propter peccata propositum EMENDANDI vitam &c.* Imò quis reijciendum amplius dubitet? quum post exiguum intervallum, Calovij fulmina nec prævidens nec veritus, adjecerit; *Hos motus antecedere justificationem*

nem hominis —— ut removentia prohibens justificationis nostræ obstaculum, seu instar remotionis puris, sanationem vulneris necessario antecedentis. Quod si itaq; Calovius hos etiam Auctores, quin ipsam Concordiæ Formulam, quam causæ suæ proram facit & puppim, reijcere veretur, agnoscat oportet, se rejectionis sententiam præproperam hic tulisse, eamque uti par est quantocius retractet.

In sermone tandem Horneij, quo Iteratæ Assertionis Thesin LI concludit, & *Opera* ab justificationis actu *ut causam*, non ut *conditionem* excludit, per *opera*, ea quæ contritionem constituunt intelligit, atque *operum* voce late atque ἀκύρως utitur. De quo dubitari nequit, quum alia in justificandum non cadant, nec proprie dicta bona opera justificationem antecedant.

PUNCTUM V.

P*Rofitemur, & docemus*, hoc ipsam nostram esse coram DEO justitiam, quòd Dominus nobis peccata remittit, ex merâ gratiâ absq; ullo respectu præcedentium, præsentium aut consequentium nostrorum operum, dignitatis aut meriti. Ille enim donat atque imputat nobis justitiam obedientiæ Christi. Propter eam justitiam à Deo in gratiam recipimur, & justi reputamur, non propter opera, etiamsi sint hominum regenitorum ac justificatorum, nec ex solis viribus humanis profecta. Quare, etsi conversi & in Christum credentes habent inchoatam in se renovationem, sanctificationem, dilectionem, virtutes & bona opera: tamen hæc omnia nequaquam possunt, aut debent immisceri articulo Iustificationis coram Deo: ut Redemptori honor illibatus maneat: & cum nostra nova obedientia imperfecta & impura sit, perturbatæ conscientiæ certâ & firmâ consolatione sese sustentare valeant.

Aug. Conf. art. 4. p. 11. Apol. pag. 184. & Epit. Conc. art. 3 pag. 584. nec non Declaratio ejusd. pag. 690. Teut. f. 681. 276.

Rejicimus eos, qui docent, ea opera hic tantum esse excludenda, quæ ante justificatioem homo fecerit.

Ita docet D. Conradus Horneius in Iteratâ Assertione §. 37. Verba sunt hæc: Verum etiam est, evidenter scriptum esse, hominem justifi-

justificari absque operibus, ut Rom. III, 28. arbitramur hominem justificari fide absque operibus, nempe, *quæ ante fecerit*. Idem etiam Paulus ad Gal. II. 16. inculcat: Ex operibus legis non justificabitur ulla caro. *Ita quoque limitat. §. 51. 53. 69, 110.* & repetit. pag. 36. Dreier Erörterung. pag. 545.

EXAMEN ET DISCUSSIO PUNCTI V.

Reijcit nunc Calovius Horneium ceu *docentem*, ea opera *hic tantum esse excludenda, quæ ante justificationem homo fecerit*. Et allegat quædam ejus verba eum in sensum sonantia. Respondeo & inculco Calovio æquissimam vocem D. Andreæ Kesleri contra bellum Ubiquitisticum Foreri Lib. II, Sect. II Cap. I, p. 567. *Non sunt ea quæ per calorem disputationis excidunt nimium exaggeranda*, præsertim si scriptor, in uno loco incommodius loquutus, extra disputationis æstū rectius se declaraverit. Hoc verò fecisse Horneium Calovius non potuit ignorare. Disputationibus enim Theol. quas hic sæpissime lancinat, de Iustif. Sect. I, Th. XXXIX & XL, de professo disputat *hominem solâ fide nullis operibus suis, etiam per auxilia gratiæ factis justificari, h. e. remissionem peccatorum & justitiam consequi*. Et prolixè urget exempla Abrahami atque Davidis, quæ è cap. IV ad Rom. communiter Dd. nostri Pontificiis opponere solent. Sic ergo in hoc quoque negotio Horneius rectè sentit, etsi forte in calore Disputationis aliquid minus commode dictum ipsi exciderit.

PUNCTUM VI.

Aug. Conf. art. 4. p. 11. & Apol. Aug. Conf. art. eod. p. 76. art. 4. & fol. 102.

Profitemur, & docemus, fidem justificationem ingredi non ut opus dignum, vel ex toto, vel ex parte eam operans, sed unicè, ut organon recipiens justitiam quâ justificamur, hoc est, secundum Augustanam Confessionem; Homines justificari propter Christum per fidem, cum credunt, se in gratiam recipi, & peccata remitti propter

Chri-

Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro justitia coram ipso Rom. 3. 22. 25. 4. 3. 17.

Rejicimus eos, qui docent, fidem ad justificationem & salutem esse necessariam, *quatenus operosa est*, & ut vera ac viva esse cognoscitur per opera, ac à misericordia divina, quæ fidem imputat pro justitia, ita elevari, ut nobis quasi perfectè promereatur justitiam, vel ipsa sit justitia.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Epitome Theologiæ p. 175. & 176. hisce verbis: Instrumentalis autem à nostra parte apprehendens oblatam à Deo per verbum justitiam est fides. Ideò illa dicitur nostra justitia, quia nihil est in nobis, quod ullo modo ad justitiam faciat, præter solam fidem; facit autem, quantum facit, non quidem sua nativa virtute, sed quoniam ad hunc effectum elevatur à causa principali, nempe misericordia divina, quæ fidem imputat pro justitia, hoc est, ita ordinavit, ut fides nobis sit quasi perfectè promereretur justitiam, vel ipsa esset justitia. Et D. Conradus Hornejus in Iterata Assertione, §. 110. scribit hunc in modum: In hac propositione: Fides operosa est necessaria ad salutem, subjectum est, fides, determinatio ejus est, operosa. Et fides illa est salataris, si operosa; mortua, & nihili, si non operosa: nam si habeam prophetiam, & noverim mysteria omnia, omnemque cognitionem, & si habeam omnem fidem, adeò ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum, inquit Paulus 1 Cor. 13, 2. Nec non ibidem §. 126. sub finem: Quid itaque manifestius, quam fidem non salvare qualemcunque, sed operantem, adeoque fidem, & opera fidei ad salutem necessaria esse? Requirit ergo opera etiam ad salutem, non ut probent veram & vivam fidem esse: nam ea de re nullum verbum hic habetur, sed simpliciter, ut fides vera & viva sit.

EXAMEN ET DISCUSSIO PVNCTI VI.

DEnuo commentus aliquid est D. Calovius, quo Academiæ hujus Doctoribus, Calixto & Horneio, maculam affricare conatur. Sed detergi illa utrique facili negotio poterit. Et primò, quantum beatum Parentem meum attinet, scripsit:

scripsit ille quidem Epitomes Theol. pag. 176. *Fidem à misericordia Dei, ceu causâ principali elevari, quæ fidem imputet pro justitia, hoc est, ita ordinaverit, ut fides nobis sit quasi perfecte promereretur justitiam, vel ipsa esset justitia;* sed verba hæc nihil aliud quam hoc volunt, Fidem meritum Christi activum & passivum apprehendentem, ex ordinatione Dei nobis afferre justitiam coram Deo, adeoque ex justitia Christi hujusque valore fidem hic justificare. Hanc suam mentem quum & alias & in hac ipsa Epitome satis luculenter exposuerit beatus vir, mirum si Calovius, in ejus scriptis versatissimus, illud ignoraverit. Legit sine dubio Prolegomena ad Epitomen, & inter alia hæc quoque: *Instrumentum esse quod à superiore causa elevatum supra propriam virtutem operetur, è lumine rationis scimus. Fidem verò non suâ vi, sed propter ordinationem divinam & apprehensum meritum Christi justificare, ex revelatione discimus.* Si in Prolegomenis non acquievit sed ulterius progressus est, legit etiam quæ pag. 259 sub titulo De Pace & tranquillitate conscientiæ exstant & ita habent. *Fides certitudinem in animo credentis de eo quod sit in gratia firmissimam gignit, præsertim quia ad hoc quantumcunque est de justificatione à parte nostrâ, neque opera neque merita ulla quidquam faciunt, facit tantùm fides, neque id quia fides est virtus adeo excellens, suaque dignitate quidquam commerens, sed quia apprehendit Christum, & quia hæc voluntas Patris est, ut omnis qui videt Filium & credit in eum habeat vitam æternam, Ioh. VI, 40.* In medio quoque est Tractatus de Bono perfectè summo, sive æternâ beatitudine, D. Calovio non ignotus, sed aliquoties præter meritum ab eo arrosus. Non itaque est quod ignorantiam prætendat, & in libro quem toties atro notat carbone, ista quæ sequuntur se legisse neget: *Consequimur vitam æternam* (est ibi pag. 30,) *interventu quidem Fidei, non tamen Fidei sub eâ ratione quâ virtus est magis vel minus perfecta, sed potius sub illa qua promissiones Divinas apprehendit & merito*

Christi

Christi innititur. Hæc ita Calixtus; quæ quum toties repetita nihilominus dissimulaverit Calovius, denuo conscientia non attenta affectibus laxasse habenas, res ipsa loquitur.

A Parente ad Præceptorem meum ab illatâ injuriâ vindicandum, me converto, cujus innoxia doctrina, additione particulæ reduplicativæ QVATENVS, corrupta, non potest non sordere omnibus quibus fraus non subolet, sed augmentum hoc in terminis, uti jacet, ipsius doctrinæ Auctori acceptum ferunt. Non igitur nisi monitus hinc dimittendus mihi est Lector, Hornejum, loco à Calovio ex Iteratâ Assertione mox citato, nequaquam docere, *Fidem ad justificationem & salutem esse necessariam QVATENVS operosa est.* Sed ibi in id tantum incumbit Horneius, non aliam fidem quam eam QVÆ opera bona ceu fructus profert, hominem jam justificatum (talem enim ibi supponit) ad *salutem*, minimè vero ad *justificationem*, cujus nullo verbo ibi fit mentio, perducere. Ad eum nempe finē obtinendū non sufficere fidē mortuā & comitatu bonorum operum destitutam. Quemadmodū itaq; toto cœlo differunt propositiones hæ, *Homo* QVI *est calvus aut canus disputat*; Et, *Homo QVATENVS est calvus aut canus disputat*; ita quoque differunt istæ; *Fides QVAE est operosa, ad salutem est necessaria*; Et, *Fides QVATENVS est operosa, est ad salutem necessaria.* Si enim ejusmodi propositionibus in quibus non est subjectum simplex, sed syncategorema (ut Horneius ibi loquitur,) habens, addatur particula *Quatenus*, tunc ratio causandi subjecto tantùm competens, simul in sycategorema transfertur. Sic qui *fidem quatenus operosam salvare* dicit, is vult opera quæ fidem comitantur efficere salutem. Affirmans autem *Fidem quæ est operosa salvare*, is rationem causandi salutem, fidei tribuit, per additum syncategorema autem, subjectum à fide mortuâ, quæ non salvat, ad vivam & operosam tantum re-

stria-

stringit. Et sic quoque intelligit Lector, cui fini reduplicativa *quatenus*, huic Calovianæ *rejectioni* sit intorta.

PVNCTVM VII.

Epit. Declaratio art.3.p.692. Teut.pag. 279.280.

PRofitemur, & docemus, bene convenire & esse inseparabiliter connexa, fidem & opera, seu, justificationem & sanctificationem, inter se tamen differre ordine causarum & effectuum, antecedentium & consequentium. Fides apprehendit gratiam Dei in Christo, qua Persona justificatur. Cum vero persona jam est justificata, tum etiam per Spiritum S. renovatur & sanctificatur: ex ea vero renovatione & sanctificatione deinceps fructus, hoc est, bona opera, sequuntur. Rom. 3.24.25.4.3.6.6.4.6.19. & seqq. 8.13. 12.2. & seqq.

Rejicimus eos, qui docent, *justificationem sub se comprehendere & remissionem peccatorum & sanctificationem* Spiritus.

Ita docet D. Conradus Hornejus in Disput. de summa fidei non qualislibet, sed quæ per caritatem operatur, necessitate ad salutem, §. 4. circa finem, hisce verbis: Neminem autem peccatorum pœnitet, nisi quem Deum & proximum non dilexisse se, & præcepta ejus non observasse piget, pudetque. Vnde nec per Evangelium & fidem ei habitam justificatur, i.e. remissionem peccatorum & sanctificationem Spiritus Dei adipiscitur, nisi qui propositum diligendi deinceps eum, quem ante non dilexerat & præcepta ejus observandi habet, quæ antea non observarat. At enim ut facto & opere ipso id in vita præstet, hoc justificatione & sanctificatione illa posterius est, cum facultatem talia agendi per hanc primum nanciscatur.

EXAMEN ET DISCUSSIO PVNCTI VII.

DEnuo malâ prorsus fide agit D. Calovius, quando *docere D. Conradum Horneium* affirmat, quod ille *reiicit*: Nempè *Iustificationem sub se comprehendere & remissionem peccatorum & sanctificationem Spiritus*. Inspice sodes, Lector quisquis es ipsa Horneii, ab adversario producta verba, & Calovij fraudem palpabis. Etenim conjungit tantum h. l. Horneius *remissionem peccatorum, ET sanctificationem Spiritus Dei*, atque affirmat, neminem quem non pigeat pudeatque quod præcepta Dei non obser-

observaverit, *justificari*, i. e. *remissionem peccatorum, &*, quæ huic conjuncta, etsi sub ea comprehensa non est (quod nec ullo apice innuit Horneius) *sanctificationem Spiritus Dei adipisci, nisi propositum diligendi deinceps Deum, quem antea non dilexerat, & præcepta ejus observandi habeat, quæ antea non observarat.* Longe verò aliud est, remissioni peccatorum sanctificationem illico conjungere; & aliud, expresse *docere, Iustificationem sub se comprehendere & (etiam) sanctificationem Spiritus.* Prius, minimè verò posterius quum fecerit Horneius, manifestam rursus injuriam ei infert Calovius.

PUNCTUM IIX.

P*Rofitemur, & docemus*, constitutum esse à Deo, ut, qui credit in Christum, salvus sit, sine opere, solâ fide, gratis accipiens remissionem peccatorum. Seu: Bona opera penitus excludenda esse, non tantum cum de justificatione fidei agitur, sed etiam, cum de salute nostræ æterna consequenda disputatur, sicut Apostolus perspicuis verbis restatur, cum ait: Sicut & David dicit: Beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, &c. Et alibi: Gratia, inquit, estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Roman. 4, 6. & seqq. Eph. 2, 5. 6. 7. 7. 9. Complectimur autem sub vocabulo operum utrumque, tum spirituales motus, tum externa Bona opera, & excludi volumus opera quælibet, tam præcedentia, quam sequentia remissionem peccatorum, juxta ductum Apologiæ Augustanæ Confess. ad Artic. 4. sub. tit. de Dilectione & impletione legis, pag. 83. 84. 85. Et ad Artic. 12. de Confess. & Satisfact. p. 184.

Aug. Conf. art. VI. p. 12. Epitome Conc. art. 4. pag. 589. Teut. p. 5. & 237.

Rejicimus eos, qui docent, operam dare justitiæ, & diligere fratrem, necessarium esse ad hoc, ut sis filius Dei, ad consequendam & habendam tum justificationem, tum salutem.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Historia Iosephi, edita Helmstadi clɔ Iɔ c XLI. p. 13. & seqq. Verba sunt hæc: Ergo ad evitandam damnationem, & consequendam hæreditatem regni Dei necessarium

erit talia non agere, sive abstinere ab operibus carnis, adulterio, scortatione & similibus; atque hoc ipso morem gerere legi divinæ prohibenti adulteria, uti etiam homicidia, furta, rapinas, & alia id genus opera carnis. Qualis sane abstinentia ad eam pertinet sanctimoniam, sine quâ nemo videbit Dominum, id est sine qua nemo beatitudinem & regnum cœleste consequetur. Sine quo autem res haberi, vel obtineri non potest, id ad eam rem habendam, vel obtinendam, est necessarium : At sine actibus Abstinentiæ, de quibus diximus, obsequiique, eà in parte legi divinæ præstiti, regnum cœleste haberi, vel obtineri non potest : Ergo ejusmodi actus abstinentiæ ab adulteriis, homicidiis, & reliquis operibus carnis, ad habendum, vel obtinendum regnum cœleste sunt necessarii : Similiter idem D. Calixtus in der Antwort auff D. Iohan. Hulsemanni meisterliches Muster §. 36. Quod necessarium est, ad hoc, ut sis ex Deo, sive filius Dei, & desinas esse filius diaboli, id etiam necessarium est, ut damnationem effugias, & salute aliquando potiaris : Sed operam dare justitiæ (ποιεῖν δικαιοσύνην) & diligere fratrem, necessarium est ad hoc, ut sis ex Deo, sive filius Dei, & desinas esse filius diaboli. Nam per hoc manifestati sunt Filii Dei & filii Diaboli : quisquis non dat operam justitiæ, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum, 1 Ioh. III, 10. Ergo operam dare justitiæ, & diligere fratrem, necessarium est, ut damnationem effugias, & salute aliquando potiaris. Quod necessarium est ad hoc, ut in morte non maneas, nam qui non diligit fratrem, manet in morte, 1 Iohan. III. 14. Ergo diligere fratrem necessarium est ad evitandam damnationem & habendam salutem. Similiter D. Conradus Hornejus dictâ Disputatione IV. de Iustificat. parte II. Disp. Theol. th. 28 sic limitat hanc Propositionem : Sola fides justificat : Si voce, Sola, vel opera Legis Ceremonialis tantum, vel moralis etiam, ut ea per vires naturæ fiunt, excludas §. 34. Et sanè, non fidem tantum, sed pœnitentiam quoque, i. e. peccati agnitionem & detestationem, & novæ vitæ propositum ad remissionem peccatorum & justitiam consequendam requiri, jam supra concessimus, §. 42. Recte statuitur, quod non excludantur à justificatione Resipiscentia, Novum propositum & similes animi motus, cum dicitur, sola fide nos justificari. Intelligitur enim talis fides, quæ per charitatem efficax, & cum Novo proposito conjuncta est. Timor

ita

iræ Dei & extremi judicii, pœnitentia item & novum propositum, non sunt opera & vitæ instituta, sed animi tantum motus & mutatio. Idem Hornejus Iterata Assertione th. XXXVII. *Necessarium est ad salvationem, quod non necessarium est ad justificationem*. e. g. Renovatio & sanctitas vitæ. Confer. th. LII. Dreierus Erörterung/pag. 568. Credenti, *si vivendi tempus supersit*, ad salutem plene consequendam necessarium esse, ut pie vivat & peccatum devitet, i. e. dem/ der da gläubet/ sey es necessarium die Seligkeit völlig zuerlangen/ dafern er noch Zeit zuleben hat/ daß er gottselig lebe/ und die Sünde meide.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI IIX.

NE quis, Adversarium præ fervore in Horneium, Calixti oblitum esse existimet, in utrumque inimica arma rursus expedit. Ast doctrinam Calixti, quod ille contendit, cum ullo libro symbolico pugnare, modo recte & ex ejus mente, semotis depravationibus, proponatur, ego nego & pernego. Quænam verò fuerit beati Viri hac de re sententia, breviter ita concipi & proponi potest: Nempè homini (1) adulto, gratis per fidem (2) Iustificato, (3) si tempus diutius vivendi suppetat, ad salutem re ipsâ aliquando possidendam esse necessarium, observare mandata Dei, h. e. peccata voluntaria omni studio vitare, & in omnibus à Deo mandatis bonis operibus pro virili se exercere. Et hanc observationem mandatorum Dei, hoc studium bonorum operum, homini justificato ejusmodi, qualem modo descripsimus, necessarium esse ad salutem consequendam aut possidendam, non ut caussam promerentem aut applicantem (calumnia enim est, quando D. Hulsemannus Dialysi maledica p. 357, scribere non exhorruit *Duumviros istos* Calixtum & Horneium, *pietatis studium & exercitium, ponere inter CAUSSAS medias æternæ salutis & hæreditatis*, quod ipsis in mentem non venit ne dum ut ullibi id scripserint) sed tanquam conditionem sine-quâ non,

tanquam id, quod removeat prohibens adeptionem æternæ salutis.

Hisce ita constitutis prodeat nunc D. Calovius & ostendat doctrinam hanc, ulli libro Symbolico contradictoriè esse oppositam. Quid enim juvat contradictiones ejusmodi semper in ore gerere, si nullam unquam ne tentes quidem, nedum possis evincere? Producit Calovius verba Epit. Formulæ Concordiæ Art. IV, *Bona opera penitus excludenda esse, non tantum quum de justificatione fidei agitur, sed etiam, quum de salute nostra æterna (consequenda) disputatur.* Ista quidem conceptis verbis in Epit. Formulæ Concordiæ leguntur, quam tamen ab Apologiâ A. C. dissentire, concessurum Calovium non crediderim. Formulæ igitur verba producentem ad Apologiam nos remittimus, quæ de Iustificatione, sub titulo. *Quod fides in Christum justificet* pag. 73. in fine ita loquitur. *Dilectio & opera sequi fidem debent, quare* NON *sic* EXCLVDVNTVR *ne* SEQVANTVR (arrige aures Calovi!) *sed fiducia meriti dilectionis aut operum in justificatione excluditur.* Mirum vero, D. Calovium ad verba Epitomes Formulæ Concordiæ audacter provocantem, verborum Apologiæ A. C. quæ illis insignè temperamentum manifestè afferunt, esse oblitum. Cæterùm omninò *beatitudo est hominis, sine operibus*, tanquam causâ promerente. Et tamen etiam sine operibus, *sine sanctimoniâ vitæ*, tanquam conditione, *nemo*, justificatorum, quales initiò ex mente Parentis circumscripti, *videbit Dominum*. Hebr. XII. Omninò *gratiâ salvamur, non EX operibus*: & tamen in justificato, si tempus operandi suppetat, *opera sequi* oportet, ut Apologiam A. C. affirmare paulo ante audivimus. Vnusquisque qui non præconcepta opinione laborat, nec partium studio abreptus est, nec nimis crudum Scripturæ interpretem agit, probè intelligit & videt, ista sacri codicis dicta, quæ Epit. Formulæ Concordiæ hîc affert, Parentis sententiæ, pro ut à me pro-

lata

lata est, nequaquam contradicere, sed à D. Calovio nimis crasse illi opponi.

Porrò unicum Parentis argumentum, quod ex historiâ Iosephi ipse Calovius hic recitat, solvendum ei exhibeo: *Sine quo res haberi vel obtineri non potest, id ad eam rem habendam vel obtinendam est necessarium. At sine actibus abstinentiæ, de quibus diximus, obsequiique eâ in parte legi divinæ præstiti, regnum cœleste haberi vel obtineri non potest. Ergo eiusmodi actus abstinentiæ ab adulteriis, homicidiis & reliquis operibus carnis ad habendum vel obtinendum regnum cœleste sunt necessarii. Quum tamen* (pergo addere verba Parentis) *abstinentia* illa *sit necessaria adeo ut nisi præstes, id est, ab adulteriis, scortationibus (etiamsi sit oportunitas quâ homines clanculum & impunè, qualis Iosepho sine dubio oblata fuit, committendi) abstineas, aut si olim commiseris, committere desinas, hæreditatem regni cœlestis consequi non possis; inde fit ut necessaria sit alio modo, quam ad modum meriti aut caussæ. Rectè Bernhardus* viam regni *dixit*, non causam regnandi. *Dici quoque potest conditio, vel caussa sine quâ non, vel causa quæ removeat prohibens.* Hoc inquam argumentum solvant D. Calovius ejusq; complices, atque tunc demum revertantur & dicant, contradixisse Parentem hac sua doctrina Libris Symbolicis. Nullum enim verum, Libris Symbolicis illi concedent esse contrarium. Nihil hic juvabit minuta distinctiuncula, quod sanctimonia vitæ sit necessaria *ante* salutem, sed non *ad* consequendam salutem. Concedimus, esse illam necessariam *ante* salutem reapse adeundam. Sed redit jam statim quæstio, ad quem finem tunc sit necessaria? Hic nihil unquam proferet aliquis, quin in Præceptorum nostrorum sententiam, velit, nolit, concedere necessum sit habiturus.

Majores nostri qui phrasin illam *Bona opera justificato adulto &c. esse necessaria ad obtinendam salutem* aversati sunt, supposuerunt persuasique fuerunt, τὸ *necessarium ad aliquid* importa-

portare causam aut meritum. Sic enim Philippus responsione ad Articulos Bavaricos, ad Art XXIV, *Non utor* his *verbus, bona opera sunt necessaria ad salutem, quia hac additione*, ad salutem *intelligitur meritum*. Et hunc Præceptorem alii deinceps sunt sequuti. Qui tamen in Erotematibus Dialecticis lib. IV in loco Causs. p. 281 rectè scripsit. *Caussa sine qua non, nihil agit, nec est pars constituens sed tantum quiddam sine quo non fit effectus, seu quod si non adest, impediretur agens ideo quia illud non accessisset.* Aliter itaque rem se habere, nec statim id, quod ad effectum aliquem aut finem obtinendum necessarium est, causam quoque esse, tam manifestum hodie fecerunt viri docti, ut nemini sano dubium amplius superesse possit. Quod si majoribus nostris perspectum fuisset, fortassis loquutioni illi, *Bona opera sunt necessaria ad salutem*, rectè expositæ æquiores sese præbuissent. Satis rectè hac de re sensit & scripsit Chemnitius noster Parte III Locor. Theol. qu. IV cap. III. *Illam phrasin*, ad salutem, *non semper significare causam, propter quam quis eam accipiat, sed ordinem Dei, quibus is gradibus salutem nostram perficiat, & quomodo aliud ex alio sequatur*, sive ut paulo post loquitur, *ordinationem Dei qua nos ad salutem adducit.* Et Corpus Doctrinæ Iulium Parte I. titulo von Guten Wercken pag. 18, lat. B. prudenter certe phrasin illam der Glaube mache wol gerecht/ aber doch also/ daß zugleich auch die gute Wercke mit zur Seligkeit von nöhten sey/ reijcit in certo quodam sensu, quando inquit, dieses sey falsch und unrecht/ wenn mans verstehe/ *de Merito, Applicatione aut parte justificationis & salutis*. Quorum sensuum nullo Parens meus, & D. Horneius phrasin illam intellexerunt. Quoniam ad hanc disputationem Caloviana iniquitas & pervicacia me pertraxit, nefas existimem omittere discursum aliquem Parentis, quo ille Hulsemannum hic jam olim ex datis ab hoc & concessis constrinxit & convicit. Antwort auff sein Munster §. LIX, Sic habent verba Parentis. D.
Hülse-

Hülsemann ist diesem Satz/ Gute Wercke sind nöhtig zur Seligkeit/ spinnen feind/ und nichts desto weniger hat er selbst denselben/ in deme er den leugnet/ starck bestetiget in seinem unter dreyer Facultäten Nahmen an uns außgelassenen Schreiben/ dessen vorhin meldung geschehen. Dann darin schreibet er/ Quòd bona opera non sint necessaria ad salutem, sed ob finem vocationis nostræ, daß gute Wercke nöhtig sind nicht zur Seligkeit/ sondern umb dessen willen/ dazu uns Gott beruffen hat. Nun spreche ich/ Quod necessarium est ob finem vocationis nostræ, hoc etiam est necessarium ob salutem vel ad salutem. Was nöhtig ist umb dessen willens dazu uns GOtt beruffen hat/ das ist auch nöhtig umb der Seligkeit willen/ oder zu der Seligkeit. Nun aber sind gute Wercke/ wie Hülsemann spricht/ nöhtig umb dessen willen/ dazu uns Gott beruffen hat. Ergo sind gute Wercke nach Hülsemans eigener Meinung nöhtig zur Seligkeit. Die Major oder der Vordersatz erhellet daraus/ das finis vocationis nostræ und dasselbe/ dazu wir beruffen sind/ anders nicht ist/ als die ewige Seligkeit/ wie folgende klare Sprüche der heiligen Schrifft bezeugen. 1. Thess. II, 12: Gott hat euch beruffen zu seinem Reich/ und zu seiner Herrligkeit. 1. Tim. VI. 12. Kempffe den guten Kampff des Glaubens/ ergreiffe das ewige Leben/ dazu du auch beruffen bist. 1. Pet. V, 10. Der Gott aller Gnade hat uns beruffen zu seiner ewigen Herrligkeit. Auff solche weise befestiget Hülsemann den Satz/ daß gute Wercke zur Seeligkeit nöhtig seyn/ indeme er vor hat denselben umbzustossen.

PUNCTUM IX.

Profitemur & docemus, falsum esse & cum verbo Dei pugnare, cùm docetur, quòd non sola Dei misericordia, & unicum sanctissimum Christi meritum, verum etiam aliquid in nobis causa sit electionis divinæ: propter quod Deus nos ad vitam æternam prædestinaverit. Nō enim tantùm, antequam aliquid boni faceremus, verùm etiam, priusquam nasceremur, imò ante jacta fundamenta mundi elegit nos Deus

Epitom. Declarat. art. 11. pag. 811. Teut. 326. fac. b.

Deus in Christo: Vt secundum electionem propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei: Major serviet minori: sicut scriptum est: Iacob dilexi: Esau autem odio habui, *Roman. IX, 11. 12. 13. Eph. 1, 4. 5. 6. 11.*

Rejicimus eos, qui docent, non citra intuitum operum misericordiæ, aut immisericordiæ, sed secundum ea & vitæ æternæ, & inferni locum à jacto mundi fundamento paratum, & hominibus destinatum esse, ac charitatem esse conditionem aliquam, sub quâ nos Deus salvare decrevit.

Ita docet D. Conradus Hornejus parte II Disput. Theol Disput. 2. quæ agit de Prædestinatione, §. 32. p. 225. hisce verbis: Nullatenus ergo citra intuitum operum misericordiæ, aut immisericordiæ, sed secundum ea uterque locus à jacto mundi fundamento paratus & hominibus destinatus est. Spectat huc etiam parabola operariorum Matth. 20. quia vitam æternam non absolutè cuiquam decerni monstrat, sed cum conditione, si in vineâ Domini sedulò laborarit. Et ibidem §. 42. seu ultimo, pag. 237. Sed nec ex fidei, seu operum fidei dignitate facta est, veruntamen tantùm secundum prævisionem fidei, quæ per charitatem efficax est, ut conditionem aliquam, sub qua nos Deus gratis salvare decrevit. Quò etiam videtur collimasse Iohannes Latermannus in Exercitatione de æternâ Dei prædestinatione & ordinatâ omnes salvandi voluntate, § 18. usus hisce verbis: Quæ ut optimè cohærent, ita eum iis, quæ Scriptura tradit, pulchrè consentiunt: in ea enim pauci præmultis electi dicuntur, non ad officium faciendum, sed intuitu officii jam ante præstiti.

EXAMEN ET DISCVSSIO.

PVNCTI IX.

Dicta ex Epitome & Declaratione producta inveniuntur locis allegatis. Iterum autem D. Calovium in leges contradictionis scientem impingere, puditum non est. Nulla certè contradictio est inter propositionem, quæ ex verbis Epit. Form. Concordiæ formanda erit, nempe hanc, *Nihil est in nobis quod sit CAVSA electionis*: Et inter illam quam Calovius Horncio tribuit, & simul reiicit. *Aliquid est in nobis quod est*

CON-

CONDITIO sine qua non (conditio sub qua) *nos Deus salvare decrevit.* Prædicati palpabilis diversitas, contradictionem facilè excludit, adeoque D. Horneji propositio per illa Epitomes Formulæ Concordiæ verba bene poterit subsistere. Meminerit hic Lector, ad Punctum octavum producto aliquo Parentis argumento me ostendisse, studium sanctimoniæ in adultis justificatis, quibus deinceps tempus vivendi suppetit, esse conditionem sine quâ non, salutis in tempore adipiscendæ. Hoc verò quando perstat atque evictum est, facile quoque intelligitur eandem sanctimoniam, conditionem sine qua non (conditionem sub qua) etiam in æternitate objectivè in præscientiâ fuisse ipsius electionis quorundam hominum præ aliis, ad vitam æternam. Etiam hoc oportet monere, verba illa Epitomes Formulæ Concordiæ, *Nihil esse in nobis quod sit CAUSA electionis*, cum grano salis sine dubio esse capienda. Sic enim Leonhardus Hutterus in Locis, Controversiâ speciali IIX, de æterno Electionis Decreto Quæst. III, pag. 801: *Est vera regula illa usitata*, Eædem sunt caussæ Electionis quæ sunt Iustificationis.—*Iam verò salvantur homines in tempore ex misericordiâ Dei, propter Christum Mediatorem fide apprehensum. Iisdem ergò causis (in quarum numero est fides) salus eorum ab æterno decreta, vel, quod eodem recidit, Electio ipsa eorundem facta existimatur.* His addantur quæ habet D. Balthasar Meisnerus, Anthropologias Decade II Disp. IV de Prædest. qu. III. Num. 16: *Αἴτιον προηγούμενον vel causa impulsiva quâ motus fuit Deus, ad eligendum homines, est solum meritum Christi, fide apprehensum.* Et in fine Numeri citati: *Conjungi ergo debent meritum Christi & fides, ita ut nec solum meritum, nec sola fides, sed cum merito fides, & cum fide meritum, seu uno verbo meritum fide apprehensum dicatur causa Electionis impulsiva interna.* Hic fides caussæ impulsivæ Electionis conjungitur & veluti includitur. Non igitur simpliciter exulat *aliqua causa in nobis* à decreto prædestinationis. *Meritoria*

ria autem caussa, propter quam, & ob cujus dignitatem æterna electio facta ſit, *non ſtatuitur*, ſed (etiam *in myſterio Electionis*) *relatè duntaxat ſe habet fides ad Chriſtum mediatorem*, ait iterum Hutterus loco & paginâ modo allegatis. Etiam ſic fortè dici poſſet, *nihil eſſe in nobis, quod* tanquam ex nobis, *ſit cauſſa Electionis.* Fides autem quamvis ſit in nobis, non tamen eſt ex nobis, ſed â ſpeciali Dei gratiâ per verbum Evangelij ſeſe exſerente pendet.

PUNCTUM X.

Aug. Conf. art 6. p. 12. Epit. Conc. art. 4. pag. 590. & 591. & ejuſdem Declar. art. eod p 704. & 705. nec non art. 3. p. 691. vide & ibid. p. 693. in fine Teut. Aug. Conf. art 6. fol. 5. Epit. 237. 238. 281 284. 280.

P*Rofitemur, & docemus*, in eccleſiis *Chriſtianis* merito hoc ratum, certum, & fixum eſſe debere, quod phraſes, ſeu, propoſitiones illæ, de Bonis Operibus ad ſalutem neceſſariis, *quales ſunt*: Bona opera neceſſaria ſunt ad ſalutem. Nemo unquam ſine Bonis Operibus ſalvatus eſt: Impoſſibile eſt, ſine bonis operibus ſalvari: *Bona opera ſunt conditio, vel cauſa ſine qua non juſtificationis aut ſalutis: & id genus aliæ*, non ſint docendæ, defendæ, & pingendæ, ſed potius ex Eccleſiis Lutheranis, ut falſæ & non ſinceræ, explodendæ atque rejiciendæ: quippe quæ ſimpliciter pugnant cum doctrinâ de particulis excluſivis (quales ſunt: Abſque operibus, ſine lege, ſine merito, non niſi ex gratiâ, gratis, non ex operibus) in articulo juſtificationis & ſalvationis: quibus particulis D. Paulus opera & merita noſtra ab articulo juſtificationis & ſalutis noſtræ penitus excluſit, & omnia ſoli gratiæ atque clementiæ divinæ, & Chriſti merito adſcripſit, *quemadmodum liset videre Rom. 3, 24. 9. 12. 11. 6. Gal. 2. 16. Eph. 2. 8. 9. Tit. 3. 5.*

Rejicimus eos, qui docent, quod ſicut pœnitentia & propoſitum diligendi Deum & præcepta ejus obſervandi, cauſa ſine quâ non & conditio ſit, ſub quâ homo juſtificetur, & hæres æternæ ſalutis ab initio ſcribatur: Ita ipſa actualis Dei & proximi dilectio & præceptorum ejus obſervatio, cauſa ſine quâ non ſit & conditio, ſub quâ hereditas illa æternæ ſalutis actu ipſo adeatur.

Ita docet D. Conradus Hornejus in Diſputatione Theologicâ, de ſummâ fidei non qualislibet, ſed quæ per charitatem operatur, neceſſitate ad ſalutem, §. 5. verbis hiſce: Sicut â pœnitentia & propoſitum diligendi Deum, & præcepta ejus obſervandi, cauſa ſine quâ non

non & conditio est, sub quâ homo justificatur, & hæres æternæ salutis ab initiò scribitur, juxta aliud illud Christi effatum Luc. 13, 3. Nisi resipiscatis, omnes similiter peribitis: ita ipsa actualis Dei & proximi dilectio, & præceptorum ejus observatio causa sine quâ non est, & conditio, sub quâ hæreditas illa æternæ salutis actu ipso aditur. Dico pœnitentiam causam non veram, sed sine quâ non, seu, conditionem tantùm esse, sub quâ justificamur, ac studium pietatis & bonorum operum causam sine quâ non, & conditionem, sub quâ per fidem justificati æternam salutem adipiscimur. Idem docet Dreierus Erörterung/pag. 548.

EXAMEN ET DISCUSSIO

PUNCTI X.

VErba Librorum Symbolicorum hîc allegata, in suis sedibus inveniuntur. *Reiicit* autem post illa recitata D. Calovius, *eos qui docent*, quod (1) *Pœnitentia sit causa sine qua non, & conditio sub qua homo justificetur*: (2) quod *propositum diligendi Deum & præcepta ejus observandi sit conditio sub qua homo justificetur*: (3) quod *actualis Dei & proximi dilectio, & præceptorum ejus observatio, sit caussa sine qua non, & conditio sub qua hæreditas illa æterna salutis actu ipso adeatur*. Videamus singula. Primò ipse D. Lutherus agnovit pœnitentiam esse caussam sine quâ non, seu conditionem sub quâ justificetur, homo, Tomo IV Lat. Ien. in Psalm. LI pag. 318. lat. B. ita scribens: *Quod si quis vult, numeret agnitionem peccatorum tanquam caussam secundam, seu, ut eruditi loquuntur, tanquam caussam sine qua non, quia sic est caussa, ut tamen tota res pendeat ex misericordia Dei seu ex promissione, quod scilicet Deus promisit, se velle illorum misereri, quia agnoscunt sua peccata & justitiam sitiunt*. Hæc ita optimè Lutherus. D. Henricus etiam Höpfnerus, Lipsiensis Theologus Makarismo Davidico, seu Disput. in Psalm. XXXII, habita Lipsiæ anni 1628, Thesin tertiam hanc constituit; *conditio subjecti quod beatitdinis particeps fit, est vera pœnitentia*. Hos ergo æque ac

Calixtum & Hornejum, nunc *reiiciat* D. Calovius. *Secundò.* Audivimus etiam suprà, D. Frid. Balduinum scripsisse, *Ante Iustificationem oportere præcedere propositum EMENDANDI vitam.* Reijciendus itaque erit ille quoque, non minus quam à Calovio reijcitur Hornejus hoc nomine, quod scripserit, *Propositum præcepta Dei observandi esse conditionem sub quâ justificetur homo.* Et tandem *Tertiò*; si perget Calovius negare atque reijcere, quod *actualis Dei dilectio, & præceptorum ejus observatio, sit conditio sine quâ non*, adeundæ æternæ hæreditatis & *salutis*, denuo ipsi solvendum propono hoc argumentum: Sine quo non potest haberi effectus (salus videlicet æterna) illud est necessarium ad consequendum effectum. Sine actuali observatione præceptorum Dei, ab homine justificato, adulto, & cui tempus vivendi deinceps suppetat, non potest haberi effectus (salus videlicet æterna) juxta illud Hebr. XII, 14 *sine sanctimonia nemo videbit Deum.* Ergo actualis mandatorum Dei observatio, est in subjecto quale dixi, ad consequendum illum effectum necessaria. Hanc nucem frangat nobis Calovius. Veritatem hic dudum rectè perspiciens D. Balthasar Meisnerus Anthropolog. Disput. XXIIX, Num. XX. ad dictum Matth. X. 32, quod ita habet; *Omnis qui confitetur me coram hominibus confitebor & ego illum corā Patre meo cœlesti*; scriptum reliquit *quod confessio non sit causa salutis, sed vel nota vel aliqualis CONDITIO, sine quâ nemini obtingit salus.* Quid poterat clarius pro Helmstadiensium sententia dici?

Vnum adhuc non est hic prætereundum. Profert Calovius tres propositiones, seu *phrases*, ut Epit. Form. Concord. in Antithesi Art. IV significanter loquitur, quæ ibi rejiciuntur: *Bona opera necessaria sunt ad salutem. Nemo unquam sine bonis operibus salvatus est. Impossibile est sine bonis operibus salvari.* Dubium nobis non est, duas posteriores & duriores & ambiguas magis esse priore. Quicquid autem hac de re sit, dico ego, Pa-

go, Parenteum mem nullâ harum trium esse usum. Non certe adhibuit duas posteriores. Sed nec primâ illâ est usus. Aliud enim subjectum posuit, nec prædicatum, τὸ *esse necessarium* ad *consequendam salutem*, sine justa determinatione ei addidit. Hæc enim est beati viri sententia, hæc quâ eam extulit propositio; Studium sanctimoniæ, seu, observatio mandatorum Dei, homini justificato adulto, cui tempus vivendi suppetit, ad consequendam SALVTEM (non, ad consequendam *justificationem*, scivit videlicet Parens bona opera non præcedere iustificandum sed sequi justificatum) est necessaria, non quidem tanquam caussa promerens aut applicans, sed tanquam conditio sine quâ non, ex ordinatione Dei requisita. Propositionem hanc isto modo declaratam, & tot conditionibus munitam, nullibi reijcit Formula Concordiæ. Quin istum in sensum quem Parens intendit, paulo ante recitavi ipsa D. Meisneri verba, è quo, & alijs nostratibus Doctoribus, plura similia proferri facilè possent. Et argumentum quod Calovio paulò antè solvendum exhibui, planè adamantinum, hujus sententiæ & propositionis veritatem irrefragabiliter infert atque evincit.

PVNCTI XI.

P*Rofitemur & docemus, quod fidei: quâ justificamur*, non significet tantùm historiæ notitiam, sed fidem, quæ credit non tantùm historiam, sed etiam effectum historiæ, videlicet hunc articulum, remissionem peccatorum: *& fiduciam*, quod per Christum habeamus gratiam, justitiam, & remissionem peccatorum. Aug. Conf. artic. 20. Teut. f. 8.

Rejicimus eos, qui docent, ad fidem justificantem non pertinere notitiam, vel cognitionem verbi Dei, & imprimis Domini Iesu Christi, nec assensum esse alterum fidei gradum, ita ut fiducia sit tertius gradus fidei.

Ita docent Helmstadienses, Calixtus & Hornejus in Apolog. contra Büscher, part, 2. p. 381. Büscherus quæstionem hanc de gra-

dibus fidei non intelligit, alioquin non diceret, Agnitionem veritatis, & imprimis personæ & officii Christi esse primum gradum fidei, alterum esse assensum, veritati horum dogmatum præbitum: Scire sane & intelligere, quid verbum Dei nos doceat, nullatenus est pars fidei. Das ist: Es verstehet aber Büscher das gantze Werck sehr übel/sonst würde er nicht sagen/ das im Glauben der erste Grad sey die Erkäntnis des Wortes Gottes/und insonderheit des HErrn Christi/und denn der ander der Beyfall/ daß man solches für gewis und war halte/zumahl daß man wisse und vernehme/ was das Wort Gottes uns lehre/ solches ist nicht ein Stück des Glaubens.

EXAMEN ET DISCUSSIO PUNCTI XI.

IN Apologia contra Büscherum loco citato agitur quæstio de partibus intrinsece fidem constituentibus, & disquiritur utrum iis accensenda sit *cognitio Verbi*, sive ut Scriptura loquitur *Auditus Verbi Divini*? an potius ipse ille auditus tale quid sit ex quo fides per Dei gratiam hauriatur, juxta illud Pauli ad Rom. x, 17. *Fides ex auditu est*. Antequam autem ad rem ipsam accedam, in antecessum & obiter saltem moneo, partis illius in Apologia Büschero oppositâ quam D. Calovius citat, Auctorem non esse Parentem sed præceptorem olim meum D. Conradum Horneium, qui quum vernaculo sermone, pro re natâ & ex superiorum mandato scripserit, operâ in Latinum ista transferendi parcere potuisset Calovius, ni hac fini adhibere eam voluisset ut persuaderet *AGNITIONEM veritatis*, (adsensum includentem) *& inprimis PERSONÆ ET OFFICII Christi*, à Fide excludi, quum tamen in Germanico contextu de *cognitione* tantùm, quæ ex mente Horneij, *agnitionem* antecedit sermo sit. Per hanc verò *Verbi cognitionem*, nil nisi nudum *auditum Verbi Divini* intellectum velle, & negare eum quod hæc pars intrinsecè fidem constituat, sequentia, nullo nec puncto nec colo, à prioribus distincta, à Calovio nihilo tamen minus omissa & suppressa

pressa verba docent. Integram itaque periodum, ut, quomodo castrata sit, intelligat Lector, oculis expono. Fürs 1 daß man wisse und vernehme/ was das Wort Gottes uns lehre/ solches ist nicht ein Stücke des Glaubens/ sondern wird in der Schrifft *auditus Verbi Divini* genant/ es werde solches gleich aus der Predigt oder Verlesung der heiligen Schrifft erlernet/ das Gehör aber des Worts ist nicht der Glaube selbst/ sondern aus dem Gehör kompt der Glaube Rom. x, 17. Quid opus est multis? Paucis dicam quod res est: nempe majorem hic esse in modo loquendi & proponendi quam in re ipsâ, à verbis Augustanæ Confessionis ad quæ Calovius provocat, diversitatem. Quod ut manifestum fiat adscribo thesin LIII, qua totius rei summa atque ordo proponitur, & D. Hornei mens sufficienter declaratur. Es ist die Ordnung hierinnen diese/ 1 das Gehör Göttliches Wortes/ und daß man wisse was dasselbe lehre/ diese Wissenschafft an und für sich selbst ist nicht die Erkäntnis Gottes und Christi/ auch nicht pars intrinseca, ein innerlich Stück des Glaubens/ sondern das/ woraus der Glaube durch die Göttliche Gnade geschöpffet wird/ 2 Das man dem Wort/ und dem/ was man daraus vernommen/ von Hertzen beypflichte und Beyfall gebe/ und solches ist das erste Stück oder der erste actus des Christlichen Glaubens/ und darin bestehet die Erkäntnis GOttes und Christi/ davon hin und wieder die Schrifft redet/ endlich und zum 3. ist die Zuversicht und das Vertrawen auff Gott und dessen Verheissunge/ welche ist das ander Stück/ oder der ander actus des wahren Glaubens/ welches auch so kan außgesprochen werden/ 1. ist das Gehör Göttliches Worts und Wissenschafft dessen was dasselbe lehret/ welches Gehör und Wissenschafft so wol Gläubigen als vielen Ungläubigen gemein ist/ 2. Der Beyfall dessen/ was man gehört oder aus dem Wort GOttes berichtet ist/ 3. die wahre Erkändtniß Gottes und der Göttlichen Geheimnissen/ welche aus dem gehörten Wort in unsern Hertzen angezündet wird/

und

und dann fürs 4. die gewisse Zuversicht zu dem / welchen man erkandt / und festes Vertrawen auff seine Barmhertzigkeit und gnädige Verheissung / welche er in seinem Wort uns gethan / und diese letzere drey Stück sind nur allein in den Gläubigen / und begreifft solche alle der wahre Christliche Glaube in sich.

Hanc Thesin si cum verbis Augustanæ Confessionis conferre placeat Lectori, re expensa à contradictione quam excortum it D. Calovius, Horneium facilè liberaturum, certò mihi polliceor.

PUNCTUM XII.

Apol. ad art. 4 p. 86. 181. 133. 222. Epit. Conc. art. 4 p. 590 & Declar. eiusd. art. eod p. 705. Teut p. 44. 50 58. b. 89. b. 273. b. 285.

PRofitemur & docemus, *etsi facienda sint bona opera, ne amittatur fides & Spiritus sanctus*, & ut firma sit vocatio, hoc est, ne fideles vocatione sua excidant, si iterum peccent; fidem tamen & salutem in nobis conservari & retineri non per opera sed tantum per Spiritum Dei & per fidem, (qua scilicet salus custoditur:) Bona autem opera testimonio esse. quod Spiritus sanctus præsens sit, atque in nobis habitet, *Roman. V, 1 2. IIX. 16 17. 1. Petr. 1. 5.*

Rejicimus eos, qui docent, per sanctimoniæ studium non tantum fidem acquisitam conservari, sed quoque per id ipsum studium vitam, sive jus, ad hæreditatem vitæ æternæ aliquando adeundam acquisitum, ne amittatur, aut intercidat, custodiri, quin & confirmari.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Epitome Theologiæ Moralis p 3. hisce verbis: Porro, quemadmodum per hujusmodi sanctimoniæ studium fides non acquiritur, sed quæ acquisita jam antè fuit, conservatur: Ita quoque per id ipsum studium vita, sive jus, si ita loqui libeat, ad hæreditatem vitæ aliquando adeundam non acquiritur, sed acquisitum, ne amittatur, aut intercidat, custoditur, quin & confirmatur. Quid enim aliud est vocationem & electionem nostram, ut Sanctus Petrus loquitur, firmam effici, quàm jus, quod ex vocatione & electione ad capessendam vitam æternam habemus, nobis confirmari? Finis igitur ultimus hujus, uti universæ Theologiæ, salus & beatitudo est æterna: intermedii vero conservatio fidei & sanctimonia vitæ, quæ legibus & voluntati Dei conformetur;

tur; sive potius, accurate loquendo, finis hujus partis adæquatus est conservatio fidei salvificæ & status gratiæ, in quantum à studio pietatis & sanctimonia vitæ pendent. Similiter D. Conradus Horneius in iterata Adsertione adversus D. Iohan. Rothmalerum §. 49. scribit hunc in modum: At sicut infanti, aut puero tutores sunt necessarii, ut qui hæres paternorum bonorum est, ejus bona illorum operâ administrentur, aut custodiantur, ne vel ipse, vel alii hæreditatem à patre acceptam, dissipent; & ita ei non ad hoc, ut hæres fiat, sed ut, qui hæres est, hæreditatem aliquando actu ipso possideat, & ea utatur, fruatur, tutores omnino necessarii sunt: sic etiam filiis Dei & hæredibus vitæ æternæ, studium pietatis & B. operum plane necessarium est, dum hic sunt ut hæreditatem sibi in cœlis reservatam 1. Pet. 1. 4 aliquando obtineant, nec ex statu gratiæ excidant, præsertim cum hac & non aliâ lege hæreditas ista illis promissa sit. Quin & idem ille c. 1. §. 50. finit hisce verbis: Per fidem salutem acquiri conceditur, per eandem etiam custodiri: Per bona opera autem non acquiri, sed suo etiam modo custodiri, sæpe dictum est. Vterque Calixtus & Horneius, eundem errorem propugnant in der gründlichen Wiederlegung/ contra M. Statium Buscherum parte 2. puncto 4. §. 42. pag. 74.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI XII.

VBique contradictiones jactat Noster, in fingendis quàm inveniendis felicior. Non enim nisi conficta contradictio est, inter hanc Formulæ doctrinam, *Opera non conservant fidem & statum gratiæ tanquam caussa per se, & directè influens, sed talis caussa tantum est Spiritus Dei & Fides*: & istam Præceptorum nostrorum; *Opera conservant Fidem & statum gratiæ tanquam caussa quæ removeat prohibens.* Per talem autem caussam non intellectam eos velle caussam per se, sed saltem caussam per accidens, Apologiæ contra Büscherum Parte secunda Puncto IV. Thesi XLII disertè & quidem characterum genere à reliquis diverso adeoque magis conspicuo, exprimatur. Quod ignorare non potuit D. Calovius, qui non

tantùm verba Epitomes Theologiæ Moralis primo loco produxit, ſed Apologiæ quoque, quâ iſta Epitomes ſententia, cum uberiore termini *cauſſæ removentis prohibens*, expoſitione repetitur, in fine hujus Puncti mentionem fecit. Produxit inquam locum ipſum, ſed more ſolito, magnâ ſui parte mutilatum, ut vel hinc Calovianum candorem cognoſcas. Integer igitur, ut ab Auctore ſuo profectus, & in Apologiâ repetitus eſt, hic adſcribi debebat, niſi maximâ ſui parte jam tùm à D. Calovio recitatus eſſet, & ſufficere poſſet priora hîc afferri, ab eodem omiſſa. *Vt homo in ſtatu gratiæ permaneat, præſtat veræ pietatis & ſanctimoniæ ſtudium, ſi non aliâ ratione, certè tanquam cauſſa, quæ removeat cauſam alias deſtructuram, quod nos ſervatum cupimus.* Sequitur parentheſis aliis literis expreſſa, quæ ita habet. *(Obſervetur autem ejusmodi cauſſam non eſſe cauſſam per ſe, ſed ſaltem per accidens)* Parentheſin hanc demum excipiunt à quibus Calovius, præteritis quæ modo recitata ſunt, orditur; *Porrò quemadmodum* & quæ ſequuntur. Ecce de *ſerio veræ pietatis & ſanctimoniæ ſtudio*, non aliter hoc loco loquitur & docet Calixtus, quàm Apologia Auguſt. Confeſſ. Art. xx, *Petrum loqui* affirmat *de operibus ſequentibus remiſſionem peccatorum, & docere quare ſint facienda, ſcilicet, ut ſit firma vocatio, hoc eſt ne vocatione ſua excidant*, ſive ut Calixtus rem effert, ne jus ad hæreditatem vitæ æternæ aliquando adeundam amittant, *ſi iterum peccent*. Aſt videor mihi videre D. Calovium, hic rurſus objecturum & dicturum, non tantùm affirmare Calixtum, quod præſtet pietatis ac ſanctimoniæ ſtudium, ut fides & ſalus *non amittatur & intercidat*, ſed addere eundem, quod idem quoque ſtudium efficiat, ut iſta *conſerventur & cuſtodiantur. Non amittere* autem, & *retinere*, *conſervare ac cuſtodire*, adeò notabili inter ſe differre diſcrimine, ut prius tùm Concordiæ Formula, tum Corpus Doctr. Julium, admittat, poſterius non item. Verùm non tantum

priori sed etiam posteriori loquendi modo sive *Phrasi, ante motam hanc controversiam, multos sinceros Doctores, in explicatione Sacræ Scripturæ usos esse*, agnoscit ipsa Formula Articulo IV pag. 707. Illi vero ipsi qui *formam sanorum verborum sese* tum demum *retinere* persuasi fuerunt, si per sanctimoniæ studium fidem & salutem non quidem *conservari & retineri*, sed *non amitti* concederent, officium retinendi & conservandi fidem & salutem, bonis operibus Iustificationem sequentibus, aliter adimere non possunt, nisi *sub ratione caussæ per se*, quod Calixtus quoque facit, minimè verò sub ratione *caussæ removentis prohibens*, quæ non est vera caussa sed saltem per accidens. Etenim si adfirmaverint docere Formulam Concordiæ quod pietatis studium, neque ut caussa per se, neque ut removens prohibens, fidem & salutem retineat & conservet, admittendum quoq; erit, etiam alios Ecclesiarum nostrarum Doctores, nunquam non pro orthodoxis habitos, Formulæ hac in parte contradixisse. Vt nihil nunc dicam de iis, qui antequam liber Concordiæ prodiret floruerunt, recentiores saltem, qui post publicatum & passim receptum scripserunt, audiamus. David Chytræus, Auctorum Formulæ Concordiæ non infimus, Catechesi quæ adhuc hodie in plurimis Lutheranorum Scholis discenda proponitur Loco de Bonis operibus, duodecim afferens causas ob quas facienda sint bona opera, sextam hanc esse dicit, *ut RETINEAMUS gratiam Dei, Spiritum Sanctum & hæreditatem regni cœlestis.* Idem in Cap. Geneseos IV. pag. 152. *Sine nova obœdientia*, inquit, *nec remissio peccatorum, nec fides, nec vita æterna RETINERI possunt.* Leonhardus Hutterus Explicatione Libri Concordiæ, Articulo IV Quæst. II. pag. 509; *Facienda sunt bona opera*, ait, ut fidem nostram exerceamus & *ALAMUS*, Nonne verò idem qui *alit*, id ipsum quod alit *conservat*? D. Fridericus Balduinus in Epistolam Dominicæ XIIX post Trinitatis: *Quia jam conversi*

conversi cooperari possunt Spiritui Sancto in bonis operibus, vult Deus ut digne ambulent vocatione sua, & mediis utantur, quibus in bono confirmari possint, qualia sunt auditus & meditatio verbi, preces & alia exercitia pietatis, quibus resistitur diabolo, & conservatur in nobis Spiritus sanctus. Magis luculenta & ab omni ambiguitate aliena sunt, verba Davidis Rungii, quæ leguntur Disputationis XIV in Epist. ad Rom. parte 1, titulo 1 Thesi XXXVII pag. 264 & ita habent: *Præstanda sunt necessario bona opera ut RETINEAMUS fidem & bonam conscientiam, vitemus pœnas temporales & æternas; & CONSEQUAMUR præmia in hac & in futura vita.* Istorum conscius Auctor moderati Iudicij, de quibusdam inter Saxonicos & Helmstadienses Theologos enatis Controversijs, quem D. Salomonem Glassium esse, antea indicavimus, prudenter scripsit, daß in und an sich selbst die Rede / à D. Calovio nempe rejecta loquendi formula, nicht falsch oder ketzerisch / auch von verè orthodoxis ohne Gefahr gebrauchet. Sed quia egregius Theologus ibi dixit quod res est, atque sufficienter pro Calixto respondit, integra periodus coronidis instar apponi meretur, & ita habet: Die andere Proposition hält dieses in sich / das ein Christ dieser Ursach halben Theologiam Moralem, oder die Lehr von rechter Ubung der Gottseligkeit von guten Wercken / lernen sol / damit durch derselben Ubung der Glaube und Gnadenstand in jhm erhalten werden möge / und wird eine Limitation hinzugesetzt: in quantum, so fern solches von dem Fleiß in der Gottseligkeit und heiligen Leben dependiret und hanget. Dis ist nun schlechter Ding nicht zuverwerffen: denn obgleich D. Hülsemann diese Proposition nicht admittiret / was nöhtig ist / daß man die Gnade Gottes nicht verliehre / das ist auch nöhtig dieselbe zu erhalten; in Præfat. Dialys. pag. 64. (wie er denn auch deßwegen in der Dialysi selbst / pag. 346. Apol. Aug. Conf. p. 101. anführet welche aber nur davon redet; daß man nicht schliessen soll / die Liebe ist nöhtig / 1 Cor. 13. Darumb werden

wir

wir durch die Liebe vor Gott gerecht:) so hat doch D. Calixtus darauff gründlich geantwortet in der Verantwortung Ggg 3. Nachdencklich ist/ daß/ da Fom. Concord. art. 4. von diesen Propositionibus handelt; Unsere gute Werck erhalten die Seeligkeit; oder die empfangene Gerechtigkeit deß Glaubens / oder auch der Glaube selbst/ werde durch unsere Werck entweder gäntzlich oder ja zum Theil erhalten und bewahret; so setzet sie die darauff folgende Censur: Ob wol vor diesem Streit viel reine Lehrer (NB.) solche und dergleichen Reden in Auslegung der heiligen Schrifft gebraucht; hiemit aber keinesweges gesinnet/ ob vermeldte Irrthum der Papisten zu bestätigen; jedoch weil nachmals über solcher Weise Streit entstanden/ &c. so ists am sichersten/ über dem Fürbilde der gesunden Wort zu halten: Woraus zusehen; das in und an sich selbst diese Rede nicht falsch oder ketzerisch/ auch von verè orthodoxis ohne Gefahr gebraucht; umb gewisser Ursach willen aber hernach sie zu gebrauchen/ verbotten. Ist also allhier eben das/ was von der Proposition, gute Werck sind nöhtig zur Seeligkeit/ droben vermeldet/ zu halten.

PUNCTUM XIII.

PRofitemur, & docemus, etsi vere in Christum credentes & renati multis infirmitatibus & nævis usque ad mortem sint obnoxii, non tamen illis vel de justitiâ, quæ per fidem ipsis imputatur, vel de æternâ salute esse dubitandum: quin potius firmiter illis statuendum esse, quòd propter Christum, juxta promissionem & immotum verbum Evangelii Deum sibi placatum habeant, *Ioh. 3. 16. 36. Act. 10, 43. 13. 38. 30. Rom. 8, 31. & seqq. 2. Tim. 1, 12.*

Epit. Conc. art. 1. p. 585. Teut. 237. b.

Rejicimus eos, qui docent, hominem de finali perseverantiâ in fide, & quæ ab ea dependet, salute æternâ, non posse non esse dubium.

An Gabrieli ante Luciferi lapsū necessario dubitand. fuit de sua perseverantia.

Ita docet Iohanes Latermannus, in Exercitatione de æterna Dei prædestinatione & ordinata omnes salvandi voluntate §. 45. hisce verbis: Quid quod res aliter se habere non possit: cum n. homo eadere certus sit, quod spe salutis, quæ pro præsenti indubitata esse

 potest,

potest, post hac excidere queat, de finali perseverantiâ non potest non esse dubius, ex qua tamen de certitudine salutis unicè judicandum. Id quod nemini mirum videri debet, cum ipse Deus de eo, num ille, vel iste ad salutem certò perventurus sit, ex finali in fide perseverantiâ judicium ferat. Hinc idem Latermannus citato loco addit: Guilielmum Estium bene ex Cajetano & Toleto ad caput Epistolæ ad Romanos IIX. observasse, Paulum de custodia Sanctorum à parte Dei verba fecisse. Et mox de S. Paulo hæc addit: Nonnulli verbis Apostoli inducti existimarunt Paulo suam in bono perseverantiam divinitus revelatam fuisse: sed falsum id est; quia enim se reprobum fieri posse clarè statuit, de electione suâ certus non fuit.

EXAMEN ET DISCUSSIO PUNCTI XIII.

ISta, uti ad nos non pertinent, ita intacta quoque relinquimus: etenim Latermanni dicta nos nec præstare, nec patrocinium eorum suscipere tenemur.

PUNCTUM XIV.

Declarat. Conc art. 3. pag. 688. nec non Aug Conf. art. 20. p 19. Apol. p. 83. 84. 85. Teut fol. 176. & fol. 8. 42. 41.

PRofitemur, & docemus, etsi fides & justificatio non cadant in animum perseverantem in proposito contra conscientiam malo, sed oporteat præcedere contritionem ante Remissionem peccatorum; Bona tamen opera tam interna, quàm externa non præcedere justificationem, sed eam demum sequi, *& oportere personam primum esse justam, antequam bona opera facere queat, imò* induat novos affectus, ut parere bona opera possit. Fides *namque quemadmodum Augustana Conf. Art. 20. ex Ambrosio docet,* & bonæ voluntatis & justæ actionis genitrix est: *Postquam igitur fide justificati & renati sumus, incipimus Deum timere, diligere, petere, expectare &c. incipimus diligere proximum, quia corda habent spiritua les & sanctos motus.* De hac re eruditè & piè D. Lutherus in præclaro illo suo & copioso super Epistolam ad Galatas commentario ad hunc modum docet: Concedimus de charitate & bonis operibus etiam docendum esse, sed suo tempore & loco, quando scilicet quæstio est de bonis Operibus extra hunc Articulum de justificatione. Hic autem status causæ & caput est, de quo agitur, ut scilicet quæratur,

Formula Concordiæ p. 688 689. & 690. Teut. 178.

tur, non an bona opera sint facienda, & charitas exercenda sit, sed qua re justificemur, & vitam æternam consequamur? Hic respondemus cum Paulo: Solâ fide in Christum nos pronunciari justos, non operibus legis, aut charitate. Non quod opera, aut charitatem rejiciamus, ut adversarii nos falso accusant; sed quod à statu causæ in alienum negocium, quod ad hanc quæstionem prorsus non pertinet, abstrahi nos, & implicari nolumus, id quod tamen Satanas maximoperè molitur, & quærit. Itaque cum jam versemur in loco communi & Articulo de justificatione, rejicimus & damnamus opera. Is enim locus nequaquam patitur, aut admittit disputationem de bonis operibus. Abscindimus igitur hoc proposito simpliciter omnes leges & omnia opera legis. Hactenus Luth. Quare ut perturbatæ mentes certam firmamque consolationem habeant: & merito Christi atque gratiæ divinæ debitus honor tribuatur: docet nos Scriptura justitiam fidei coram Deo tantummodò consistere in sola clementi, & quidem gratuita reconciliatione, seu remissione peccatorum: quæ ex merâ gratiâ, propter solum Christi Mediatoris meritum, nobis donatur: & per solam fidem, in promissione Evangelii, apprehenditur. Ad eundem modum etiam fides illa in justificatione coram Deo; neque contritione, neque dilectione, alisve virtutibus, sed solo Christo confidit: & in Christo, ipsius perfectissima obedientia (qua pro nobis legem implevit) nititur: quæ obedientibus ad justitiam imputatur. Et quidem neque contritio, neque dilectio, neque ulla alia virtus, sed sola fides est illud unicum medium & instrumentum, quô gratiam Dei, meritum Christi & remissionem peccatorum (quæ bona nobis in promissione Evangelii offeruntur) apprehendere & accipere possumus.

Rectè etiam dicitur: quod credentes, qui per fidem in Christum justificati sunt, in hâc vitâ primum quidem imputatam fidei justitiam, deinde vero etiam inchoatam justitiam novæ obedientiæ, seu bonorum operum, habeant. Sed hæc duo non inter se permiscenda, aut simul in Articulum de justificatione fidei coram Deo, ingerenda sunt. Cum enim inchoata illa justitia seu renovatio in nobis, propter carnem, in hâc vitâ imperfecta sit & impura: ejus justitiæ ratione, persona coram Dei judicio consistere non potest. Sola autem justitia obedientiæ, passionis, & mortis Christi (quæ fidei impu-

puta-

putatur) coram judicio Dei stare potest: Ita quidem, ut tantum propter hanc obedientiam, persona (etiam postquam renovata est, & multa bona opera habet, atque jam honeste & innocenter vivit) Deo placeat, & accepta, in filium Dei adoptata, atque hæres vitæ æternæ scripta sit.

Reiicimus eos, qui docent, propositum diligendi Deum super omnia, & in mandatis ejus ambulandi, justificando, sive, quod idem est, remissionem peccatorum impetraturo, necessarium esse, idque propositum diligendi Deum & præcepta ejus observandi causam sine qua non & conditionem esse, sub qua homo justificetur, quodque ante justificationem prærequiratur.

Ita docet D. Conradus Horneius loco supra allegatô, h. e. in Disp. Theol. de summâ fidei, non qualisbet, sed quæ per caritatem operatur, necessitate ad salutem, §. 5. ibi namque expresse scribit: Pœnitentiam & propositum diligendi Deum & præcepta ejus observandi causam sine qua non & conditionem esse, sub qua homo justificatur, & hæres æternæ salutis ab initio scribitur. Quæ verba repetit simul ac approbat D. Georgius Calixtus in der Antwort auff D. Johann. Hülsemanni meisterliches Muster/ §. 25. sub finem.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI XIV.

VErba August. Confess. Apologiæ & Declarationis Formulæ Concordiæ quæ Calovius hic valde liberaliter admetitur, leguntur sane locis indicatis. Iterum autem contradictionem hîc, ubi nulla est, fabricare in cassum laborat. Allegat p. 71. Consens. verba Declarat. Formulæ Concordiæ, *Fides illa in justificatione coram Deo, neque contritione neque dilectione, aliisve virtutibus, sed soli Christo confidit: & in Christo ipsius perfectissima obedientia (qua pro nobis legem implevit) nititur* &c. Quomodo verò cum his pugnant verba Horneij quæ ipse reijcit? num ille affirmat *Fidem oportere contritione aut dilectione NITI?* Ne Argus quidem id in Horneji verbis viderit. *Contritionem* esse conditionem sine quâ non in homine justificando

cando, in præcedentibus ex ore Lutheri audivimus. Nec repetam quod ex Balduino semel iterumque attuli, *oportere ante justificationem præcedere propositum EMENDANDI vitam.* Vt plenius retundatur D. Calovius, addo nunc verba Martini Chemnitij, unius è conscriptoribus Formulæ Concordiæ, quem ipsi illi Formulæ voluisse contradicere, haud est credibile. Is tamen Examine Concil. Trident. Parte II. de Pœnitentia, cap. IV. de Contritione, idem quod in Horneio damnat Calovius, ratione sensus perscriptum reliquit. *Et primò,* inquit ibi, *quod ad descriptionem contritionis attinet, nemo* (nisi Calovius) *pugnat, quin contritio continere doceatur non tantum cessationem à peccato & NOVAE VITAE PROPOSITVM & INCHOATIONEM, sed veteris etiam odium & detestationem.* Hîc audimus, *contritionem continere novæ vitæ propositum & inchoationem.* Iam docet ipsa Formula Concordiæ Art. III; *Veram & salutarem fidem in iis non esse, qui contritione careant* — *Veram enim contritionem præcedere* (fidem, & consequenter justificationem) *& fidem justificantem in iis esse, qui verè non ficte pœnitentiam agunt.* Hinc jam pronum est argumentum.

Quod continetur in contritione, hoc præcedit Fidem & justificationem. Ratio, quia contritio præcedit fidem & justificationem, ex doctrina Formulæ, Lutheri & Balduini. Novæ vitæ propositum & inchoatio continetur in contritione: sic enim ad verbum docet Chemnitius. Ergò novæ vitæ propositum & inchoatio præcedit fidem & justificationem. Aut igitur præcedit tanquam caussa promerens vel applicans, & hoc non; aut tanquam conditio sub qua; & habetur sententia Horneji. Calovius itaque hîc Chemnitium æque ac Horneum rejiciat, aut si Chemnitium quoque minus rectè hac in re scripsisse loquutumque esse existimat, eandem æquitatem adhibeat in interpretandis Horneji verbis, quam fortè Chemnitio esset exhibiturus.

In verbis B. Parentis, aus der Antwort auff D. Hülsemans Muster citatis, apertum est. *propositum emendandi vitam*, latè eum accipere, & cum *proposito abstinendi à peccatis*, permutare, ferè sicut dicitur apud Poetam; *Virtus est vitium fugere, & sapientia prima, stultitia caruisse.* Sed ecce ipsa Parentis verba, è quibus, si antecedentia probè considerentur, propositum in peccatis minimè perseverandi sed ab iis abstinendi, intellectum eum velle, liquet. *An non*, ait ibi, *(ut Lutheri exemplum, quod propius adrem facit, sequamur) agnitio peccatorum necessaria est ad habendam eorum remissionem? annon pariter necessarium est propositum minimè in iis perseverandi sed abstinendi in posterum? Nisi fortè existimat Hulsemannus Deum peccata remittere, etiamsi peccator non agnoscat se peccasse, & animum induxerit perseverare in peccandi studio. Quòd ipsum sanè ei, quantum mentem ejus ex verbis assequi licet arridet. In sua enim Dialysi* Pag. 141 *& Brevi instructione* Pag. 48. *reprehendit & improbat quod D. Horneius docuit, pœnitentiam & propositum abstinendi à peccatis vel emendandi vitam, justificando, sive quod idem est, remissionem peccatorum impetraturo necessarium esse.*

PUNCTUM XV.

Epitome conc. art. 4. pag. 589. Apol art IV p. 86. Teut. 237. Apol. fol. 44. PRofitemur, *& docemus*, quod bona opera veram fidem (si modo ea non sit mortua, sed viva fides) certissimè atque indubitatè sequantur, tanquam fructus bonæ arboris: & quod fides non possit existere in his, qui secundum carnem vivunt.

Rejicimus eos, qui docent, illis, qui non tantum nullum articulum fidei in dubium vocant, nullamque hæresin contra verbum Dei fovent, sed fiduciam etiam omnem in divina misericordia & Christi merito repositam habent, in commessationibus, odiis, & inimicitiis, injustitia, superbia, & similibus contra conscientiam peccatis posse vivere.

Ita docet D. Conradus Horneius, part. II. Disp. Theol. Disput. 4. sect. 3. pag. 492. §. 182. Cum duo sint præcipui actus fidei, Unus, ut per eam assentiamur divinæ revelationi, alter, ut fiduciam collocemus in Deo & Christi merito; fit tamen, ut multi, qui nullum articu-

lum

lum fidei in dubium vocant, nullam hæresin contra verbum Dei fovent, fiduciam etiam omnem in divina misericordia & Christi merito repositam habent, nihilominus in comessationibus, odiis, inimicitiis, injustitia, superbia & similibus peccatis vivant.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI XV.

Atrocissimam hic injuriam Calovius, malitioso prorsus animo, D. Horneio infert, dum horrendam illam sententiam, adversus quam ille totâ vitâ strenue pugnavit, quod *fiducia in misericordiâ Dei & Christi merito reposita*, uno verbo fides justificans, possit in iis manere, *qui in commessationibus, odiis, inimicitiis, injustitia, superbiâ, & similibus contra conscientiam* commissis *peccatis vivunt*, per apertam fraudem Viro innocenti, imputare non dubitavit. Obstupescet Lector, scio, si verbis Horneji integris adscriptis, imposturam detexero. Sic autem habent Horneji, mutilatè à Calovio allegata verba, si bona fide absque dolo & fuco exscribantur. *Cum duo sint præcipui actus fidei, unus ut per eum assentiamur Divinæ revelationi, alter ut fiduciam collocemus in Deo & Christi merito, fit tamen ut multi qui nullum articulum fidei in dubium vocant, nullam hæresin contra verbum Dei fovent, fiduciam etiam omnem in Divinâ misericordia & Christi merito repositam habent, nihilominus in commessationibus, odiis, inimicitiis, injustitia, superbiâ & similibus peccatis vivant*, QUIA FIDEM NON VIVAM SED MORTUAM HABENT. *Horum ergo fides, id est, doctrina quam amplectuntur, reprehendi nequit, sed vita penitus improbanda est, cum hæc doctrinæ quam profitentur è diametro repugnet &c.* Ecce Lector verba quæ majusculis literis excudi feci, in medio contextu jacentia, videre noluit & data opera omisit præfervidus ille Calovius. An putas virum de nceps in aliorum sententiis producendis fidem mereri? Sed præivit hic genero socer Hulsemannus, qui maledicæ Dialyseos pagina 327 & 349,

349, eandem horum Horneji verborum mutilationem facere non exhorruit. Cui tamen tantum crimen cum innumeris aliis in Parentem meum & D. Horneium eructatis calumniis, si *Verme conscientiæ* rosum seriò pœnituit, à Deo condonatum esse & spero & opto.

In gratiam autem Lectoris, ut ille porrò Calovii frontem cognoscere possit, adijcio allegationum ejus adhuc unum insigne specimen. Disputaverat per literas B. Horneius cum D. Wilhelmo Lysero de Bonis fidelium operibus, eorum merito in ordine ad vitam æternam, & de necessitate eorundem operum ad salutem. Literæ utriusque in calce dicacis suæ Dialyseos à D. Hulsemanno integrè sunt productæ. Desideraverat inter alia Lyserus in Horneio, quod *meritis operum* (hominum fidelium, in comparatione ad ipsum Deum) plus justo tribuisset. Hornejus explicat se, & ostendit, se ad mentem Apologiæ A. C. scripsisse & loquutum, nec ultra quam Apologia in hoc negotio procedat, esse progressum. Et tunc declarationem suam concludit his usus verbis: *Ego omne meritum* (tale de quo ibi sermo, & de quo tota Horneij Epistola sonat, nempe hominum fidelium comparatione Dei) *verum & proprie dictum nego.* Quis hic aliquid sinistri suspicetur? Quis non collaudet Horneij de meritis fidelium adeo planam confessionem? *Accipe nunc Danaum insidias, & crimine ab uno disce omnes.* Calovius in biliosis suis Institutiuoibus pag. *295* & *296*, de paucis his Hornei modo recitatis verbis, *Ego omne meritum verè & propriè dictum nego*, ingentem excitat clamorem. Adducit primo pag. 295. *celeberrimum quendam* (arte calumniandi, credo) *Theologum* τὸν νῦν ἐν ἁγίοις ut ait, qui *in demonstratione Pyrrhonicæ & Puccianæ Theologiæ* Calixti *observet, quod ipse* Calixtus *in Confessione sua Pontificiis directè oppositâ, nihil de sufficientissima æquivalente Christi satisfactione &c.* habeat: hinc videlicet & similibus è bellis indiciis

Calix-

Calixtum ille Theologus *satisfactionis Christi* non satis *sincerè* creditæ vult arguere; quam insulsam calumniam in transcursu saltem conspuo, & responsione indignam judico. Ad Horneium autem denuo propero. Quum *Theologi* illius sui de Calixto suspicionem recitasset, ita porro subijcit Calovius pag. 296. *Taceo quod eidem* (celeberrimo scilicet illi) *Theologo observatum, quod D Horneius in literis ad Dn. D. VVilhelmum Lyserum 21 Decembr. anno 1640 scripserit*, sese omne meritum verum & propriè dictum negare. Et nunc audi Lector applaudentem Calovium validissima isthâc illatione! *Quam sincere ergò credant isti duumviri* (DD. Calixtus & Horneius) *meritum Christi,* ἰσοῤῥοπον *pro mundi totius peccatis ac infinitam sufficientissimam satisfactionem vicariam, Christi morte nostri vice exantlatâ præstitam, cujus apprehensione quæ sola fit fide & imputatione credentes unicè justificentur & salventur, jam PATERE arbitramur.* Imò vero, æthiopicum Calovii in interpretandis Calixti & Hornei, satis certè planis & perspicuis verbis, candorem, cuivis non cœco ex hoc specimine iterum luculentissime *parere*, prorsus ego arbitror.

PVNCTVM XVI.

P*Rofitemur & docemus, facilè appare[r]e, doctrinam nostram Lutheranam* non esse accusandam, quod bona opera prohibeat, sed multo magis laudandã, quod ostendit, quomodo bona opera facere possimus. Necesse *namq;* est, bona opera facere non ut confidamus per ea justificationem ac salutem æternam mereri, sed propter voluntatem Dei. Tantum fide apprehenditur remissio peccatorum ac gratia. Et quia per fidem accipitur Spiritus sanctus, jam corda renovantur, & induunt novos affectus, ut parere bona opera possint, *1. Thess. 4. 3. 1. Petr. 2, 15.*

Aug. Conf. art. VI p. 11. & art. 20. p. 16. & seqq. Formul. Concord. p. 705. seq. Teut. fol. 5. 7. 185.

Rejicimus eos, qui doctrinam Lutheranam accusant, quod bona opera prohibeat, nec juventutem scholasticam moneat & urgeat, ut se pietatis, castimoniæ, continentiæ & aliarum virtutum studio muniant. Quin & addunt, magnam fenestram impietati aperiri, si

dicatur: Bona Opera & pietatis studium nec ad justificationem, nec ad salutem esse necessarium.

Ita docet D. Conradus Hornejus in Iterata Adsertione, p. 143. §. 115. Quantam autem fenestram impietati aperuerit his gerris suis, & alii, cum id dicunt, quod ipse jamjam dicebat, Bona Opera & pietatis studium nec ad justificationem, nec ad salutem necessarium, sed arbitrarium ad utrumque Christiano esse; si ex me vel antiquis non vult discere, &c. Similiter D. Georgius Calixtus in Epistola dedicatoria ad Serenissimum Principem ac Dominum, Dn. Christianum Ludovicum, Ducem Brunsvicensem & Luneburgensem præfixâ Dissertatione de Quæstionibus, Num mysterium sanctissimæ Trinitatis è solius Veteris Testamenti libris possit demonstrari. Et alibi passim. Quam calumniam solidissimè cum B. Luthero, A. C. & Formula Concordiæ profligavit & repressit. Vid. Art. xx. A. C. fol. 15. seqq. Apolog. de dilectione & impletione Legis. fol. 85. & 95. & in Declarat. de B. O. p. 702.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI XVI.

NIhil hic in citatione verborum August. Confess. & Formulæ Concordiæ magnopere desiderari potest. Quando autem Calovius *reiicit* eos *qui doctrinam Lutheranam accusent, quod bona opera prohibeat*, fucum in eo facit Lectori, quod opinionem ei iniicere studet, quasi illi quos ipse *reiicit*, istam Lutheranam doctrinam, quæ ex August. Confess. Artic. xx ab ipso repetitur, accusent, *quod bona opera prohibeat*. At quomodo reijcerent à Calovio accusati istam quidem Lutheranorum doctrinam, quæ nihil aliud quam quod ipsi volunt docet? Sic enim habent verba Articuli xx August. Confessionis. *Necesse est bona opera facere, non ut confidamus per ea justificationem & salutem mereri, sed propter voluntatem Dei*, & quæ ibi porrò in hanc sententiam sequuntur. Stultus sit qui sibi persuaderi patiatur, DD: Calixtum & Horneium hanc Lutheranorum doctrinam accusasse *quod prohibeat bona opera*. Alia doctrina, non Lutheranorum omnium, sed Adversarii illius,

lius, ad quẽ Horneius digitum intendebat, Calovii itẽ & complicũ quorundam, erat, quam dicto jã nomine operum pietatis ſtudioſi Viri accuſabant. Iſta videlicet, quæ pertinaciter & contumelioſè hanc reijcit ſententiam; *Quod homini juſtificato adulto cui tempus vivendi ſuperſit, neceſſaria ſit obſervatio mandatorum Dei ad conſequendam ſalutem non quidem tanquam cauſſa per ſe, ſed tanquam conditio ſine quâ non.* Hanc enim veriſſimam & in ſacrâ ſcripturâ fundatiſſimam doctrinam (quod aliqui non infimi ordinis ipſarum Saxonicarum Eccleſiarum Theologi Lutherani, & viderunt & publicè agnoverunt) qui, ceu falſam & minimè tolerandam rejiciunt, ut Calovius & complices faciunt, illi certè contradictoriam pro verâ relinquere coguntur; quum duæ contradictoriæ non poſſint eſſe ſimul falſæ. Contradictoria autem ita compatata eſt, ut qui per eam *feneſtram ad impietatem aperiri* neget, eum in reprobum planè ſenſum traditum eſſe oporteat. Facit huc Theſis XXIIX Reſponſi Hulſemanno, ſcriptum vernaculum ſub titulo eines meiſterliſchen Muſters, divulganti, reddita. *Quoniam terminus*, ait ibi Parens, Bona opera, *æquivocatione, de qua alibi fortè monebo, laborat, ideo eo nunquam ſum uſus, ſed dixi & dico:* Studium pietatis, declinare à malo & facere bonum, neceſſarium eſt ad ſalutem, *ſi non aliter, certè* ut cauſſa ſine quâ non, vel quæ removeat id, quod hominem ſalute eſſet privaturum. *At Hulſemannus non ſolum voculas* Bona opera, *ſed ipſam, quam diximus, rem, quacunque addatur reſtrictio vel limitatio veram cauſſam efficientem & promerentem intelligi prohibens, averſatur.* Nullum modum neceſſitatis ad ſalutem admittit, omnem modum excludit. *Iuxta ipſum igitur Boni aliquid vel cogitare vel dicere vel facere, nullo planè modo ad ſalutem eſt neceſſarium. Quid aliud dicturus ſit Welleri diabolus incarnatus, ſi ei inter homines perorandi poteſtas fiat, equidem ignoro.* Iſta ibi Calixtus, quæ ſi remotâ affectuum nube ſecum expenderit Calovius, cupiam ex ipſo percontari, utrum etiam

Vide Brevem inſtruct pag. 49.51.102.

hoc

hoc existimet ac reputet *calumniam, solidissimè cum B. Luthero, A.C. Art. XX & Formulâ Concordiæ profligatam & reprobatã*, quod ad gloriosæ memoriæ Principem Christianum Ludovicum B. & L. Ducem scripsit idem Parens meus, Academiam Iuliam *coluisse & colere studium pietatis, sanctimoniæ & observationis mandatorum Dei, tanquam ad reapse habendam aliquando beatitudinem necessarium: credere enim purè & simpliciter verum esse, quod de idololatriâ, veneficio adulterio, scortatione, lascivia, cædibus, ebrietatibus, commessationibus & similibus flagitiis* διαῤῥήδην *pronunciavit Apostolus*, eos qui talia agunt regni Dei non fore heredes: *nosque* si secundum carnem vixerimus, morituros; sed si spiritu actiones corporis mortificaverimus, vitâ potituros. Si ita credentes ita docentes Augustanam Confess. & Formulam Concordiæ calumniantur, ipse quoque Apostolus calumniæ libris Symbolicis factæ reus agendus erit.

Postremo plane ridiculum est, D. Horneium qui contra unum illum Adversarium suum disputat, & ejus doctrinam accusat, argui quod *doctrinam Lutheranam accuset*: quasi verò *novus hic Apostolus*, quem Horneius tunc *exortum esse* scribit, os esset Ecclesiæ Lutheranæ, vel instar omnium Lutheranorum Doctorum habendus!

ARTICVLVS V.
AVGVSTANÆ CONFESSIONIS
DE
VERBO DEI, LEGIS ET EVANGELII.
PVNCTVM I.

Epit. Concl art. 5. p. 592. & ejusdem Declaratio art. eod. p. 709. Teut. 238, b. 287. b

P*Rofitemur & docemus*, discrimen Verbi Dei legalis & evangelici, accurata diligentia in Ecclesia conservandum esse atq; retinendum, ne hæc duo doctrinarum genera inter se commisceantur, aut Evangelium in Legem transformetur: Ea enim ratione meritum Christi obscuraretur: & conscientiis perturbatis dul-

cissima consolatio (quam in Evangelio Christi, sincere prædicato, habent, quâ etiam sese in gravissimis tentationibus adversus Legis terrores sustentant) prorsus eriperetur. Lex est proprie doctrina divinitus revelata, quæ docet, quid justum, Deoque gratum sit: quæ etiam, quicquid peccatum est, & voluntati divinæ adversatur, redarguit. Evangelium vero propriè doctrina est censenda, quæ docet, quid homo credere debeat, qui Legi Dei non satisfecit, & idcirco per eandem damnatur: videlicet, quod illum credere oporteat, Iesum Christum omnia peccata expiasse, atque pro iis satisfecisse, & remissionem peccatorum, justitiam coram Deo consistentem, & vitam æternam, nullo interveniente peccatoris illius merito, impetrasse, *Ier.* XXXI, *31. 32. 33. 34. Hebr.* IIX, *8. 9. 10. 11. 12. 13. 2. Cor.* III, *9. Gal.* III, *11. 12.*

Rejicimus eos, qui docent, discrimen pacti legalis, seu legis, & pacti Evangelici, seu Evangelii, non in eo consistere, quod Lex conditionem operum habeat, Evangelium nullam talem habeat: Vtrumque enim, sed diversimodè habere; sed quod Lex exactam obedientiam & omnibus numeris perfectam postulet: Evangelium gratiam & remissionem præstet, sed pœnitentibus & novam vitam, prout in hac fragilitate fieri potest, inchoare sibi proponentibus.

Ita docet D. Conradus Horneius, in Iterata Adsertione, *§. 53.* verbis hisce: Vnde discrimen pacti legalis non in eo consistit, quod Lex conditionem operum habeat, Evangeliũ nullam habeat; utrumque enim, sed diversimodè habet; sed quod Lex exactam obedientiam & omnibus numeris perfectam postulet; Evangelium gratiam & remissionem præstet, sed pœnitentibus & novam vitam, prout in hac fragilitate fieri potest, inchoare sibi proponentibus. Quocirca etiam opera ita ad pactum Legis exposcuntur, ut illa causa *justitiæ* & salutis sint; ad pactum autem Evangelicum, ut conditio tantum pura, & grati animi pro acceptâ justitiâ & promissione salutis contestatio, quæ in eo posita est, ut succincti lumbis mentis nostræ, sobrii ad finem usq; speremus in eam, quæ nobis defertur gratiam, cum revelabitur Iesus Christus, ut filii obedientes, qui nos non configuremus, quæ in ignorantia nostra (viguerunt) cupiditatibus, sed sicut is, qui nos vocavit, sanctus est, ipsi quoque sancti (pro nostro modulo) in omni conversatione reddamur &c. Quo etiam videtur collimasse D. Georgius Calixtus in Epitome Theologiæ moralis, p. 71. sequentibus

bus verbis: Instar enim pacti sese habet actio illa Dei, quæ ei nobiscum de salute nostra intercedit. Ipse videlicet nobis promittit summum & cœleste bonum, & vicissim à nobis stipulatur observationẽ ejus, quam nobis ponit, conditionis. Quin lege eam quoque sancit, & observari mandat; atque adeo, nisi observetur, severè vindicat. Hinc igitur est, quod in pacto etiam Evangelico legem quandam agnoscamus. Idem docet in peculiari Disput. de Pactis anno 1654. habitâ Thes. 43. seqq.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI I.

VErba Epitomes Form. Conc. & Declarationis, locis allegatis deprehenduntur. Consentio etiam prorsus, *discrimen Legis & Evangelij* esse *retinendum*, ita tamen, *ne doctrina de gratuitâ meriti Christi imputatione, & nostra per solam fidem absq; operibus justificatione, tanquam velamine malitiæ abutamur, nec regulam illam,* Noli peccare *Ioh. IIX, 11, cum remißione sive non imputatione peccatorum indivulsè conjunctam divellamus*, ut bene monet D. Henricus Hopfnerus, Sax. Evangel. pag. 72. His præmissis & observatis facile patebit, D. Horneium nec discrimen Legis & Evangeli violasse, nec quidquam Formulæ Concordiæ adversi docuisse. Velim autem attendat Lector ad verba Horneij, quæ Calovius producit & *rejicit*. Ista videlicet sunt Horneij.

(1.) *Lex exactam obœdientiam & omnibus numeris perfectam postulat. Evangelium gratiam & remißionem peccatorum præstat, sed pœnitentibus, & novam vitam, pro ut in hac fragilitate fieri potest, inchoare sibi proponentibus.* Audiamus nunc D. Johannem Gerhardum, Locor. Theolog. Tomo III de Evangelio, Num. XXIV, Adduxerat ibi objectionem Bellarmini, *Promißiones Evangelicas esse conditionales ex doctrina Apostolorum, qui passim conditiones operum inculcent*; ad quod probandum citaverat Bellarminus hæc dicta; Rom. IIX, *Si spiritu actiones carnis mortifica-*

tificaveritis, vivetis; *cohæredes Christi sumus, si tamen compatimur*. II Tim. II; *Si commortui sumus & convivemus, si sustinebimus etiam una regnabimus*, &c. Respondet jam Gerhardus; *In genere dicimus in his & similibus pronunciatis requiri à RENATIS mortificationem veteris hominis, STVDIVM novæ obœdientiæ, ac patientiam in cruce, non tanquam talem quandam conditionem ac CAVSAM propter quam justitia & salus, & vita æterna contingat &c.* (quod nec Horneius vult) *sed hæ conditiones ideo* (ab Apostolis ex lege) *adduntur*, (cui verò adduntur? promissionibus utique Evangelicis illis à Bellarmino allatis, *vivetis, cohæredes Christi sumus, convivemus, unà regnabimus* &c.) *ut exprimatur, QVIBVS demum ipso actu plena vitæ æternæ possessio contingat, scilicet illis, qui in vineâ Domini laboraverint* &c. —— Quâ VIA (studium sanctitatis esse *viam regni, non caussam regnandi*, è Bernhardo Parens quoque in historia Iosephi, ad Cap. Gen. XXXIX, II docet) *post impetratam peccatorum remissionem incedendum sit ad propositum vitæ æternæ brabeum* &c. Et tandem (attende Lector) *hæ conditiones ideo adducuntur, ut exprimatur quod remissio peccatorum, salus & vita æterna, nequaquam contingat securis, inpœnitentibus & in peccatis contra conscientiam pergentibus, sed illis qui peccata sua agnoscunt, seriò dolent, fide Christum amplectuntur, & fidem per opera demonstrant.* Hæc ita tàm disertè cum Horneio Gerhardus, ut Calovius hunc pariter atque illum *reiicere* teneatur.

(2) Pergit Horneius: *Quocirca etiam opera ita ad pactum legis exposcuntur, ut illa caussa justitiæ & salutis sint, ad pactū autem Evangelicum ut conditio tantùm pura, & GRATI ANIMI pro accepta justitia contestatio, quæ in eo posita, ut succincti lumbis mentis nostræ, sobrii ad finem usque speremus in eam, quæ nobis defertur gratiam*, & quæ ibi sequuntur. At sic iterum loquitur ipse Gerhardus, hac ipsa jam citata periodo, in medio: *Hæ conditiones ideo adduntur, ut exprimatur —— quo fine nobis conferatur*

 justitia,

justitia, vita æterna, & Spiritus Sancti donatio per veram in Christum fidem videlicet ut impostèrum GRATOS nos Deo exhibeamus, non amplius vivamus secundum carnem, sed in novitate Spiritus. Gerhardus ergo ipse denuo cum Horneio, ceu Formulæ Concordiæ infestus, erit reijciendus. Scilicet, ut paucis dicam quod res est, etsi Evangelium (quod promissionem formaliter esse, novimus) præceptive non exigat opera, tamen sub pacto Evangelico illis qui crediderunt jam Evangelio, lex hoc gratitudinis debitum imponit, ut *serviant Deo in sanctitate & justitia cunctos dies vitæ* Lucæ 1, 75. Evangelium quoque ipsum cupit fide applicari, sed quæ non sit mortua, sed fructus bonorum operum ferat. Evangelium requirit fidem, minimùm tanquam instrumentum applicativum sui. Fides exigit opera, certe tanquam fructus suos, & tanquam conditionem subjecti justificati & salvandi. Quomodo ergo Evangelium non requireret certo quodam modo opera? Offendit forte D. Calovium, quod D. Horneius termino *conditionis* utitur, & sub pacto Evangelico opera à credentibus tanquam *puram conditionem*, non tanquam causam requiri asserit. Si hoc male habet Calovium, Reijciat etiam suum in cathedra Scholasticâ antecessorem D. Balthasarem Meisnerum, qui Anthropologias Sacræ Decade III, Disp. IIX, Num. XVI, ad verba 1 Joh. IV, 12, *Si diligamus alii alios, Deus in nobis habitat*, respondet, *doceri ibi quales sint justificati. CONDITIO personæ* inquit, *non CAUSA justitiæ innuitur.* Et rursus Disput. eadem Num. XX. ad locum Rom. X, 10. *Salus tribuitur* confessioni, *tanquam CONDITIONI SINE QUA NON.*

Parentis verba quæ Calovius post Horneiana citat, si, ut ille putat, *eodem collimant* quo Horneij verba, eadem opera jã à me sunt defensa. Imò in Epit. Theol. Moralis à Calovio hic citatâ, *conditionem* in Pacto Evangelico à parte nostra requisitam, fidem dicit esse, & quod sit *credendũ in Christum Servatorem mundi.*

Quod

Quod vix Socinianus, nedũ orthodoxus improbare ausit. Placet hunc discursũ concludere verbis è Disputatione, de Pacto Dei cum toto humano genere, in protoplastis ante lapsum inito, Lipsiæ sub præsidio D. Johannis Hülsemanni, Respondente M. Sebastiano Gœbelio Dresdensi Anno 1659. Mense Julio habita, Th. xxx, depromptis. *Nimirum cum toto humano genere, post lapsum Deus aliud iniit Pactum, idque vere Evangelicum, quo ex mera gratiâ promisit homines convertere si malitiosè non restiterint, verbum Dei auditum vel lectum, quantum in ipsis situm, meditati fuerint: Credentes in Messiam & vera fide ejus meritum sibi applicantes, justificare, hoc est, à peccatis absolvere & justos habere: sanctificationem indies continuare si in fide & precibus & studio bonorum operum perstiterint, sibique à peccatis contra conscientiam caverint: Lapsos in peccata mortalia denuo in gratiam recipere, si pœnitentiam egerint, & tandem eos glorificare, & vita æternùm beata donare, si usque ad finem vitæ perseveraverint, h. e. in fide viva, quæ sine pietatis ac bonorum operum studio & exercitio non est, ex hac vita discesserint. Quæ promissiones & gratuitæ sunt & conditionatæ. Vel ut B. Himmelius in Syntagmate Disputatione de Evangelio eas appellat, Ordinatæ. Gratuito enim non conditionatum, sed meritorium opponitur. Quale quid* conditiones *istæ non important, nec caussam, sed ordinem saltem, & CONDITIONEM illius, qui beneficiis istis gratuitis potitur, exponunt.*

ARTICVLVS VII. IIX. ET XXIIX.

AVGVSTANÆ CONFESSIONIS DE ECCLESIA,

PVNCTVM I.

P*Rofitemur & docemus*, Ecclesiam veram principaliter esse societatem fidei & Spiritus S. in cordibus. Quæ tamen habet cæteras notas, ut agnosci possit, videlicet puram Evangelii Doctrinam, & administrationem Sacramento- Aug. Conf. art 7. p. 11. ejusd. Apol art eodem p. 143. 144. 145. 148. artic. Smalcald. part. 3. art. 12. pag. 335. Teut. 561. seq. 149.

 rum,

rum, consentaneam Evangelio Christi. Quare Ecclesia proprie est columna veritatis, retinetque purum Evangelium, &, ut Paulus inquit, fundamentum, hoc est, veram Christi cognitionem & fidem. *Cumque Adversarii, Pontificii & Calviniani, fundamentum istud evertant, apparet, eos, qua tales*, veram Ecclesiam non esse, *nec pro veris Ecclesiæ membris esse habendos.*

Rejicimus eos, qui docent: Ad Ecclesiam Christianam, pertinere non tantum Lutheranos & Græcos, sed Pontificios etiam & Calvinianos; idque pro dogmate Ecclesiæ vero esse habendum, in quo Græci, Lutherani, Pontificii, ac Calviniani consentiant: Si autem una pars eorum seorsim aliquid doceat, id si non falsum planè, saltem de errore admodum suspectum esse.

Ita docet D. Georgius Calixtus in der Verantwortung auff Churfürstl. Durchl. zu Sachsen Schreiben/num. 23. statim ab initio: Helmæstadi quidem aliquando talem instituimus discursum, quem vero typo divulgatum esse non memini: Christianos hodie divisos esse in quatuor magnas partes, quarum una est, Ecclesia Græca, sub servitute Turcica, longe lateque per orientem dispersa: Pontificia, Lutherana, & Calviniana. Harum omnium consensus validam veritatis præsumtionem gignit: Econtra magna novitatis præsumtio est, quoties pars una seorsim à reliquis quicquam profitetur. Exempli gratiâ: Omnes quatuor probant ac profitentur Symbolum Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense. Possumus igitur & debemus confidenter, & citra metum erroris, hæc ipsa Symbola suscipere. Græci autem seorsim docent: Spiritum sanctum procedere à solo Patre, non à Filio: Pontificii seorsim & soli profitentur, Primatum & infallibilitatem Papæ, communionem Eucharistiæ sub una, missam solitariam absque communicantibus, Purgatorium, aliaque similia: Calvinistæ stant soli in negatione præsentiæ, veræque comestionis & bibitionis corporis & sanguinis Christi in S. Cœnâ: Quidam Lutheranorum stant soli, & deseruntur ab omnibus partibus, quin & à parte suorummet fratrum, in fide & doctrina de Vbiquitate Humanæ naturæ Christi. In quocunque dogmate igitur pars una stat sola, & ex adverso cæterarum trium partium, hoc si non plane falsum, ad minimum de novitate & errore suspectum est, zu Helmstedt/ scribit, ist wol folgender

discurs

discurs gefallen / weis mich aber nicht zu entsinnen / daß derselbe durch den Truck divulgiret sey: Es ist heutiges Tages die Christenheit getheilet in vier grosse Theile oder Parteyen / als da ist die Griechische / welche sich durch Orient zwar unter harter Türckischer Dienstbarkeit / dannoch weit und breit erstrecket / die Papistische / die Lutherische und die Calvinische. Wann man nun beobachtet / worinnen sie alle übereinkommen / ist solches ein starck anzeig der Warheit: Dagegen ist eine starcke anzeige einer Neuerung / wann ein Theil etwas absonderlich hat / damit die andere alle nicht einig. Zum Exempel / alle vier Partheyen nehmen an und bekennen sich zu dem Symbolo Apostolico, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi: Ergo soll und kan man auch hierzu getrost und ohne Gefahr eines Irrthums sich bekennen. Die Griechen aber lehren absonderlich / daß der heilige Geist von dem Vater allein / und nicht von dem Sohne außgehe: Die Papisten haben absonderlich und für sich allein des Pabsts primat und infallibilität / den Gebrauch der einerley Gestalt / die Messe ohne Communicanten / das Fegefeur / und anders deßgleichen: Die Calvinisten stehen absonderlich und allein / in deme sie läugnen / daß im heiligen Abendmahl der wahre Leib und das wahre Blut des HErren Christi gegenwertig sey / und warhafftig gegessen und getruncken werde: Etzliche Lutheraner stehen gleichfals allein / und werden von allen andern / auch theils jhren eigenen Religions Verwandten gelassen / in dem sie eine Ubiquität der Menschheit Christi glauben und lehren. Worinnen nun eine Partey alleine stehet / und hat die übrige drey zuwieder / dasselbe ist zum wenigsten / wo nicht gantz falsch / dennoch wegen Neuerung und Irrthum sehr verdächtig. Vide etiam Desiderium & studium Concordiæ Calixt. Et Respons. contra Mog. thes. 28. conferatur & Latermanni Præfatio. Exercit. de Prædestinat. ut & Apostolische Vermahnung / lit. D. 3. & G. 2.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI I.

NEque in Augustanâ Confessione, neque in ejusdem Apol. neque in Articulis Smalcaldicis, in margine citatis, reperitur hic factæ *Professionis* & propositæ *Doctrinæ* conclusio, sed auctori suo meritò redduntur hæ verba; *Cumque Adversarij Pontificii & Calviniani fundamentum istud evertant.* In Apolo-

pologia tamen ad Art. VII de Ecclesia Paragr. *Quanquam igitur* &c. sic habetur: *Dicimus extare hanc Ecclesiam, videlicet verè credentes & justos sparsos per totum orbem. Et addimus notas puram doctrinam Evangelii & Sacramenta. Et hæc Ecclesia propriè est columna veritatis. Retinet enim purum Evangelium, & ut Paulus inquit, fundamentum, hoc est, veram Christi cognitionem & fidem, etsi sunt in his etiam multi imbecilles, qui supra fundamentum ædificant stipulas perituras, hoc est, quasdam inutiles opiniones, quæ tamen quia non evertunt fundamentum, tum condonantur illis, tum etiam emendantur. Ac SS. Patrum scripta testantur, quod interdum stipulas etiam ædificaverint supra fundamentum, sed quæ non everterunt fidem eorum. Verùm pleraque istorum quæ adversarii nostri defendunt, fidem evertunt; ut, quod damnant articulum de remissione peccatorum, in quo dicimus fide accipi remissionem peccatorum. Manifestus item & pernitiosus error est, quod docent adversarii, mereri homines remissionem peccatorum, dilectione erga Deum, ante gratiam. Nam hoc quoque est tollere fundamentum, hoc est, Christum. Item, quid opus erit fide, si sacramenta ex opere operato, sine bono motu utentis, justificant?*

Deinde sublestâ quoque fide citat Calovius hæc quæ sequuntur: *Apparet EOS qua tales veram Ecclesiam non esse, nec pro veris Ecclesiæ membris esse habendos.* Hæc videlicet è Parte III Articulorum Scmalcald. Articulo XII in margine notato, citat. At verò ibi quoque ista verba, *qua tales*, item illa, *nec pro veris Ecclesiæ membris esse habendos* non leguntur. Nec *Calvinianorum* ibi ulla fit mentio. Imo non de Pontificiis in universum, aut de totâ Ecclesia Pontificia ibi loquitur Lutherus, sed de *Episcopis* Pontificiis tantùm. Patet hoc, & colligere D. Calovius debuisset, ex præcedentis Articuli decimi initio, quod ita se habet; *si Episcopi suo officio rectè fungerentur* &c. Idem subjectum (*Episcopi* videlicet *Pontificii*) subintelligitur initio proximè sequentis Articuli XI, & hujus nostri XII, Ac

XII, Ac revera in hoc duodecimo Articulo de *Episcopis Pontificiis* loqui Lutherum, quando ait, *nequaquam concedimus illis quod sint Ecclesia,* patet ex ex disertissimâ allegatione Formulæ Concordiæ Articulo x de ceremoniis, ubi sub inscriptione, *Testimonia è Smalcaldicis Articulis*, exordium cernitur hujusmodi: *Articuli Smalcaldici de hoc negotio sic loquuntur. Nequaquam hoc EPISCOPIS (Pontificiis) concedimus, quod ipsi sint Ecclesia (quia non sunt Ecclesia) Neque ea audiemus quæ illi nobis sub Ecclesiæ nomine mandaverint vel prohibuerint.* Vnde iterum apparet, quâ sinceritate Calovius, libros Symbolicos contra Calixtum & Horneium citare consueverit.

Dicat tamen aliquis, Apologiam *Adversarios nostros* Pontificios, verbis quæ nos integra citaverimus accusare, quod *pleraque istorum quæ ipsi defendant*, fundamentum & *fidem evertant*. Sed Respondeo & admitto, illos Pontificios, qui vel olim negaverint, vel adhuc hodie negent & *damnent, quod fide* in Christum *accipiamus remissionem peccatorum*, Item; qui doceant, *quod homines mereantur remissionem peccatorum, dilectione erga Deum, ante* (primam) *gratiam*; quod *Sacramenta ex opere operato sine bono motis utentis justificent*; tollere fundamentum & fidem. Communiter autem Pontificios ita docere, nec dicit Apologia, & nondum video quomodo affirmari possit. Certè, quod primum horum attinet, Concilium Tridentinum Sessione VI de Iustificat. cap. VI, de modo præparationis ad Iustificat. disertè docet, oportere eos qui disponuntur ad Iustificationem inter cætera, *In spem erigi, FIDENTES Deum SIBI propter Christum propitium fore*. Quem in sensum plura ex Enchiridio Coloniensi, *libro ab omnibus eruditis Theologis* Pontificiis *etiam per Italiam & Galliam summopere collaudato*, item è *libro Cæsareæ Majestatis Ratisbonensi*, & ipso quoque Eccio affert Georgius Cassander in Consultatione Art. IV. De secundo ita

quoque scribit Bellarminus, lib. v de gratiâ & Libero arbit. Cap. XIII, Col. 705. *Tertius error* (à Tilemanno Pontificiis tribuitur) Homo ex puris naturalibus potest diligere Deum super omnia; *At hoc scripserunt Scholastici quidam pauci, sed non debet Ecclesiæ Catholicæ tribui opinio paucorum, quam in eadem Ecclesia plures & graviores refellunt.* De Tertio, sic iterum idem Bellarminus libro secundo de Sacramentis in genere cap. 1, Colum. 123 in fine. *Tertium* (falsum, ut ille vocat, Chemnitij) *quod ait, neque olim Scholasticos, neque nunc Pontificios intelligere opus operatum, quemadmodum exponunt Gropperus & Alfonsus* (quorum expositionem Chemnitius non improbaverat) *nimirum ut non excludatur fides. Hoc autem esse mendacium, planum fiet ex refutatione argumentorum ejus;* videantur ibi reliqua. Et hæc ad verba Apologiæ quæ Calovius in rem suam vertere voluit, annotanda quasi in antecessum fuerunt. Quibus præmissis, porrò videndum an *Pontificii etiam & Calviniani pertineant ad Ecclesiam Christianam?* De Pontificiis ita Parens Appendice alterâ ad Ernestum Hassiæ Landgravium pag. 57. *Neque negamus Ecclesiam in quâ Romanus Pontifex sedet & dominatur, quæque ei subjicitur, & proinde communionis cum eo particeps est, hodie per Imperium Hispanicum Italicumque, & partes Galliæ, Germaniæ, Hungariæ & Poloniæ diffusa, partem esse veræ Ecclesiæ, in quâ tantum veritatis ad salutem necessariæ supersit, ut per hanc cognitam & creditam servari homines possint, modo integritas vitæ & innocentia morum non desit, quemadmodum superiore Appendice dictum fuit: dicimus autem tot & tantis infectam esse superstitionibus, & corruptelis & absurdis improbisque figmentis, certæ & veræ doctrinæ superadditis ad enormem quæstum, & ad adserendam Presbyteris super omnes mortales eminentiam, & vindicandum Pontifici universale quoddam orbis imperium comparatis, ut qui intelligat, si sibi conscientiam illæsam & gratiam Dei integram esse cupiat, probare & adstipulari nullo modo possit. Ignorantibus, eaque conditione natis & positis,*

sitis, ut ignorantiam excutere nequeant, ignoscet pater misericordiarum, propter unigenitum filium suum, Iesum Christum θεάνθρωπον, *in quem credere, & in cujus merito & morte spem & fiduciam, VT NVNC EQVIDEM SVPPONO, collocare non desinunt. Per quam solam fidem eos servari, & per meram ignorantiam, pro conditione hominum, locorum, temporum insuperabilem, exusari persuasus sum.* Certè Pontificios quamdiu *credunt in Iesum Christum* θεάνθρωπον, *& in ejus morte ac merito spem & fiduciam collocare non desinunt,* (quod illos etiamnum facere, vel ex Agendis Ecclesiasticis, hoc nostro seculo in Germaniâ, Moguntiæ, Coloniæ, Treviri, excusis, *supponit* Parens) *ipsum FVNDAMENTVM salutis retinere*, Hutterus in Locis, titulo de Ecclesiâ Lutheranâ pag. 530 lat. B. & pag. 531 lat. A agnoscit. Verba superius integre sunt adscripta. Qui autem *fundamentum salutis retinent* eos oportet adhuc *ad Ecclesiam Christianam pertinere.* Et si Pontificii ad eam non pertinerent, D. Henricus Hopffnerus Theologus Lipsiensis in fine Quæstionis, *Vbi Ecclesia Evangelica fuerit ante Lutherum?* Thesi XXXIII male uteretur his & similibus verbis semel iterumque repetitis, *Ecclesia Romana pro ut quodammodò Ecclesia mansit;* Item *quatenus Ecclesia est.* Quæ enim prorsus non amplius est Ecclesia de eâ sic non licebit loqui, *Nos eandem cum Ecclesia illa, quatenus Ecclesia est fidem tenere & asserere,* ut ille de Romana Th. IX disertè facit. De *Calvinianis* quos vocat Calovius, nota est sententia Formulæ Concordiæ. *Nequaquam* ait illa, *consilium atque institutum nostrum* *Præfat.* *est eos homines* (Calvinianorum parti addictos *qui* tunc in Galliâ *persequutionem patiebantur) qui ex quadam simplicitate errant, nec tamen blasphemi in veritatem doctrinæ cœlestis sunt, multo minus vero totas Ecclesias, quæ vel sub Romano imperio nationis Germanicæ, vel alibi sunt, damnare.* Huic accedant verba Apologiæ ejusdem Formulæ cap. XI pag. 289 lat. B. **Daß wir auch gantze Kirchen ohne Unterschied/ wie sie uns zumessen/ verdammen**

solten/ ist uns nicht in Sinn kommen/ dann wann wir das thetten/ so würffen wir zugleich die Schäfflein mit den Wölffen: und wie man bey den Deutschen zu sagen pflegt/ das Kind mit den Bat hinweg/ welches unser Meinung gantz und gar nicht gewesen/ auch noch nicht ist. Weßhalben solten wir auch ihre gantze Kirche verdammen/ dieweil wir/ Gott lob/ wol wissen/ daß ein grosser unterscheit unter den Schaffen und Wölffen ist/ welche der Heerde nicht schonen/ Actor. xx. Wie wir dann auch diß wissen/ daß viel tausend Schäfflein in ihren Kirchen sein/ welche diese hohe Streit und sachen nicht gnugsam verstehen/ auch nicht nach Nothturfft davon unterrichtet sind.

Warumb solten wir dann dieselbige Schäfflein so stracks hin/ und ohne Unterscheid verdammen? Freylich sind der eine grosse Anzahl in ihren Kirchen/ welche/ wann sie aus GOttes Wort gründlich solten unterrichtet werden/ alßbald umbkehren/ von den Wölffen sich absonderen und zu unser Kirchen sich begeben würden/ diese alle sündigen nicht aus Muhtwillen/ sondern aus Unwissenheit/ können demnach oder sollen temere nicht verdampt werden. Si verò *totæ Reformatorum Ecclesiæ non sunt damnandæ*, oportet illas adhuc ad Ecclesiam Christianam pertinere. Aut si eo non pertinent, omninò sunt damnandæ. Non enim habet in cœlo Deum Patrem, qui non habet in terris Ecclesiam matrem, uti veteres loqui consueverunt.

Tandem quod Calovius *reiicit eos, qui docent consensum Ecclesiæ Græcæ, Pontificiæ, Lutheranæ & Calvinianæ*, in aliquo dogmate, *validam veritatis* PRÆSUMPTIONEM *gignere: Econtrà, magnam novitatis præsumptionem esse, quoties pars una seorsim à reliquis quicquam*, (ex. gr. Pontificia infallibilitatem Papæ, Lutherana Ubiquitatem, &c.) *profitetur*; primò, dictatorem hunc in contradictionibus venditandis satis largum, sed in probandis oppido parcum, ostendere jubeo, quomodo hæc sententia cum verbis, quæ ipse ex Aug. Conf. Apol. & Ar-

& Articulis Smalcaldicis produxit, aperta fronte pugnent? Ostendat hoc Calovius si vir est, & artem ejus laudabimus. Deinde proferat ille exemplum dogmatis, in quo partes istæ omnes consentiunt, quod à Scripturæ normâ discedat. Ostendat quoque, exempla singularitatis harum partium quæ Parens speciminis loco adduxit, non rectè esse adducta, aut si cui horum ipse adstipuletur, è Scripturâ illud uti par est, probet. Horum quicquam si præstiterit Calovius, tum demum vanissimâ suâ cum accusatione revertatur & responsionem exspectet.

PVNCTVM II.

Profitemur & docemus, quod, sicut Catholicus olim habebatur, qui uni Ecclesiæ particulari, quæ in universo illo corpore erat, adhærebat, (quomodo Hieronymus & Augustinus Catholicum dicunt eum, qui cum Romana Ecclesia, tunc temporis pura, communicabat:) ita verè catholici *sint, & ad Ecclesiam catholicam pertineant,* qui de pura Evangelii doctrina consentiunt, & habent eundem Christum, eundem Spiritum sanctum, eadem Sacramenta, *quales absque dubio sunt, qui libris Symbolicis Ecclesiæ Lutheranæ adstipulantur; licet per universum terrarum orbem inveniantur dispersi.* Apologia Aug. Conf. art. 7. p. 146. Teut. f. 62.

Rejicimus eos, qui docent, Christianos Catholicos illos quam maximè esse appellandos, qui, ut ut in hac vel illa parte vivere cogantur, nulli tamen ita addicti sunt, ut alias penitus execrentur, & in sua parte omnia, minima, maxima, quâ opiniones, quâ ritus, approbent, sed quicquid in omnibus partibus (Lutherana, Pontificia & Reformata) rectum & antiquæ catholicæ fidei ac observationi consentaneum est, amplectuntur & venerantur: quæ verò his contraria & modum mediumque excedentia deprehenduntur, declinant, & quamquã ea mutare non possint, animi tamen sententiâ improbant.

Ita docet Iohannes Latermannus in Declaratione Apologeticâ, ut eam inscribit, ubi de Iohanne Gerhardo Vossio, homine, ex Latermanni opinione, Arminiano, pag. 105. ita scribit: *Cæterùm à me inter illos (Christianos Catholicos appellavero) recensetur; qui utut in hac vel illâ parte vivere cogantur, nulli tamen ita addi-*

cti sunt, ut alias penitus execrentur, & in suâ parte omnia, minima maxima, quà opiniones, quà ritus, approbent, sed quicquid in omnibus partibus (sermo est de Evangelicâ, Reformatâ & Pontificiâ) rectum, & Antiquæ Catholicæ fidei ac observationi consentaneum est, amplectuntur & venerantur: quæ verò his contraria, & modum mediumque excedentia deprehenduntur, declinant, &, quanquam ea mutare non possint, animi tamen sententiâ improbant. Et ibidem pag. 106. sequente: Omnino igitur uni ex Tribus istis partibus ex animo adhærendum, quæ videlicet unicuique secundum conscientiam præ cæteris ab erroribus & corruptelis maximè immunis videtur. Interim nemo, nisi Puritanus aliquis, aut ex veterum Catharorum numero negabit, quamlibet hodie particularem Ecclesiam suum habere fœnum, suas stipulas.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PVNCTI II.

QVæ puncto II proponuntur non Præceptores nostros, sed D. Latermannum feriunt: cujus defensionem quum non susceperim, tela in eum detorta excipere & repellere non tenerer. Interim in allegatione quam facit D. Calovius non possum quin annotem, pleraque verba eum ex suo ingenio, quod solenne ei est, depromere, & cum verbis Apologiæ, tanquam his auctoritate paria, commiscere. Ex omnibus enim quæ adscribit, tantùm pauca, nec ipsa quidem αὐτολεξεὶ, sed quo ad voces æquipollentes, in Apologia ad Art. VII, & sparsim habentur, hæc videlicet sequentia, *ad Ecclesiam Catholicam pertinent, qui de pura Evangelii doctrinâ consentiunt, & habent eundem Christum, eundem Spiritum Sanctum, eadem Sacramenta.* Quæ autem hæc præcedere, quæ item sequi fecit Calovius, illa planè ignorat Apologia. Neque negaverim ego, eos, *qui Libris Symbolicis Ecclesiæ Lutheranæ* (ut Calovius hic ex proprio loquitur) *adstipulantur, verè Catholicos esse, & ad Ecclesiam Catholicam pertinere.* Vtrum autem tales *qui* integris *illis libris Symbolicis Ecclesiæ Lutheranæ adstipulantur per universum terra-*

terrarum orbem inveniantur dispersi, noverit Calovius, nam mihi de eo non liquet. Vt nihil enim nunc dicam de amplissimo Hispaniarum Regno, nec usque ad utramque Indiam prospiciam, inter non adeò longè à nobis dissitos Gallos & Italos tales certè non inveni. Quum tamen *per universum terrarum orbem* sine dubio *dispersi* fuerint qui Ecclesiam Catholicam constituerent, antequam libri Ecclesiæ Lutheranæ Symbolici enascerentur, utique porrò poterunt adhuc esse catholici, qui libros illos non viderunt, non legerunt, nec per omnia, illis astipulantur. Catholicum est, quicquid semper, ubique, & ab omnibus creditum est. De reliquo non est ut pro Latermanno ego causam agam, nec Calov. monstravit, eum verbis Apolog. adductis contradixisse.

PVNCTVM III.

P*Rofitemur, & docemus, dogmata & Doctores in Augustanâ Confeßione, ejus Apologia & Smalcaldicis Articulis damnata & damnatos, hodieque esse damnanda & damnandos, fugienda & fugiendos, & quæ Majores nostri tunc temporis judicarunt, non toleranda esse, nec conciliari posse cum veritate, hodieque pro talibus judicanda, fugienda, & refutanda esse, propter perpetuum periculum infectionis, & perpetuam obligationem Doctorum, de qua in Præfatione Principum ad librum Concordiæ hæc sequentia extant:* Quin potius mens atque animus noster fuit, fanaticas opiniones, earumque pervicaces Doctores & blasphemos duntaxat (quos in Ditionibus, Ecclesiis & scholis nostris nequaquam tolerandos judicamus) palàm reprehendere & damnare, quod illi errores expresso Dei verbo repugnent, & quidem ita, ut cum eo conciliari nequeant. *Apprimè necessarium est, ut vera doctrina à falsa internoscatur & secernatur: pervicaces Doctores rejectarum & damnatarum opinionum in ditionibus Ecclesiis & scholis principum, qui subscripserunt, nequaquam tolerentur:* Et ut turbulentis contentiosisque hominibus, qui ad nullam formulam purioris doctrinæ adstringi se patiuntur, liberum non sit pro sua libidine controversias cum offendiculo conjunctas movere, & prodigiosas opiniones & proponere & propugnare. Ex his enim hoc tandem consequitur, ut purior doctrina obscuretur & amitta-

Præf. libri Conc. §. ad Condemn. Teut. Vorrede des Concordiē Buchs/§. Was denn die Condemnationes anlangt.

mittatur, ad posteritatem autem nihil, quàm opiniones & ἐποχαὶ Academicæ transmittantur.

Impios doctores, juxta IIX. Artic. Aug. Conf. & Apologiæ, esse deserendos, quia hi jam non funguntur persona Christi, sed sunt Anti-Christi, de quibus Christus ait: Cavete à Pseudoprophetis. Et Paulus: Si quis aliud Evangelium evangelizaverit, anathema sit. Articuli Smalcald. part. III. artic. XII. de Ecclesia ajunt. Nequaquam largimur ipsis (*Papistis*) quod sint Ecclesia, quia revera non sunt Ecclesia. Non audiemus etiam ea, quæ nomine Ecclesiæ vel mandant, vel vetant *Ibid. artic. 6.* Inprimis vero damnamus & execramur in nomine Domini omnes eos, qui non tantùm utramque speciem (in Sacramento altaris) omittunt, verùm etiam tyrannice eam prohibent &c. *Artic. XV. in conclusione*: Hi sunt Articuli, in quibus constantem Me esse oportet, & constans ero usque ad mortem meam, Deo dante. Et nec mutare, ac concedere quicquam in illis possum, Si quis alius voluerit aliquid concedere, faciat id periculo suæ conscientiæ. *Ibidem de potestate Papæ pag. 348.* Et planè notæ Antichristi competunt in regnum Papæ & sua membra &c. Hæc cum ita sint, cavere omnes Christiani debent, ne fiant participes impiæ doctrinæ, blasphemiarum & injustæ crudelitatis Papæ. Ideo Papam cum suis membris, tanquam regnum Antichristi, deserere & execrari debent, sicut Christus jussit: Cavete à Pseudoprophetis. Et Paulus jubet, impios Doctores vitandos & execrandos esse, tanquam anathemata. Et 2 Cor. VI. ait: Ne sitis consortes infidelium, quæ est enim societas lucis & tenebrarum? Dissidere à consensu tot gentium, & dici schismaticos, grave est: sed autoritas divina mandata omnibus, ne sint socii & propugnatores impietatis & injustæ sævitiæ, Ideo satis excusatæ sunt conscientiæ nostræ: sunt enim manifesti errores regni Papæ. Et Scriptura tota voce clamitat, errores illos esse doctrinam dæmoniorum & Antichristi. Manifesta est idololatria in prophanatione Missarum. Invocatio Sanctorum quam horrendam idololatriam peperit &c. Neque hi errores sunt existimandi leves; lædunt enim gloriam Christi, & afferunt perniciem animabus, NEC POSSUNT DISSIMULARI. *Et in fine §. penult. p. 351. itaque etiamsi Romanus*: Addunt majores nostri; Imo necesse est Papæ, tanquam Antichristo adversari. Errores Papæ manifesti sunt, & non leves,

leves. Et constat mandatum Dei esse, ut fugiamus idololatriam, impiam doctrinam &c. Ideo magnas, necessarias & manifestas causas habent omnes pii, ne obtemperent Papæ. Et hæ necessariæ causæ pios consolentur adversus omnia convicia, quæ de scandalo, de Schismate, de Discordia objici solent. Qui vero sentiunt cum Papa & defendunt ejus doctrinam & cultus, polluunt se IDOLOLATRIA, & blasphemis opinionibus, fiunt rei sanguinis piorum quos Papa persequitur: lædunt gloriam Dei, & impediunt salutem Ecclesiæ, quia confirmant errores ac flagitia ad omnem posteritatem.

Rejicimus, quod D. Georgius Calixtus singulos ferè Articulos, in quibus Decreta & Canones Concilii Tridentini repugnant libris hisce Symbolicis, in Pontificiis tolerari posse docet, emollit, excusat, & nonnullos torquet præter & contra sensum & publicam doctrinam Interpretum Concilii, & quotidianam praxin moderni Papatus, nullamque contradictionem censet esse lethiferam & saluti æternæ noxiam, nisi opponatur præcipuis art. in Symb. Apost. ita nudè positis, uti scribit in Epicrisi ad colloquium Thoruniense §. 20. Quo posito nulla doctrina Papistica, Augustanæ Confessioni contraria, erit lethalis. Quod omnino contendit Calixtus de Calviniana pariter & Papistica doctrina. Idem affirmat in Epicrisi ad colloq. Thorun. §. 3. seqq. Respons. ad Mogunt. thes. 28. seqq. Desiderio & studio Concordiæ, & alibi passim. Catalogum Dogmatum ex mente Augustanæ Confess. & Apologiæ minimè: ex mente autem Calixti omninò tolerandorum exhibuit Dn. D. Hulsemannus im Calixtinischen Gewissens Wurm/cap. XI. fol. 1432. seqq.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PVNCTI III.

MVlta hic è Præfatione Formulæ Concordiæ, Apologiâ A. C. & Articulis Smalcaldicis accumulat Calovius. Vt itaque appareat quo jure hanc verborum conflugem opponat Calixto, redigemus eam in certas & distinctas propositiones, & Responsionem statim adjiciemus.

Primò. Præfatio Formulæ Concordiæ *Fanaticas opiniones earumque pervicaces & blasphemos Doctores duntaxat, palam repre-*

reprehendit & damnat, quod illi errores expresso Dei verbo repugnent, & quidem ita, ut cum eo (Dei verbo) *conciliari nequeant.* Sed idem quoque facit D. Calixtus. Ubique docet errores Pontificiorum & Calvinianorum, adversari Verbo Dei nec posse cum illo conciliari. Et ni ita esset, ne errores quidem illi vocari possent. Hoc interim docet Calixtus, non omnem sententiam *verbo Dei repugnantem* fundamentum fidei evertere, & statim efficere, ut Ecclesia, in qua talis sententia docetur, desinat esse vera Ecclesia, etsi non sit accidentaliter pura Ecclesia. Ipse Hülsemannus Manuali in August. Confess. Disput. VI de Ecclesia Quæst. II Num. IIX agnoscit, *Catholicam Ecclesiam esse, ubi Verbum Dei prædicetur, & Sacramenta administrentur, puriorem ubi purius, impuriorem ubi impuriùs, id est cum falsa interpretatione prædicetur.* De pervicacibus autem Doctoribus, (quos tamen solus Deus, qui corda introspicit, novit) Præfat. in Tractatum de Communione sub utraque specie, pag. C. 3. ita scripsit Calixtus; *Indignum se reddit favore Numinis, qui quod falsum esse novit, suffragio & testimonio suo fulcit, quamvis de re agatur non maximi momenti & in quotidiano commercio posita. Quanto magis igitur excidet Divina gratia & damnationis reatum incurret, qui veritatem quam in sanctissimo religionis negotio perspectam habet, tenebris involvit ne appareat, aut sophismatibus opprimit, ne emergat?* Et in ipso illo Tractatu Th. ultimâ. *De iis qui quod verum est vident sed amplecti præfractè recusant, quin oppugnant & argutiis ac sophismatibus obtectum conspectui hominum, ut in errore eos confirment, subtrahunt, & in hanc rem ingenio abutuntur suo, quid dicemus? Utinam resipiscant, ne portio eorum sit cum omnibus, qui amant & committunt mendacium, in stagno ubi ardet ignis, & sulfur. Quod ab iis Deus, data meliore mente, & non magis partium quam veritatis studiosâ, clementer avertat.* Item Disp. II. de Transsubstant. Th. LXXII, ubi de adoratione Sacramenti Pontificia agit; *Qui verò inter eos rem quomodo se habeat* (quod nimi-

nimirum transsubstantiatio fundamento careat, & hinc corpus Christi extra usum non sit præsens cum pane) *intelligunt, quales nullos esse vix inducor ut credam, & proventibus & honoribus auctorati, contra quam intelligunt, alios ducunt & docent, certa damnationi se obnoxios reddunt.* Omnium autem clarissimè libro de Tolerantia Reformatorum Th. LXXIX sub finem: *Neque dubitari potest, quin, si sint, qui repugnante conscientia errorem doceant vel tueantur, illi sibi iram Dei & damnationem attrahant. Tales si qui sint, & nobis tales esse constet, poterimus de iis cum Luthero dicere,* **Es sol und kan niemand von den Christen für die Schwermer beten/ noch sich jhrer annehmen. Sie sind dahin gegeben/ und sündigen zum Tode.** *Sed nos quibus arcana cordium pervestigare & intueri datum non est, tantum crimen nemini temere impingere decet, præsertim quum inter illos olim fuerint & hodie sint viri nec mansuetudinis, nec virtutis nec eruditionis egeni.* Conf. mis. Tomo 8. Ien. p. 176.

Secundò dicit Præfatio, aut potius Præfatorum mentem declarans Calovius, *Pervicaces Doctores rejectarum & damnatarum opinionum, in ditionibus Ecclesiis & Scholis Principum qui subscripserunt, nequaquam tolerandos.* An tales Doctores, quicunq; tandem fuerint, *in ditionibus Principum* tolerari debeant, & jus civitatis illis concedi aut denegari fas sit, quum magis Politica quam Theologica sit quæstio, D. Calixtus de ea judicium sibi non sumpsit. In *Ecclesiis* autem & *Scholis* ut Doctores non esse tolerandos, neque ad docendi munus admittendos, nunquam dissimulavit. Tractatu modo citato de Tolerantia Reformatorum Thesi XXCIIX, *Nolo*, inquit, *inficias ire, donec perfectior consensus constituatur, ad ministerium Ecclesiasticum apud nos admitti non posse, qui in asserenda & defendenda sententia Zuvingliana perseveraverint.* Et parte I Responsi Moguntinis oppositi Th. LXXXVI, postquam exposuisset quo loco habendus sit ille, qui non quidem articulum quendam fidei diserte neget, ea tamen neget aut ponat è quibus per pro-

nam & certam consequentiam Articulus evertatur, statim se *lubentem fateri* addidit, *quamdiu tali errore laboret ad officium docendi in Ecclesia admitti non posse.* Atque Thesi sequente XXCIIX in eundem sensum ita scripsit: *Interim haud invitus largior, ejusmodi sive rudes & tardos* (ut terminum ὁμοούσιον & similes capere nequeant) *sive* adeo *scrupulosos homines* ut inculcatos admittere nolint: *ad docendum in Ecclesiâ nec idoneos esse nec admitti hodie posse, nec permitti debere, ut opinione sua divulgata vel defensa alios turbent; sive quæ bene constituta sint, & stabilita universæ Ecclesiæ tot seculorum unanimi consensu, —— in dubium vocent aut convellant.*

Tertiò dicit Præfatio, *Turbulentis contentiosisque hominibus, qui ad NULLAM formulam purioris doctrinæ adstringi se patiuntur, liberum non debere esse pro suâ libidine, controversias cum offendiculo conjunctas movere &c.* Sed quis magis ad *certam doctrinæ formulam*, ad prisca videlicet veteris Ecclesiæ Symbola Christianos adduxit quam Calixtus? à quibus ne latum quidem unguem recedi voluit. Quis magis disuasit multiplicationem quæstionum & controversiarum Calixto? *Servata simplicitate fundamentorum fidei, quæstiones superadditæ quantum fieri potest, declinentur*, ait ille Disput. de Hæresi Nestoriana Th. XXC ubi videantur etiam reliqua. Et rursus Thesi sequente XXCIV: *Quæstio*, inquit, *quæstionem parere solet, facilis sæpe difficilem, & difficilis plerumque difficiliorem. Quod si accedat ambitio, quæ nolit videri quidquam nescire, vel quid dicendum, quid sentiendum sit, aliunde quàm à suo arbitrio pendere, si exstimulent affectus, odium, livor, nec desit animo profundiùs infixa improbitas;* fertur equis auriga, *miscentur susq; deq; omnia, expediuntur anathematum fulmina*, Mutuaq; armati coëunt in prælia fratres. Nec ullibi improbavit quod quæstiones superiore seculo natæ, per certas formulas sint determinatæ, & à magistratibus tales formulas amplexis, ministri Ecclesiarum & Scholarum ad eas adstringantur, modo

non

non alij, qui mentis errore capti, talibus non per omnia, etiam in iis quæ fundamentum ipsum non concernunt, assentiuntur, Christianorum & fidelium numero excludantur & extra Ecclesiæ pomœria prorsus reijciantur, ut Calovio facere libido est. *Quomodo quem Deus salvum* adhuc *vult, nos damnemus? Quomodo fratrem non salutemus quem ipse agnoscit filium? Qui non diligit fratrem manet in morte*; Verba sunt Parentis Epicrisi ad Colloquium Thoruniense Th. VII, qui hanc rem pluribus prosequitur Epilogo Partis I Responsi Mogunt. oppositi.

Venio ad loca August. Confessionis & Apologiæ. Ex hac ad Artic. IIX, citat Calovius *impios Doctores esse deserendos*. Quis dubitet? & ubi hoc negavit Calixtus? Assensu mentis videlicet sunt deserendi, non statim caritate Christianâ, nisi fundamenta fidei pertinaciter evertant. *Si quis eo usque quæstionibus & contentionibus progressus fuerit, ut in Hæresin —— prolapsus fundamentum salutis in dubium vocet aut convellat, semel atq; iterum seriò admonendus est, veritate à qua deficit, & rationibus quibus illa nititur, inculcatis & periculo æternæ damnationis, in quam præceps cat, ob oculos posito. Quòd si quiescere omnino nolit, & contendere atque contentionibus suis fundamentales articulos oppugnare, & quantum in se fuerit, evertere pergat, vitandus est & consortium ejus fugiendum*. Ita de hæreticis sensit & scripsit, Expositione literali in Epistolæ ad Titum Capitis tertii versum 10, ubi de Doctoribus nondum quidem in hæresin prolapsis, frivolas tamen & inutiles quæstiones agitantibus, pronunciat, quod *etiamsi extremè mali non sint, & tolerari ALIQVATENVS possint, compescendi tamen & severe castigandi sint, ut curiosas atque occiosas istas quæstiones missas faciant.*

Producuntur porrò ex Apologiâ hæc quoque verba: *Si quis aliud Evangelium evangelizaverit anathema sit.* Nec hoc negat Calixtus; negasse eum, nunquam certe ostendet Calovius. Non

us. Non statim autem aliud Evangelium annunciant, qui erroribus aliquibus Evangelicæ doctrinæ adversis sunt impliciti, vel expositionem quandam Scripturæ, quæ nobis durior, incommoda atque veritati revelatæ minus congrua videatur, tradunt & amplectuntur.

Mox ex Articulorum Smalcaldicorum parte III, art. XII, non sine depravatione iterum depromit quæ ita habent: *Nequaquam largimur Ipsis,(Pontificiis*, hanc vocem ille parenthesi includit) *quod sint Ecclesia* &c. De hoc loco paulo ante actum, & ex ipsâ Formulæ Concordiæ allegatione ostensum est, intelligenda illa non de Papistis in communi, sed de *Episcopis* illorum, qui *nullum opus & officium Ecclesiæ præstant, sed eos qui vocati munus illud subeunt, persequuntur & condemnant.* Istis nempe verbis; *Nequaquam largimur ipsis* (Episcopis Pontificiis) *quod sint Ecclesia*, redarguit Lutherus errorem illum apud Pontificios receptum, quem proponit Marsilius Patavinus Defensore Pacis parte II, cap. II. *Ecclesiæ Romanæ urbis ministri & præsidentes sunt Papa Romanus & Cardinales ipsius, qui jam ex usu quodam obtinuerunt dici Ecclesia, & Ecclesiam aliquid egisse aut recepisse, quum iidem aliquid egerint vel receperint, vel taliter qualiter ordinaverint.* Contra hanc vanitatem ibi insurgit Lutherus.

Præterea citat quoque Calovius ex art. VII. ista; *Inprimis damnamus — eos qui non tantùm utramque speciem* (in Sacramento altaris) *omittunt, verùm etiam tyrannice prohibent.* Quasi verò non idem cum Luthero fécerit Calixtus ! Diserte ille Tractatu de Comun. sub utraque specie paragrapho penultimo; *Cum Apologiâ A.C. dicimus:* Nos quidem Ecclesiam excusamus quæ hanc injuriam pertulit, quum utraque pars ei contingere non posset, sed auctores, qui id defendunt rectè prohiberi usu integri sacramenti, quique nunc non solùm prohibent, sed etiam utentes integro sacramento excommunicant, & vi persequuntur non excusamus. Ipsi viderint quomodo

modo Deo rationem suorum consiliorum redditurí sint.

Neque etiam Calixtum lædunt conclusionis articuli xv. ista verba; *Hi sunt articuli in quibus constantem me esse oportet — & nec mutare nec CONCEDERE quicquam in iis possum &c.* Ostendat Calovius ubi de veritate illorum Articulorum quidpiam *concesserit* Calixtus, aut ista objectare desinat.

Tandem è tractatu de Potestate Papæ Articulis Smalcaldicis subjuncto, multa convasat.

(1.) *Notæ Anti christi competunt in regnum Papæ.* Vbi verò hoc negavit Calixtus? Ostendat id accusator, si vir est. Aliud interim est regnum Papæ cum suis membris; mit seinen Gliedern und Anhang (est in Germanico) h. e. curia Romana, aliud Ecclesia Papæ tyrannidi subdita, sub illius jugo gemens, de quâ distinctione videatur Apologia contra Buscherum parte II, statim sub initium. D. Hulsemannus quidem Disputatione de Symbolo Apostolico Lipsiæ anno 1653. Respondente M. Enoch Hanmanno habitâ, Cap. VII. Th. IIX. hanc D. Calixti distinctionem (Calixti *exceptionem* vocat ille) reprehendit ibi, & *nihil valere* dicit. Sed Hulsemanni in cathedrâ Theolog antecessor, & sicut eruditione ita & æquitate potior, Dn. D. Henricus Höpfnerus, Disputatione, *Vbi fuerit Ecclesiâ ante Lutherum* Th. XVII sub finem, aliter & cum Calixto plane statuit. Postquam enim dixisset, *distinctionem Protestantium in Comitiis Augustanis* hanc fuisse, *qua discriminaverint Ecclesiam Romanam à curia Romana*, statim addit, illam *distinctionem Lutherum* Tomo I. Ien. c. I. ad Galat. p. 327. *valde laudare, & dicere quod Principes Germaniæ in Comitiis, rectè, sanctè & Augustè ita distreverint.* Videatur ibi porrò ipse Höpfneru, Calixto hîc contra Hulsemannum ὁμόψηφος.

Hinc (2) frustra citat illa reliqua, *Papam cum suis membris tanquam regnum Anti christi nos deserere & exsecrari debere.* Item *Autoritatem Divinam mandare omnibus, ne sint socii & propugnatores impietatis & injustæ sævitiæ.* Nec

Nec (3) adversatur Calixto, quod *Scriptura errores* quosdam *Papæ clamat esse doctrinam dæmoniorum & Antichristi.* Tractatu enim de Conjugio Clericorum sub finem, pag. 615. editionis Helmst. de anno 1631. ita & ipse scribit: *Hodierni verò Romani quum quidvis potius quam conjugium sacro ordini indulgeant, & omnibus ætatibus ex quo lex cœlibatus obtinuit, universalem quandam cleri corruptionem, vagasque & horrendas libidines testantibus & detestantibus, ipsi nihilominus eos in sua Ecclesia suoque clero malint tolerare, quam conjugium admittere, leges etiam veteres quibus olim per remotionem extranearum mulierculárum vagis libidinibus obviam ibatur, prorsus exolescere passi sunt; quin exsaturandæ libidini sui cleri, in arce sanctitatis & religionis suæ prostibula & lupanaria foveant; nec à contumelia conjugii abstineant, verbi gratia, quum scribit Baronius,* conjugii turpitudine, rete diaboli tenebantur adstricti clerici conjugati: *quum inquam, hæc omnia ita sese habere superiora evincant, & rerum evidentia clamet, caussam dicere non possunt, per quos stat, quo minus illa aliter sese habeant, quin ab hac parte, DOCTRINAE DAEMONIORVM & hæreseos Nicolaitarum atque Gnosticorum postulari debeant.*

Neque (4) negavit Calixtus Idololatriam minimùm materialem occurrere in Missâ, adoratione videlicet ipsius hostiæ. Item, si Idololatriam placeat appellare. (Abgötterey in mißbrauch der Messe) daß die neben dem daß sie sonst nichts tügen/ zum schändligen genies und Crämerey mißbrauchet sein/ ut Germanicus verborum quæ Calovius citat textus habet (idololatriæ voce impropriè sic sumpta) si hoc inquam, placeat idololatriam vocare, id ab ejus doctrina minimè abierit. Ipse profectò exagitat lucrum ex missis captari solitum, Appendice Alterâ ad Ernestum Hass. Landgrav. p. 118, 119; ubi etiam citat verba Hugonis de S. Caro in Cap. XXII. Lucæ, jam tum de suâ ætate conquerentis; *Judas vendidit Christum adhuc mortalem triginta argenteis; multi sacerdotes vendunt eum jam immortalem pro uno denario.*

Neque

Neque (5) negavit Calixtus, *Invocationem sanctorum horrendam Idololatriam peperisse*. In Epitome enim, loco de bonis operibus jam olim scripsit, *Ab Idololatria Pontificii excusari non possunt qui Sanctos invocant, ab illisq; petunt & exspectant quæ dare solius est Dei*. Et consideratione Concilii Tridentini ad Sess. XXV. *A Sanctis tanquam auctoribus petere remissionem peccatorum, gratiam & vitam æternam, & ea quæ largiri solius Dei est, à crimine Idololatriæ non est immune. Tales autem preces, quæ aliter ut verba quidem jacent & sonant, accipi nequeunt, & olim* (inter Pontificios) *fuerunt, & adhuc hodie supersunt. Quas meritò non saltem contortè exponere, sed reiicere & penitus abolere Pontificios oportet, si à dirò illo crimine ejusque suspicione Ecclesiam suam liberari cupiant.*

Neque (6) unquam statuit Calixtus, quod Pontificis Romani *errores*, vel *sint leves*, vel, non *lædant gloriam Christi*, *nec adferant perniciem animabus*, præsertim si foveantur ab iis, qui illos animadvertunt & dijudicare possunt. Huic rei fidem faciunt quæ scripsit Digress. de Arte Novâ editionis Helmst. pag. 478 postquam Pontificia dogmata peculiari & bene longo catalogo enumerasset; *esse* eorum *multa absurda*, *& non modo pietati sed publicæ quoque tranquillitati --- adversa* &c. Et in Epit. part. 1 Loco de Ministerio Verbi pag. 255. *Quoniam hactenus caussas & principia nostræ salutis proposuimus & declaravimus, probavimusque, ob plenissimum meritum & perfectissimam satisfactionem Christi omnia nobis peccata remitti, & vitam donari, fidemque solam esse, per quam ista nobis applicentur, nunc enarremus tantum, quomodo cum hac doctrina pugnent Pontificii, merito Christi derogent, & aliis causis expiationem peccatorum adscribant.* Atque, ut hujus culpæ Pontificios convincat, subjungit & ordine recenset exempla, Satisfactionum, Purgatorii, Suffragiorum, Indulgentiarum, Sacrificii Missæ, Aquæ benedictæ, Agni Dei, &c. Sermonem autem istum concludit verbis, horri-

dam istam adversariorum doctrinam neque *emollientibus* neq; *excusantibus*, quando præter ea quæ recensuerat *forte plura esse* dicit, *quibus injuriam faciant illi homines Christo, & merito ejus & satisfactioni; quod enim hujus unius est, istis rebus ac ceremoniis à sese effictis impiè eos adscribere.*

Omnium verò (7) minimè adversatus fuit Calixtus assertioni illi, *quod necessum sit Papæ tanquam AntiChristo adversari.* In multorum manibus, Calovio minimùm non ignotum esse credo, de supremo Iudicio Tractatum, in quo Romanum Pontificem ipsissimum Anti-Christum esse luculenter adstruxit. Nec post illa mutavit sententiam, sed Responsione ad Actionem Tertiam P. Valeriani M. pag. 5. idem quod ante septendecim annos asseruerat, repetiit, atque perspicuo quodam argumento ibidem probavit. Neque ab initio aliter eum docuisse, loquuntur Orationes duæ, Pontificem Romanum Anti-Christum esse ostendentes, anno hujus seculi XVII in solenni panegyri habitæ, & post beatum viri obitum, ante octennium circiter per me publico donatæ. Scripsi autem tunc Præfatione ad Lectorem quæ ita habent: *Dignas*, Orationes istas, *quæ luci donentur ideò potissimum existimavi, quod eorum prodant malitiam, qui incredibili calumniandi prurigine adacti, istarum Auctorem, in pace nunc quiescentem, licet ab annis XL & diutius Pontificia dogmata impugnaverit, nihilominus tanquam Pontificiæ doctrinæ fautorem, non minus stolidè quam improbè & olim traduxerunt, & hodie traducunt, nec ipsi, quod Romam sedem Anti-Christi esse neget, impingere verentur.*

Schismatis quoque (8) & *discordiæ* excitatæ culpam, non in nobis sed in parte Pontificiâ hærere, Digressione de Arte Novâ pag. 425. edit. Helmstad. aperte professus est.

Idem (9) nunquam dubitavit, sed passim editis scriptis graviter monuit, *Eos qui sentiunt cum Papa* (quando rem rectius intelligere & possent & deberent) *& defendant ejus doctrinam & cul-*

& cultus, *polluere se idololatriâ & blasphemis opinionibus, fieri reos sanguinis piorum quos Papa persequitur, lædere gloriam Dei* &c. Nempe Digressionis de Arte Nova Edit. citatæ pag. 381 & 382 de Pontifice Romano ita scribit; *Qui successor Petri & vicarius lenis adeò, & mitis Domini* (Christi) *salutatur*

Sævior est tristi Busiride, sævior illo
Qui falsum lento torruit igne bovem.

Appendice ad Disp. de Auctor. S. Scripturæ & numero libr. Canonicorum, editionis anno cIↄ Iↄc LIV iteratæ quum de inquisitione Hispanicâ historiam texuisset, Th. XXVI ita scribit; *Et quis non merito exhorreat qui hunc modum procedendi, hominesque quamvis maximè errent, corrigendi, consideraverit? qui expenderit, quàm sit ab eo quem Christus adhibuit & Apostolis adhibendum injunxit, ipsique & omnes primæ Ecclesiæ architecti in rem contulerint, diversus, imò ei planè oppositus?*

Sequitur nunc Rejectio. Reijcit Calovius *quod D. Georgius Calixtus, singulos ferè Articulos, in quibus Decreta & Canones Concilii Tridentini repugnant libris hisce Symbolicis, in Pontificiis TOLERARI posse docet, emollit, excusat, & nonnullos torquet præter & contra sensum & publicam doctrinam Interpretum Concilii, & quotidianam praxin moderni Papatus, nullamque contradictionem censet esse letiferam, & æternæ saluti noxiam, nisi opponatur præcipuis articulis, in Symbolo Apostolico ita nudè positis, uti scribat in Epicrisi ad Colloq. Thorun. Num. XX. Quo posito, nulla doctrina Papistica August. Confess. contraria futura sit letalis. Quod omninò contendat Calixtus de Calviniana pariter & Papistica doctrina.* Respondeo primò, ludere Calovium ambiguitate vocis *Tolerari*. Nulla Decreta, nullos Canones Concilij Trident. libris nostris Symbolicis repugnantes *tolerat* Calixtus tanquam veros. Tolerat tamen aliquos, tanquam fundamentum salutis nondum evertentes. *Non enim statim desinere esse Ecclesiam, si vel maximè in quibusdam religionis capitibus non pure doceat*, rectè tradidit D.

Gerhardus Loco de Ecclesia cap. x, Th. cxxvi pag. 833. edit. Ienensis. Quinam autem sint Canones Trident. Concilij quos Calixtus *emolliat, excuset, & torqueat præter & contra sensum & publicam doctrinam Interpretum Concilii*, & quomodo torqueat, hoc prius Calovio particulatim est ostendendum. Nam ad confusam ejusmodi accusationem qualem ille hic instituit, quis respondere vel potest vel tenetur? Dico interim, sententias adversariorum *emollire* & *excusare*, tum licere, quando ipsi eas incipiunt *emollire*, & à falsitate ad veritatem propius accedere. Exempli loco adfero illud, quod Augustana Confessio Articulo xi docet, *in confessione* Sacerdoti facienda, *non esse necessariam omnium delictorum enumerationem*, addita hac ratione, quia *sit impossibilis juxta Psalmum, Delicta quis intelligit?* Hic Georgius Mylius in commentario ad hunc Articulum, Membro III affert exceptionem Pontificiorum, *non absolutam à se universalitatem peccatorum quæ sint enumeranda, intelligi, sed determinatam, nempe quorum diligenti habita inquisitione, confessuro constet notitia.* Et tum respondet, *admissa hac determinatione, variationis aliquid pati statum controversiæ*, atque agnoscit *exspirare hic argumentum impossibilitatis, alia tamen esse quæ hanc sententiam validissimè oppugnent.* Quod ultimum sane verum est. Mylio interim injuriam fecerit, qui ei vitio dare voluerit, quod sententiam quam ipsa August. Confessio adversariis pro eo tempore tribuebat, *emolliverit* & excusaverit.

Nec simpliciter & sine omni addito temperamento verum est quod scribit Calovius, Calixtum *nullam contradictionem censere letiferam, & saluti æternæ noxiam, nisi opponatur præcipuis articulis in Symbolo Apostolico ita nudè positis.* Nec eâ de re agit in Epicrisi Th. xx, ut Calovius allegat; sed Parte I Responsi contra Moguntinos de professo agit de erroribus fundamenta salutis evertentibus, ubi simul ostendit quid quantumque periculi hic vel ille afferat. Consuli hic possunt quæ leguntur à

tur à Thesi LXXIIX, usque ad Thesin XXCVI inclusive. Inprimis autem notari cupio, id quod aliàs, idem hic quoque accidere Calovio: nempê ut non potuerit ostendere contradictionem inter producta loca librorum Symbolic. & sententias ac doctrinam Calixti. Erit hoc ni fallor, Responsionem meam cū singulis à Calovio allatis falsis accusationibus conferenti, manifestum. Longe videlicet aliud est, (ut priora paucis repetere liceat) sententiam aliquam *cum veritate*, *cum Verbo Dei non conciliari*, & hoc nomine *tolerari* non posse; aliud, talem sententiam non posse tolerari, tanquam fundamentum fidei nondum evertentem, nec Christianorum censu, eum, qui istam ex ignorantiâ invincibili tenet, eijcientem. Aliud longè, non posse nos de *veritate* nostrarum doctrinarum quidpiam *concedere*; aliud, non posse dissentientes ceu Christianos habere & tolerare. Aliud, *Papam cum suis membris*, esse regnum Anti-Christi; aliud, ipsam totam Ecclesiam Pontificiam esse regnum Anti-Christi. Aliud doctrinam aliquam morum Romani Papæ ejusque Cleri, v. gr. prohibitionem conjugij esse doctrinam dæmoniorum; aliud, Ecclesiam Romanam probare doctrinam dæmoniorum. Aliud est *defendere & propugnare* doctrinam & cultus Papæ, ejusque crudelitatem approbare; aliud, ostendere corruptelas à Papa invectas fundamentum Christianismi & salutis nondum absorpsisse. Priora horum improbent libri Symbolici per me licet: posteriorum nihil quicquam illi adstruunt aut reijciunt.

D. Hülsemanni verminosum *Catalogum*, hic non attendimus. Ipse Calovius, quod adstruxit, probet.

Sed ab extremo placet nonnihil ad omnium primum retrogredi. Dicebat initio hujus Puncti D. Calovius, *Profiteri se & docere, dogmata & doctores in Augustana Confessione, ejus Apologia & Smalcaldicis Articulis damnata & damnatos, hoateque esse damnanda & damnandos.* Id verò ita faciendum, minime sane pro-

ne prohibuit Parens meus, modo *damnatio* à majoribus nostris facta, intelligatur uti par & æquum est, juxta exigentiam, ut sic dicam, & naturam dogmatum quæ sunt damnata. Ipsa scilicet erronea dogmata eorumque diversa conditio diligenter est introspicienda. Quæ ex his doctrinam aliquam fidei fundamentalem directè evertunt, illa *damnarunt* majores nostri, damnavit etiam Calixtus tanquam saluti internecina, Fautoresque eorum ab æternâ salute extorres fore, & hic & illi judicarunt. Quæ autem fundamentum salutis directè non evertunt, ea utique & majores nostri (quos rerum naturæ congruenter & sentire & loqui voluisse, consentaneum est) censendi sunt sensu à priori nonnihil diverso *damnasse*, hoc est, *rejecisse, improbasse* (sicut ipsa August. Confessio Articulo x de Cœnâ, de errore Zvvinglianorum loquitur) & fugienda existimasse, quod & cum veritate cœlesti non conciliari, & periculum animæ afferre possent, illis, quibus falsitas eorum haud difficulter intelligi & deprehendi posset. Et ita erronea ejusmodi dogmata *damnavit* etiam Calixtus. Certe quod vocula *damnandi*, in libris Symbolicis in falsa dogmata passim immissa, non ubique pari rigore sit capienda, patet luculenter ex admonitione Facultatis Theologicæ Rostochiensis, superiore seculo ad *Theologos Concordiæ Ecclesiarum nostrarum negotium gubernantes*, perscripta, quam nobis servavit volumen Epistolarum Chytræi edit. Hanov. pag. 182 *Cum tantopere quidam urgeant, ut in antithesibus pro* DAMNAMVS *æquivalens verbum* REIICIMVS vel IMPROBAMVS, *substituatur, existimamus sine veritatis damno ipsis morem geri posse.* Et, quod poterit esse portenti loco, ipse D. Calovius mitius hîc & rectius aliquando sensit. Procemio nimirum in A. C. pag. 44 ita scribit: *Dum verò in A. C. condemnantur hæretici non Rhadamantea fertur in eos sententia, quâ ad orcum relegentur omni spe salutis præcisâ, vel Magistra-*

tui tradantur tractandi, trucidandi, excarnificandi, ut Sturmius in Anti Pap. nec aquâ & igni ipsis interdicitur, ut Hospin. in Conc. Disc. calumniantur; Sed nec atro notantur calculo integræ Ecclesiæ adeoque & qui vel per simplicitatem vel per ignorantiam seducti sunt, & innocentes vocantur Rom. 16, 18. Sed condemnatio concernit hæresium authores, doctores, propagatores; qui διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας ἐξαπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων, ut describuntur ab Apostol. cap. 1. Et nihil aliud est quàm censura quædam Ecclesiastica doctrinæ impiæ & adsertorum ejusdem quâ ex Scriptura convicti, quod Ecclesiam DEI turbent, & alios seducant, indigni judicantur, qui audiantur amplius ejusque pœnæ rei, quam DEUS malitiosis verbi depravatoribus minatur, quæ etiam nunquam eos deserit nisi emendentur, & hæc omnia eum in finem fiunt, ut seductores corrigantur, & qui seduci possunt cautiores fiant, describente Dn. D. Bald. disp. de Anathemat. th. 21. Vel est legis divinæ tonitru, quo ad pœnitentiam; & agnitionem erroris hæretici incitentur, pii verò & orthodoxi ab ejusmodi erroribus absterreantur, juxtà Dn. D. Hutter. in expl. F. C. prol. p. 29. Exemplum habemus Christi, qui Pharisæos & scribas filios gehennæ vocat & super eos Væ, Væ aliquoties ingeminat Matth. 23. 13. seqq. Apostoli, qui Hymenæum & Philetum damnat 1. Tim. 1, 20. & magna severitate in turbatores Eccl. Galat. fulminat, iisque judicium & condemnationem interminat Gal. 5, 10. & 12. & vel Angelum, ac seipsum anathemate percutit, si aliud Evangelium annunciaverit Gal. 1. 9. quod hæreticos facere constat è 1. Tim. 6. 3. Ecclesiæ denique veteris &c. —— I a Conf. Aug. errores eorumque autores & propugnatores damnat, minimè autem totas Ecclesias, quum haud rarò puriores sint auditorum aures, quàm labia docentium Vid. præfat. in Form. Concord. Cæterum pernecessaria erat ista condemnatio hæresium & hæreticorum in Apologia Protestant: ut publicitus testarentur, se toto pectore execrari & & cond mnare tùm veterum h reses, quarum infamiâ notati erant à calumniatoribus Papalibus, tùm recentiorum sectariorum furores & errores, quos ipsis imputabat rumor publicus; tum denique Pontificias ἑτεροδοξίας, à quibus jam ante divortium fecerant, ceu diversis à Christi doctrinâ 1. Tim. 6. 3. Ideoque jam olim ab ipso Apostolo anathematis fulmine percussis & condemnatis, Gal. 1, 8.

ARTI-

ARTICVLVS IX. ET XIII. AVGVSTANÆ CONFESSIONIS DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET SPECIATIM DE BAPTISMO.

PVNCTVM I.

Apologia Aug. Conf. art. 13. pag. 200. & se Teut. f. 88.

PRofitemur, & docemus, ex locis utriusque Testamenti classicis in quibus ex professo de Sacramentis agitur, non obscurè posse colligi, quid propriè Sacramentum constituat, & quod ritus visibiles, à Deo mandati, cum addita promissione gratiæ, *& quotnam ritus visibiles eo nomine propriè sint nuncupandi? Duo nempe Veteris Testamenti fuerunt Sacramenta proprie sic dicta, Circumcisio & Agnus Paschalis. Quemadmodum & totidem N. T. Sacramenta, divinitus sunt instituta, secundum Catechismum Ecclesiarum nostrarum, Baptismus videlicet, qui Circumcisioni & Cœna Dominica, quæ in locum Agni Paschalis successit, Genes.* XVII, *10. & seqq. Exod.* XII, *1. & seqq. Matth.* XXIIX, *19. Marc.* XVII, *15. 16. Matth.* XXVI, *26. 27. 28. Marci* XIV, *22. 23. 24. Luc.* XXII, *19. 20. 1. Cor.* XI, *23. & seqq.*

Rejicimus eos, qui docent, quid Sacramentum sit, vel quid propriè Sacramentum constituat, & proinde, quot verè & propriè Sacramenta sint, ex Scripturâ non posse colligi.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Responso maledicis Theologorum Moguntinorum Vindiciis opposito, §. 103. hisce verbis: Certum est, quid Sacramentum sit, vel quid propriè Sacramentum constituat, & proinde quot vere & propriè Sacramenta sint, ex Scriptura non posse colligi. Iterum in Consideratione doctrinæ Pontif. juxta Concil. Tridentin. Ad. sess. VII. §. 1. Definitus Sacramentorum numerus nec scriptura probari potest, nec consensu Veterum.

EXAMEN ET DISCVSSIO PVNCTI I.

CItatur hic quidem Apologia ad Articulum XIII August. Conf. sed vix tria quatuorve verba ibi expressa invenio.

Quod

Quod tolerabile tamen esset, dummodo ipsa illa quantumvis pauca, ad Calovii institutum promovendum non detorta, sed in eo relicta essent sensu, in quo primitius ab auctore suo fuere collocata. Quotquot certe citatum Apologiæ locum à capite ad calcem evolvere non gravabuntur, non poterunt non mecum fateri, nequaquam ibi doceri, *ex locis utriusque Testamenti claßicis posse colligi quid proprie Sacramenta constituat, & QUOTNAM* (numero scilicet) *ritus visibiles eo nomine propriè sint nuncupandi.* Nam utriusque Testamenti locorum classicorum nullum vel uno apice quidem ibi fit indicium, nulla mentio, nihil ex illis deducitur, nihil probatur. Sed procedit hic potius Apologiæ Auctor, vel ex concessis & utriusque partis consensu, vel supponit minimùm certas quasdam esse proprietates sacramentales sive notas de quibus si utrinque conveniat, tunc demum censet *facile esse, judicare quæ sint propriè Sacramenta.* Utitur igitur hic conditionatâ oratione, qualis si *locis utriusque Testamenti claßicis* niteretur, locum vix habitura esset. *SI*, inquit, *Sacramenta vocemus ritus*, quasi diceret, si supponamus Sacramenta propriè dicta, esse ritus *qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promißio gratiæ, facile est judicare; quæ sint propriè Sacramenta.* Hic *Locorum Utriusque Testamenti claßicorum in quibus* vel *ex professo de Sacramentis agatur*, vel è quibus Philippus, *quæ sint propriè Sacramenta colligat*, indicium à Calovio fieri magnopere desidero. Hactenus enim persuasus fui, etiamsi res ipse quæ Sacramenta audiunt, & à viris Ecclesiasticis ita appellantur, in Scripturâ sint fundatæ, vocem tamen ipsam ἄγραφον esse, tam Novi quam Veteris Testamenti scriptoribus θεοπνεύστοις ignotam. Et, quod familiam ducit, de Sacramentorum numero certi quid constituisse Apologiam tantum abest, ut non tantùm duo illa quæ *secundum Catechismum Ecclesiarum nostrarum* Sacramenta sunt, pro verè talibus habuerit, sed plura quoque alia in eorum consor-

tium admiserit. Etenim initio statim, ubi quæ *verè Sacramenta* sint, recenset, Baptismo & Eucharistiæ *Absolutionem* quoque addit. Imò de Pœnitentiâ § *Porro potestas* &c. Absolutionem PROPRIE *dici posse Sacramentum pœnitentiæ* admittit. *Ordinem* pariter *non gravatim sacramentum vocat.* Adde quod non repugnet, *Si quis Matrimonium* etiam *volet Sacramentum vocare*; & quod paulo post *addat, Orationem verissimè posse dici Sacramentum*, nempe si firmo stent talo, quas initio supposuerat proprietates. Quin imò *collocatam* Orationem *inter sacramenta, quasi illustriore loco ad orandum invitare* ibidem affirmat. Taceo *Elemosynis* quoque & *Afflictionibus* locum inter sacramenta dari *posse*, concedi. Et quis demum, de Sacramentorum numero eum certi quid determinasse crediderit, qui *putavit non multum referre, etiamsi docendi caussa alii numerent aliter*? Quomodo ille Sacramenta ad binarium numerum reduxisse censeri poterit, qui *neminem virum prudentem de numero aut vocabulo* (sacramenti) *magnopere rixaturum* existimat? Ita vero Philippus in Apologia tum sub Loci de numero & usu Sacramentorum ad Art. XIII A. C. initium, tùm non adeò procul ab ejusdem fine loquitur, & nihilo tamen minus Calixtus tanquam à receptâ Apologiâ ejusque Auctore dissentiens *reiicitur*, quod *è Scriptura, quid Sacramentum sit, vel quid propriè Sacramentum constituat & proinde quot vere & propriè Sacramenta sint, non posse colligi*, docuit. Ne tamen aliquis hac Calixti assertione statui existimet, quod res ipsæ in Scripturâ traditæ, quæ Sacramenti nomine apud nos vel alios veniunt, è Scripturâ deduci aut probari nec possint nec debeant, hanc D. Calixti mentem esse monemus; *à priori*, ut loquuntur, è S. Scriptura quid Sacramentum propriè sit, & quot numero vera & propriè dicta Sacramenta sint, colligi non posse. Verba ejus in Epitome, rei summam dextrè proponentia, loco de Sacramentis in Genere pag. 208. hæc sunt. *Tota hac doctrina*

doctrina de Sacramentis in genere à posteriore est, ita ut considerantes, quid huic aut illi rei, quas Sacramenta appellamus conveniat, doctrinam de Sacramentis in genere exstruamus. Ad eundem autem modum docuerunt & scripserunt Dd. Gerhardus & Meisnerus. Ille, Loci de Sacramentis Capit. III, Sectionem I Numerum XI, his incipit verbis: *Cæterùm cum generalis doctrina de Sacramentis ex iis, quæ in specie de singulis in Scriptura habentur deducenda sit, ideò primo omnium de requisitis verè & proprie sic dictorum Sacramentorum tractandum &c.* Meisnerus Collegio de Sacramentis Disput. I. Th. XII. *Naturam & proprietatem Sacramentorum, in genere, investigandam* esse ait *ex iis Sacramentis, quæ omnium consensu Sacramenta sunt. In Scriptura enim de Sacramento in genere non instruimur EXPRESSE, sed de uniuscujusque natura in specie. Ex singulorum ergò Sacramentorum convenientiâ, natura Sacramenti haurienda est.*

PUNCTUM II.

P*Rofitemur, & docemus*, ita utendum esse sacramentis, ut fides accedat, quæ credat promissionibus, quæ per Sacramenta exhibentur & ostenduntur. Aug. Conf. art. 13 Apolog. artic. eod. & 7. & 12. pag. 165. art. Smalc. part. 3. art. 3. Teut. fol. 689. b. 75. 343. fol. 642. 721.

Damnamus igitur eos, qui docent, quod Sacramenta ex opere operato justificent, nec docent requiri fidem in usu Sacramentorum, quæ credat remitti peccata. Apologia Augustanæ Confessionis artic. IIX. doctrinam hanc: Quod Sacramenta ex opere operato, sine bono motu utentis justificent, ponit inter illa Papistarum dogmata, quæ fundamentum fidei evertunt. Item artic. 12. de pœnit. n. 9. collocat hoc dogma inter doctrinas Dæmoniorum, apertè falsas, & quas reprehendi necesse sit. Articuli Smalcaldici part. 3 art. 1. de peccato hoc dogma ponunt inter portenta verè & mere Ethnica, quæ tolerare non possumus. Si enim ista approbantur, Christus frustra mortuus est.

Contra docet Georgius Calixtus, dum non modò dogma Papistarum de opere operato tolerari vult, sed id etiam ita incrustat, in consideratione doctrinæ Pontificiæ hodiernæ, sive Notis ad Concilii

cilii Tridentin. seß. 7. de Sacramentis ad can. 7. Ex opere operato si accipitur ita, ut sit idem, quod interventu & virtute operis juxta Christi institutionem peracti, tùm verum est, Sacramenta hoc modo habere quendam sibi proprium & immediatè unitum effectum, v. g. regenerationem infantum per Baptismum. Adulto tn., fide & pietate ac internis animi in Deum motibus destituto, VLTERIORA gratiæ dona non conferunt. Est quidem Phrasis, ex opere operato, valdè exosa, sed si exponatur, ut sit idem, quod ex vi operis, juxta Christi institutionem ac mandatum peracti, tolerari potest.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI II.

EX iis quæ ad Punctum 1. de Ecclesiâ dicta sunt liquet, *De opere operato doctrinam* quam Apologia A. C. *toti populo Scholasticorum* tribuit, non esse communem omnibus Pontificiis, sed hodie ab iis prorsus aliter proponi. Bellarminus enim Lib. II de Sacramentis in genere Cap. I ex professo contra Chemnitium disputat, suorum sententiam minimè esse, quod *non requirantur pœnitentia, fides & boni motus in usu sacramentorum*; imò expresè asserit se non *excludere simpliciter fidem & motum internum, ita ut Sacramenta conferant gratiam accipientibus ea sine fide, & sine interna conversione cordis.* Quicquid autem de eo sit, Parens præterea ostendit quomodo dici & intelligi possit Sacramenta effectum aliquem producere ex opere operato, ita quidem ut id non juvet exosum illud dogma Pontificiorum, &, si illi expositionem suam admittant, nec Protestantes caussam habituri sint eam repudiandi. Supposuit scilicet geminum esse Sacramentorum effectum: quorum unum *internum* dicere liceat, *externum* alterum. *Internus*, qui semper iis est conjunctus, nec pendet à dignitate vel indignitate personarum sive utentium, sive administrantium. Sic, Baptismus hunc habet effectum, ut omnes quotquot eo initiantur, Ecclesiæ visibili inserantur, atque visibilia ejus membra

evadant, sive sint verè credentes sive hypocritæ. Similiter, quibus Eucharistia dispensatur, verum corpus & sanguinem Christi accipiunt, quicquid sit de fide, præparatione, dignitate tàm accipientis quàm consecrantis & ministrantis. *Externus* idemque spiritualis effectus, non confertur per Sacramenta, nisi suscipientes, si adulti sint, ad gratiam tàm justificationis quàm sanctificationis sint dispositi, non requisitâ tamen dignitate vel indignitate ministerium externum præstantium. Minister enim quum det, non quod suum sed quod Dei est, ejus sive profanitas sive impietas, Sacramenti efficaciæ derogare nihil potest. Et hinc Augustana Confessio Art. IIX disertè affirmat, *licere uti Sacramentis quæ per malos administrantur*, siquidem sint *efficacia* (nempe in actu primo) *propter ordinationem & mandatum Christi.* Habebunt igitur per tales administrata sacramenta effectum spiritualem, quem *externum* diximus, *ex opere operato*, non quidem ex parte *suscipientis sive utentis*, sed ex parte *administrantis* & exhibentis. In illo enim requiruntur *boni motus, fides* scilicet *quæ credat sibi remitti peccata*, in hoc non item. Jam in tali demum quem modo diffusius exposuimus, nec ullo alio sensu *valde exosam phrasin* (ex opere operato) *tolerari posse* affirmavit Parens meus. Nempe ut Sacramenta effectum, *internum* quem vocavimus, *ex opere operato* i. e. ex vi operis juxta Christi institutionem & mandatum peracti, sibi semper & immediatè unitum habeant, citra ullum personarum intuitum; *Externum* verò & spiritualem effectum producant ex opere operato, non quidem ex parte utentis, sed administrantis. Atque hanc fuisse D. Calixti mentem docent exempla in citatis ad Concil. Trident. Notis expressa, & illustrationis ac declarationis ergo allata quidem, ast è medio contextu fide verè Calovianâ sublata, in eorum locum interim callide substitutis verbis, quæ ibi non habentur. Quare, ut hominis in allegando integritas è multis jam

jam documentis Tibi, Benevole Lector, satis perspecta, amplius detegatur, integrum paragraphum, sicut in sede suâ jacet, adscribo. *Ex opere operato, si accipiatur ita, ut sit idem quod interventu & virtute operis juxta Christi institutionem peracti, tum verum est, sacramenta hoc modo habere quendam sibi proprium & immediate unitum effectum supernaturalem v. g. Si infans juxta Christi institutionem baptizetur, regeneratur, in filium Dei adoptatur, & membrum fit Ecclesiæ Christi, etiamsi, qui baptizat, qui offerunt & adstant, improbi sint, & sine devotione & pietate. Pari ratione, si S. Eucharistiam improbus Presbyter administret, hypocrita accipiat, hic tamen corpus Domini manducat & sanguinem bibit. Hoc ipsum est quod dicitur in Augustanâ Confessione Art. IIX:* Sacramenta propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamsi per malos adhibeantur, *Nemini tamen adulto fide & pietate, & internis animi in Deum motibus destituto, ulteriora gratiæ dona conferunt. Est quidem phrasis*, ex opere operato, *valde exosa, sed si exponatur, ut sit idem, quod ex vi operis, juxta Christi institutionem & mandatum peracti, tolerari potest.* Ecce, amice Lector, integram orationē literis distinctioribus expressam! Exempla Parentis omnem ut vides scrupulum si loco suo relicta fuissent, exemptura, de industria suppressit Calovius, substitutis in eorum locum verbis oppido paucis, quæ neque sunt Calixti, neque animi ejus sensū sufficienter declarant, nempe istis *regenerationem infantum per baptismum.*

Viderit nunc Calovius quomodo apud honestos viros à crimine voluntariæ depravationis & vanissimæ accusationis, sese liberaturus sit. Pristinæ autem integritati restituta Parentis verba, præterquam quod apertum jam sit cum libris Symbolicis minimè pugnare, si tamen hoc asserere pergat Calovius, repugnabunt quoque iisdem libris quæ scripsit D. Johannes Gerhardus, & idem pariter *rejiciendus* erit quod Loco de Sacramentis Cap. IX Sect. III, Num. XXCVI p. 605, post-

quam

quam expositionem Bellarmini, quod, *Sacramentum conferre gratiam ex opere operato*, idem sit, ac, *conferre gratiam ex vi actionis Sacramentalis à Christo institutæ, non ex merito agentis vel suspicientis*, adduxisset, statim subjunxit; *Si per opus operatum tantummodò exclusum intelligeretur meritum agentis, vel suscipientis, quod scilicet Sacramentorum virtus & efficacia, non ex ministri operantis aut hominis suscipientis dignitate ac merito æstimanda sit, sed ex auctoris institutione, potentia & operatione in solidum dependeat, facile nos sibi haberet Bellarminus* ὁμοψήφους.

PUNCTUM III.

PRofitemur, *& docemus*, per Baptismum offerri & conferri Dei gratiam, seu, ut explicatius loquamur, Baptismum nihil esse aliud, quàm verbum Dei cum mersione in aquam, vel, non esse prorsus aquam simplicem, sed ejusmodi, quæ verbo & præcepto Dei comprehensa, & illi inclusa sit, & per hoc sanctificata, ita ut nihil aliud sit, quàm Dei, seu, divina aqua: non quod aqua hæc per sese quavis aliâ sit præstantior, sed quod ei verbum ac præceptum Dei accesserit, *adeoque ea cum verbo divino conjuncta verè regenerationem, sanctificationem, ac salutem in nobis hominibus efficiat, nec eam figuraliter tantum indicet, Marc. XVI. 16. Ioh. III, 5. Actor. XXII. 6. Ephes. V. 26. Tit. III. 5. 1. Pet. III. 21.* Aug. Conf. art. 9 p. 12. art. Smalc. part. 3. art. 5. p. 329. & Catechismus Lutheri Major. parte 4. quæ agit de Baptismo p. 537. Teut. fol. 5. b. 146. 217. 218.

Rejicimus Scotum & Minoritas, & qui cum illis docent: Baptismo ablui peccatum ex assistentia divinæ voluntatis, & hanc ablutionem fieri tantum per Dei voluntatem, *seu meram Dei institutionem ac ordinationem*, & minimè per verbum & aquam: *Nec Aquæ officium magis facere ad regenerationem, quam olim fecit serpens æneus per modum instrumenti moralis, ad sanationem corporalem. Qui baptismo tantum tribuunt confirmationem remissionis peccatorum seu ablutionis interioris.*

Ita docet D. Georgius Calixtus, in disputatione theologica de Baptismo, sive sacro Regenerationis ac Renovationis Lavacro, quam habuit, Respondente Brandano Dætrio Hamburgensi, Helmæstadi die 7. Id. Mart. CIƆ IƆ CXLIII. §. 185. Verba sunt hæc: Pulcro ea res typo ænei serpentis, à Mose erecti, explicari potest, quo

Chri-

Christus etiam usus est, cum de hoc ipso regenerationis medio cum Nicodemo sermocinaretur. Sicuti enim serpens conspectus medebatur, & sanabat quidem, sed non suâ ipsius naturâ, vi propriâ & sibi inhærente, verùm ex Dei institutione id manabat: Ita quoque baptismus, sive lavacrum aquæ, medetur animabus, hominesque salvat, minimè virtute propria, aut ex se, sed mera divina ordinatione. Quemadmodum serpente Deus utebatur, sic & baptismo utitur, nempe tanquam instrumento morali, non physico & naturali. Et tractat: de pactis §. CLIX. breviter omnem rem complectitur Lucas, quum dicit: Prædicavit baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Remissio peccatorum, & cum ea conjuncta hereditas æternæ salutis est supremus finis à parte hominis. Is obtinebatur fide in Christum, qui venisse prædicabatur & adesse monstrabatur: Fides a. sibi constare non poterat, nisi ageretur pœnitentia. Sic demum fiebat remissio peccatorum, sive mundatio & ablutio. Quod verò certa esset, & firma, confirmabatur baptismo, sive ABLVTIONE per aquam facta, hoc fine divinitus instituta. Hinc baptismus Iohannis erat è cœlo, Luc. XX, 4. Fuerunt quidem sub pacto antiquo diversæ ablutiones, sed non facientes nisi ad carnis puritatem, Ebr. IX, 10. 13. Sive, ut ad terrenos cætus, & congregationes abluti admitterentur, & immundi non haberentur; at baptismus Iohannis confirmabat (non conferebat) & OBSIGNABAT Remissionem peccatorum. Idem habendum esse de baptismo Christi, quod de baptismo Iohannis, è thes. seqq. CLX. liquet. Æquipollebat igitur alter baptismus alteri. De Circumcisione, in cuius locum successit baptismus similia habentur thes. LXIIX. quod scilicet non obtigerit per eam justitia, sed tantum justitiæ obsignatio. Nam quod Abrahamo etiamnum præputiato imputata fides ad justitiam, inde deducit Apostolus, quod circumcisio non sit causa justitiæ, sive quod justitia non sit effectus circumcisionis, atque adeo non obtingat per circumcisionē, sed per fidem. Interim circumcisio divino mandato addita, fuit sigillum justitiæ per fidem in præputio receptæ: quia enim ab ipso Deo addebatur, & peculiariter instituebatur, ideo non potuit non esse certum signum, & quasi sigillum, quod justitia ista, cui jungeretur, proba sit, & firma Deoque grata, & accepta.

EXA-

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI III.

TRia hic Reijciuntur, inter quæ eminet, quod Doctores Calixtus & Brandanus Dætrius, in hujus Disputatione Inaugurali typum ænei serpentis ad Baptismum applicantes, docuerint *Aquæ officium non magis facere ad regenerationem, quàm olim fecerit serpens æneus per modum instrumenti moralis, ad sanitatem corporalem.* Eo verò ipso adimere eos existimat accusator Baptismo efficientiam, qualis à Luthero in Catechismo Majore aquæ tribuatur; & sic uni ex libris Symbolicis contradicere. De hoc igitur accusationis capite ut primò loco agam, ad eos D. Calov. remitto, qui inter efficientiam Physicam & Moralem distinguere edocti, aquæ Baptismo hanc tribui illam adimi, facilè, si ipse nondum vidit, ostendere poterunt. Disputant scilicet Nostri quos ille vellicat loco citato contra Calvinum, Zvvinglium, Bezam, Petrum Martyrem & asseclas, qui *videbantur opinari*, quod *nos aquæ elemento, tantam efficaciam simpliciter acceptam feramus, & verborum recitationi, aliisque quæ adhibentur fortè ceremoniis, magicam quandam vim & occultam qualitatem inhærere sive inesse putemus.* Hoc igitur potissimùm ibi egerunt, ut eum quem diximus scrupulum eximerent, & suspicionem, quasi actioni baptismi physicam quandam efficientiam tribuamus, amolirentur. Reijci autem ea propter non poterunt magis, quam ipse noster Lutherus, qui in ipso illo D. Calixto objecto Articulo Smalcaldico contra *Thomam & monachos Prædicatores* negat, *Deum spiritualem quandam virtutem aquæ indidisse, quæ peccatum abluat.* Et in Catechismo Majore pag. 540. *Fidem aquæ adhærere* dicit, atque *credere, Baptismum esse in quo mera beatitudo & vita sit; NON AQUAE VIRTUTE (ut abunde dictum est) sed per hoc quod Baptismus Verbo & ordinatione Divina unitus & confirmatus est, ejusq;* Th. 184.

 nomine

nomine nobilitatus. Cum Divo Luthero igitur, negatâ Baptismi illâ efficientiâ Physica, aliquam moralem caussandi rationem ei assertum iverunt. Hanc vero Numero cxxcv, (quem intactis antecedentibus invidiosè Calovius adducit) adumbrare & ostendere conati sunt, ænei serpentis typo, qui *conspectus sanaverit quidem, sed non suâ ipsius naturâ, vi propria & sibi inhærente* (influxu aliquo Physico) *verùm ita ut ex Dei institutione hoc manaverit.* Et tunc subijciunt; *Ita quoque baptismus sive lavacrum aquæ medetur animabus, hominesque salvat minimè virtute propriâ, aut ex se, sed mera Divina ordinatione. Quemadmodum serpente Deus utebatur, sic & baptismo utitur, nempe tanquam instrumento morali, non Physico & naturali.* Cæcus certè fuerit, qui ista ingenuâ fronte intuitus, non viderit, Baptismo tantum adimi efficientiam Physicam, relinqui autem & tribui efficientiam moralem. Qualis quum hoc loco non nisi ab instrumento morali prodire queat, sponte porrò sequitur, pro tali instrumento eum esse habendum. Quod si vero Baptismus *morale instrumentum* esse statuitur, falsum est quod ei tribuatur *FIGURALITER tantùm indicare.* Hoc igitur posterius quum â Calixto nullibi gentium assertum inveniam, hac ipsa tamen *Rejectione* non obscure ei imputari deprehendam, evincere hoc Calovium, & talis doctrinæ documentum, vel ex hac quam præsidio suo Calixtus probavit Disputatione, vel aliunde producere eum jubeo. Obiter interim notari potest, accuratioribus Metaphysicis observatum hodie esse, id quod *Instrumentum morale* alii appellant, rectius pro *Caussa impulsiva externa* haberi. Et sic sententia Doctorum Calixti & Brandani Dætrij, huc rediret; Baptismum ceu causam impulsivam externam movere (sub ratione boni cogniti) Deum, non dignitate propriâ, sed ex ordinatione & promissione Divinâ, ut, quoties & ubicunque ille dispensatur, gratiam per il-
lam

iam conferre dignetur omnibus, qui obicem non potuerint ponere, aut reapse non posuerint.

Nunc quod attinet initium *Rejectionis* Calovianæ, per Calixtum facile licebit, ut ille præeunte Luthero reijciat *Scotum & Minoritas*, statuentes, *baptismo ablui peccatum ex aßistentiâ Divinæ voluntatis, & hanc ablutionem fieri TANTUM per Dei voluntatem & MINIME per Verbum & Aquam.* Nihil cum hac aquæ exclusione Scholasticâ commune est Calixto, ut quilibet videt, qui non malum oculum attulerit.

Tandem etiam illud *Reiicitur* quod à D. Calixto in Tractatu de Pactis asseritur *Baptismum CONFIRMARE & OBSIGNARE remißionem Peccatorum:* Verùm quum non alios quam adultos illa verba respiciant, infantum nulla omninò ibi fiat mentio, nec contextus ipse eos intelligi patiatur, an inexcusabilis D. Calovii *ἀβλεψία* potiùs, quàm iniquitas accusari debeat ambigo. Si in eâ quæ hîc Calixto affingitur, fuisset ille sententiâ, nempe Baptismum non conferre regenerationem, ne infantibus quidē, sed collatam confirmare saltem & obsignare, Calvinianis certe, hoc ipsum defendentibus, citatæ de Baptismo Disputationis Th. CXXIII, tantopere id non exprobasset, nec errorem hunc tam operose confutasset. Citato igitur de Pactis Tractatu, non disquirit quid infantibus per baptismum conferatur, sed de Johannis baptismo sermo ei est, qui quum baptizandi ministerium aggrederetur, & prædicaret baptismum pœnitentiæ, & frequentior erat adultorum quam infantum baptismus, imò, quum non horum sed illorum solùm à Johanne baptizatorum fiat mentio, & tales non nisi prævia peccatorum agnitione, & factâ fidei professione admissi sint, quis *baptismum Johannis* adultis concessum remissionem peccatorum non contulisse primùm, sed *confirmasse* dubitet? Et quum *æquipolleat alter baptismus alteri*, idem quod de adultis baptismo Johannis baptizatis dicitur, dicendum

quoque erit de catechumenis Christianismi Candidatis Baptismo Christi initiatis. Diversimode autem sese habere baptismum, aliter nempe in ordine ad infantes, & aliter in ordinè ad adultos, è communis Saxonicorum Theologorum Magistro, D. Johanne Gerhardo, vel si mavult à socero suo D. Hülsemanno discat D. Calovius, qui vocibus ab ipso rejectis utuntur, & pari modo quo Calixtus, eas adhibent. Ille loco de Ecclesia Thesi LV. pag. 659. *Respectu infantum baptizatorum*, inquit, *baptismus est unicum illud ordinarium regenerationis medium, & unica ad Ecclesiam janua, sed in ADULTIS fidelibus baptismus non operatur demum regenerationem cujus jam ante per verbum & fidem facti sunt participes, sed generationem OBSIGNAT CONFIRMAT, & Spiritus Sancti dona in illis auget.* D. Iohannes Hülsemannus Breviarij Extensi Cap. x, Th. xv. *Subjectum recipiens baptismum, ex mandato instituentis sunt nati & veri homines, tàm infantes quam adulti* —— *His* (adultis) *fides augetur, & remissio peccatorum CONTINUATUR, CONFIRMATUR & OBSIGNATUR per baptismum.*

PUNCTUM IV.

Aug. Conf. art. 9. p. 12. Apol. Aug. Conf. art. 9. p. 156, 157. Catechis. Lutheri major pag. 540. & 541. Teut. fol. f. 67. 68. 218. 219. 220. f. b. Catech. maj. p. 545.

P*Rofitemur & docemus*, infantulos *etiam*, qui per baptismum Deo offeruntur, recipi in gratiam Dei, Spiritu sancto donari, *sanctificari*, Deoque placere *ac gratos esse; idque per fidem propriam & actualem, quam in baptismo accipiunt, sine qua nemo Deo placet, & de qua* irrevocabiliter decretum est, quidquid fides non est, illud ad consequendam salutem nihil profuturum, neque tantillum consecuturum. *Adeoq; nullo modo affirmandum est, pueros non credere, Matth. 18. 6. Marci 9. 42.*

Rejicimus eos, qui docent, adultos tantùm fidem propriam habere, infantes autem salvari fide non propriâ, sed alienâ, Ecclesiæ nempe, parentum, aliorumque baptismo offerentium, quorum fides pro propria infantum fide deputetur, & qui illis cor quasi commodent ad credendum.

Ita docet D. Georgius Calixtus disputatione theologica de Baptismo, sive sacro regenerationis ac renovationis lavacro, §. 122. sequentibus verbis: Si adultis, quod Augustinu, & post illum nemo non

non concedit, sufficit suscipiendi baptismi votum & desiderium, eo que interveniente, quamvis baptismo privati salvantur: pariter de infantibus statuendum, illis sufficere simile votum & desiderium, quod licet in illis per ætatulam nondum fuerit, in fidelibus tamen parentibus non defuit: qui liberos suos baptizari nunquam non desiderarunt.

Et hoc desiderium, hæc voluntas parentum ad prolem eorum interpretative pertinebit. Et iterum ibid. Nam cum infantibus, qui reipsa baptizantur, Ecclesiæ, parentum, aliorumque baptismo eos offerentium voluntas, propriæ voluntatis loco imputetur; cur non itidem, quod infantes baptismo destinatos, sed morte præreptos attinet, Ecclesiæ & parentum voluntas instar suæ ipsorum voluntatis habeatur? Si inquam, infantibus proprio voluntatis actu destitutis ad baptismum in re suscipiendum, sufficit voluntas, quam diximus, Ecclesiæ & parentum; cur non iisdem pariter ad baptismum in voto suscipiendum sufficiat? Ibidem §. 171. Infantes v. nec intelligere, nec fari valentes interrogare, abrenunciationem & fidei professionem eos poscere, ab aliis autem responsa expectare non statim ineptum ac ociosum videatur. Actus enim parentum, susceptorum aliorumque infantes baptismo sistentium, fiunt actus infantum, & Ecclesia, cujus brachiis ad Christum deferuntur tenelli, illis cor quasi commodat ad credendum, aures ad audiendum, intellectum ad capiendum, linguam ad respondenduum. Quomodo enim tutor causam pupilli sui planè infantis agit, loco ejus interrogatus respondet vel negando, vel affirmando, illique ignoranti h. m. prodest in foro: sic in Ecclesia & causa salutis animæ prodesse potest infanti, quod per spiritualem tutorem, seu confitendo seu negando, ejus nomine agitur, credit h. m. infans, ait, negat per susceptorem, & vicissim susceptor infanti credit, i. e. ad ejus utilitatem & bonum. Nec non §. qui ibidem sequitur 193. Huic simplicissimæ sententiæ nos quoque lubentes adstipulamur, & profitemur, infantes in baptismo non sanctificari & salvari sine Spiritus S. operatione: propterea enim baptismum Apostolus vocavit lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus Sancti. Hunc Spiritum dicimus, non solum operari posse, sed revera in infantibus baptizatis operari, ut capaces & compotes fiant gratiæ divinæ, remissionis peccatorum,

υἱοθεσίας & juris adeundæ hæreditatis cœlestis quæ per fidem, quam adulti habent, impetrantur. Quo sensu si quis infantes dicere velit actu, vel effectu, fidei habitum habere, dicturus id est nobis non repugnantibus.

Similiter D. Conradus Horneius part. II Disput. Theol. Disp. 2. sect. 1. §. 21, p. 211. Nec tantum prædestinati ita sine dubio sunt, qui reipsa baptismum consequuntur, sed etiam qui parentum voto & voluntate tantum, cum aliter non possint: nam ut iis, qui reipsa baptizantur, Ecclesiæ, parentum, & qui baptismo eos offerunt fides pro propria illorum fide deputatur: sic etiam Ecclesiæ & parentum votum, quoad baptismum, quem consequi nequeunt, destinati erant, pro ipsorum infantum voto & voluntate à Deo habetur, ut absque sacramento ad preces Ecclesiæ & parentum, eos à peccato purget, qui per illud alias id ordinarie facere constituit.

EXAMEN ET DISCVSSIO PVNCTI IV.

ANte omnia circa citationes margini adjectas monendus est Lector, Articulo IX A. C. & in Apologiâ ad eundem Articulum, ad quæ scripta Calovius provocat, de *Fide Infantum* nullum fieri verbum. In Catechismo autem Majore loco citato, à Luthero aliquid saltem hujus, non nisi obiter tamen & valde generaliter adfirmari quemadmodum non diffiteor, ita quoque dissimulare nequeo, terminos Fidei infantum *propriæ* & *actualis* quā in baptismo accipiant, nullibi librorum Symbolicorum exstare. Lutheri sententiæ opponuntur tria loca è Disputatione Inaugurali D. Brandani Dætrij sub Parentis mei habita præsidio, excerpta, parum tamen ad rem facientia. Etenim est locorum istorum dispar ratio, nec singula eundem collimant in scopum. In primo nec de *propriâ* nec de *aliena* infantum fide agitur, sed de voluntate, voto & desiderio Parentum conferendi baptismum liberis, qui tamen repentina morte præripiūtur sive *de infantibus baptismo destinatis sed morte præventis*. Attamen de iis antea & alias sæpius citatus

tus D. Gerhardus eundem in modum, aut certè parum diverse scripsit, Locor. Comm. de Baptismo Sect. VII. Th. 237. *Preces piorum parentum vel -- preces Ecclesiæ ad Deum pro his infantibus fusas, clementer exaudiri, eosdemque in gratiam & vitam à Deo recipi.* Quibus gemina sunt ista D. Friderici Balduini, Casibus Conscientiæ de administratione baptismi, Casu VI. *Infantes illi jam in utero matris per preces parentum & Ecclesiæ Deo fuerunt oblati, nec per ipsos stetit, ut satis maturè post partum statim baptizati fuissent, cur ergo illis salutem denegaremus?* Quid hoc aliud est quam quod Dd. Calixtus & Brandanus modo assertum ibant? Dicet forte D. Calovius debuisse me adjungere, quæ ibi statim sequuntur apud Balduinum, *Deum utique in ipsis* (infantibus Baptismo præreptis) *extraordinariè fidem accendere posse, æquè ac in Johanne Baptista.* Sanè vidi hæc apud Balduinum sequi, nec Dei potentiam in dubium voco; quod autem non tantum in infantibus ea conditione positis fidem accendere *possit,* sed ipso quoque *actu accendat,* è Lutheri certè doctrina sumptum non est, nec conciliari cum ea potest. Is scilicet in Cap. XXV Gen. ad vers. 8 p. 322, ita scribit: *In quo statu sint* infantes Christianorũ non baptizati, *aut quid de iis fiat, commendamus Divinæ bonitati. NON HABENT FIDEM, neque baptismum, num verò singulari modo eos respiciat Deus & det fidem, NON EXSTAT IN VERBO neque nos statuere audemus.* Ergò nec Balduinus, nec Hülsemannus nec Calovius id statuere audeant. Commentar.

In altero loco agitur de scrutinio sive examine ante baptismum, & de more à primitivâ Ecclesiâ in nostrum derivato, ut videlicet etiam infantes per susceptores suos, sive compatres & commatres interrogentur, respondeant, renuncient, atque promittant. Et hinc illi haud inconvenienter dicuntur tenellis *cor quasi commodare ad credendum, aures ad audiendum, intellectum ad capiendum, linguam ad respondendum.* Non autem est quod ista tanquam in Academiâ Iuliâ nata exagitet

aut

aut reijciat Calovius, siquidem non sua commenta obtrusum eunt Doctores Calixtus & Brandanus Dætrius, sed quæ primitivæ Ecclesiæ Dd. teste Augustino & Chrysostomo, de hujusmodi ritibus doctrina fuerit], commemorant. Ast eò hodie, proh dolor! ventum est, ut, quod in Augustino & Chrysostomo, ultra annos mille non tantùm toleratum fuit, sed à multis etiam magnisque Ecclesiæ Doctoribus probatum, in Helmstadiensibus, Calixto, Horneio & Brandano Dætrio, tolerari nequeat, sed damnandum sit & reijciendum.

In tertio quem Calovius producit loco, neque Præsidis neque Candidati de Baptismo infantum sententia proponitur, sed probantur saltem Chemnitij verba, ijs quæ Calovius reijcit præmissa, quibus ille explicat, quid intelligendum sit, quando dicatur *infantes fidem habere.* Quousque igitur illud & affirmari à Chemnitio & explicari potuit, eo usque ibi quoque id probatur. Quorsum igitur reijcit Calixtum & Brandanum tanquam contradicentes Catechismo Majori Lutheri, *nullo modo affirmandum pueros non credere* asserenti, quum tamen illi de *difficillimâ & obscurißimâ quæstione* judicium, magni potiùs in Ecclesiâ nominis quem diximus, Doctori prudenter committant, quam ut sibi illud arrogent? Obscurissimam verò hanc ipsam quæstionem esse, disertè profitetur Chemnitius, loco, ipsâ illa à Calovio citatâ Thesi integre producto. Et inde B. Lutherus Catechismi Majoris pag. 544 ei *qui simplici intelligentiâ præditus est*, suadet, ut *hanc quæstionem indiscussam à sese removeat, & Doctoribus discutiendam relinquat.* Atque Corpus Doctrinæ Iulium nostrum, etiamsi non diffiteatur, Spiritum regenerationis & renovationis in infantibus ita efficacem esse, ut illud quod in Baptismo iis offertur & donatur acceptare possint, addit tamen, quod nos quomodo hoc ipsum fiat, neque sciamus neque intelligamus. Verba vernacula ita habent; **So bezeuget auch Christus**

Marci x,

Marci x, Daß die Kinder so durch die Tauffe zu jhm gebracht werden/das Reich Gottes auch annehmen/ denn der Geist der Wiedergeburt und Ernewerung ist in jhnen kräfftig/ daß sie das jenige/ so jhnen in der heiligen Tauffe gereicht und geschencket wird/ annehmen mögen/ ob wir es schon nicht wissen noch verstehen wie dasselbe geschehe. Und das meinen wir/ wenn wir lehren daß die Kinder einen eigenen Glauben haben. Ista Corpus Doctr. Julium, quæ plane sunt conformia illis, quæ hac de re in Formulâ Concordiæ inter Theologos Saxoniæ & superioris Germaniæ anno superioris seculi LXXVI. constituta, & à Chemnitio laudatâ, leguntur. Cæterùm difficultatem quæ majoribus nostris insuperabilis est visa, uno saltu transilit D. Hülsemannus Breviarii Disput. x, Th. XIV, quando *infantes concipere & habere affirmat, justificantem fidem eandem specie, cum fide cæterorum justificandorum.* In eadem autem sententia quum sit Consensus hujus Auctor, & in hac quoque parte socero gener alibi, in Epicrisi nimirum contra Rintelenses, non tantum assentiatur, sed iis insuper qui hoc negant, *detestandam hæresin* ferociter impingere non erubescat, quis dubitet duumviros hosce Chemnitio longe esse perspicaciores? Etenim si ille infantibus fidem *specie eandem* cum fide adultorum inesse perspexisset, in exponenda formali ratione fidei infantum non ita sudasset, non ita hæsitasset. Ille certè Examine Concilij Tridentini ad Can. XIII de Baptismo sic loquitur: *De adultorum fide res est non obscura. Est enim & oritur ex auditu, cogitatione, meditatione, apprehensione. Est assensus in mente, fiducia in voluntate, credens scit se credere. — Si ergò quæritur, an infantes qui baptizantur hoc omninò modo credant, — Augustinus respondet negative.* Mox de eodem Augustino asserit *in multis locis eum disputare, parvulos baptizari aliena fide vel parentum, vel gestantium & offerentium, vel totius Ecclesiæ*; qui si revivisceret, Calovij fulmen *rejectionis* isthoc nomine hodie

experiretur. Claudens autem ibi Disputationem Chemnitius iterum inquit. Tridentini *anathemate damnant, si quis dixerit, parvulos qui baptizantur habere actum credendi. Quod si intelligant actum credendi, sicut supra in Augustini sententia explicavimus, non repugno. Si verò hac particula simpliciter negare volunt, in parvulis, qui baptizantur, omnem actionem & operationem Spiritus Sancti; certè contradicendum est.* Neque etiam ipse Lutherus noster ulterius progressus est, nec præter & supra *operationem Spiritus Sancti*, aliquem *credendi actum* parvulis adjudicavit. Quando enim *nullo modo affirmandum esse* ait, quod *pueri non credant*, ad priora remittit Lectorem, atque hoc ita intelligendum esse indicat, *ut jam ostensum sit*. In antecedentibus autem nihil ostendit aliud, præterquam quod *Deus Spiritu Sancto impertiat* eos, *qui statim infantes à partu baptizantur*; &, quod eorum *baptismum sui Sancti Spiritus donatione confirmet*. Eosdē verò *actuali fide* donare, imò etiam tali, quæ sit *specie eadem cum fide cæterorum adultorum*, ex ista Lutheri adversus Anabaptistas Disputatione & commentatione, eruere equidem non valeo.

PUNCTUM V.

P*Rofitemur, & docemus*, merito damnari in hoc articulo cum Anabaptistas, tum etiam Calvinianos, seu reformatos. Anabaptistas quidem, quia improbant baptismum puerorum, & affirmant, pueros sine baptismo salvos fieri. Calvinianos autem, seu Reformatos ideo, quia ex baptismo nihil aliud faciunt, quam nudum gratiæ divinæ signum, seu quemadmodum Catechesis eorundem, tanquam scriptum authenticum part. II. qu. 73 loquitur, divinum symbolum ac pignus, quo Deus nobis certum faciat, nos non minus vere à peccatis nostris interna lotione ablui, quam externa & visibili aqua abluti sumus. Gemina doctrina è Calixto, qui in novissima sua de pactis, quæ Deus cum hominibus iniit, idem tradidit, circa III. punctum hujus articuli ostensa ac producta fuit. Adeo insaniunt nasutuli nostri μωρόσοφοι, novi illi Spiritus, inquit B. Lutherus in Catech. Maj.

Maj. p. 540. ut disjungere non vereantur fidem & rem, cui fides adhærescit, & alligata est; tametsi externa sit; superciliose admodum fabulantes, fidem solam esse, quæ salvos faciat, opera vero & res externa, (de ablutione in baptismo sermo est) ad salutem consequendam nihil præstare, aut facere.

Rejicimus eos, qui docent, Calvinianos in articulo de baptismo nihil tradere, *quod litis materiam valeat præbere.*

Ita docet D. Georgius Calixtus in Responso maledicis Theologorum Moguntinorum vindiciis opposito §. 22. statim ab initio hisce verbis: De administratione & usu sacramentorum in hunc modum scripsi: Hic gaudio & solatio nobis est, quod nemo (loquor autem de Græcis, Pontificiis, Protestantibus) baptismum, lavacrum illud regenerationis repudiat, aut ipsam ejus, ut sic loquar, essentiam labefactat, aut infantibus recens natis denegat: sicut econtra maximo est cordolio, alterum sacramentum, quod tesseram mutuæ caritatis Servator noster esse voluit, fraude Satanæ & hominum sive væcordia, sive improbitate in materiam asperrimæ litis & acerbissimi odii vertisse. Ubi Calixtus absque dubio per Protestantes intelligit & Lutheri & Calvini discretos sectatores, quemadmodum eos statim verbis Marci Antonii de Dominis, quem Ecebolum, virum nostra ætate ingenio, judicio & eruditione eximium, concordiæque Ecclesiasticæ cupidissimum appellat, interpretatur.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI V.

NOn refragamur hoc Puncto *Damnanti* tum Anabaptistas tum Calvinianos, eorum quippe circa Baptismum errores nos quoque improbamus & reijcimus. Quam feliciter autem *gemina doctrina Calixti circa III Punctum hujus Articuli* à Calovio *ostensa & producta fuerit*, ex iis quæ Calovianis objectionibus reddita tunc sunt, liquebit. Palpabilis certè calumnia est, *in novissimâ sua de Pactis (Disputatione* dicere fortè voluit) *quæ Deus cum hominibus injt*, *idem*, quod Anabaptistas & Calvinianos de baptismo docere præmiserat, *tradidisse* Calixtum. Expende quæso Lector, non tantùm Puncto tertio à Calo-

à Calovio adductum locum, sed Tractatum integrum volve atque revolve, & ubi ejus Auctorem vel *improbare baptismum puerorum*, vel è *baptismo nihil quam nudum gratiæ signum facere* deprehenderis, fac Tu cum Calovio, atque hæreticum eum declara; sin minus, hunc pro orthodoxo, illum pro manifesto calumniatore reputa. In loco è Tractatu de Pactis, Puncto III recitato, τὸ OBSIGNABAT, literis majoribus & præ reliquis eminentibus, Calovium ideò exprimi fecisse credo, ut persuasum iret *obsignare remißionem peccatorum*, nihil significare aliud, quam esse *nudum signum* remissionis peccatorum. Sed nimis frivolus est ille conatus, & desperata res, quando Theologi ad Grammaticos, vocum significationes ab iis petitum, remittendi sunt. Acquiesco igitur in illis quæ Puncto III exposita sunt, ubi planum feci, quibus Baptismus peccatorum remissionem *conferat*, quibus *confirmet* & *obsignet*.

Post illa producuntur quædam Lutheri verba è Catechismo Majore, è quibus insertâ Parenthesi probare conatur *ablutionem in Baptismo ad salutem consequendam* aliquid *præstare & conferre*. Quod de baptismo ut instrumento morali, minime verò physico, quod inhærente suâ virtute ad producendum effectum influat, Lutherum intellectum velle semel ostendisse sufficit, nec hic repeti est necessum.

Venio ad *Rejectionem* eorum, *qui docent Calvinianos in Articulo de Baptismo nihil tradere, quod litis materiam valeat præbere. Ita* vero *docere D. Georgium Calixtum* è Th. XXII Responsi Moguntinis oppositi, probasse sibi videtur Noster. *Per Protestantes* dicit ibi, *intelligere* Calixtum *& Lutheri & Calvini discretos sectatores*; quod verum quidem, attamen ridiculum est, eundem per hoc ipsum, quod *gaudet* hos baptismum I *non repudiare*; II *ipsam ejus essentiam non labefactare*; & III *Infantibus recens natis eum non denegare*, omnem litis materiam penitus tollere, & docere, *nihil* eos in hoc *Articulo tradere, quod litis materiam*

teriam valeat præbere, Quasi verò in hisce tribus convenientes, in omnibus conveniant, neque alia ulla circa Baptismum relinquatur controversia! Nihil nunc dicam de aliis quæ Parens meus Calvinianis, (qui tamen Reformati audire malunt) opposuerit scriptis; sæpiùs citatam Disputationem Inauguralem tantùm intueatur Calovius, & expensis illis, quæ de Laicorum & mulierum baptismo, de Exorcismo, de Baptismi effectu, de regeneratione infantum, de adoptione eorundem atque in fœdus gratiæ receptione; de inefficaciâ Baptismi in infantibus absolutè reprobatis ibi discussa sunt, ipse, certò scio, fatebitur, *Calvinianos in Articulo de Baptismo* abundanter *tradere, quòd litis materiam valeat præbere*, &, si vel maximè tria illa antea commemorata capita eximantur, relinqui nihilominus quæ ad lites alendas sufficiant.

ARTICVLVS X. XXII. ET XXIV.

DE

COENA DOMINI ET ABVSV CIRCA EANDEM scil. MISSA PAPISTICA

PVNCTVM I.

PRofitemur, & docemus, quod ut Theologi nostri in Concordiæ Libro ea, quæ illo est, sanioris doctrinæ Norma, jam olim diserte testati sunt, pii homines in negotio Cœnæ Dominicæ ad nulla alia fundamenta, quam verborum institutionis Testamenti Domini nostri I. C. deducendi sint. Nam cum ille & omnipotens & verax sit, expeditum ei esse, ea, quæ & instituit, & verbo suo pollicitus est, præstare. *Ista autem institutionis divinæ verba authentica sequuntur Matt.* XXVI, 26. 27. *Marc.* XIV, 22. 23. 24. *Luc.* XXII, 19. 20. *quemadmodum & postea repetuntur à Paulo* 1 Cor. XI, 23. & seqq.

Præfatio Concord. p. 12. 13. §. Quanquam autem non nulli Teut. §. desgleichen ob wol

Rejicimus eos, qui docent, Eucharistiam, & quod in ea accipitur, & quomodo accipitur, & in quem finem capite Evangelii Johannis VI. tam planis, perspicuis & disertis verbis proponi, ut si quis da-

ta operâ de Eucharistia aperte loqui velit, loqui apertius non possit.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Concord. quat. Evangel. Scriptorum libro v. cap. 11. pag. 204. hisce verbis: Sed quoniam à Servatore posteà instituta est Eucharistia, & quod in ea accipitur, & in quem finem, hic tam planis, perspicuis & disertis verbis proponitur, ut si quis data opera de Eucharistia apertè loqui velit, loqui apertius non possit; ea propter hæc ipsa verba Ioh. VI. cap. de Eucharistia intelligenda esse judicarunt. Nec aliter idem D. Calixtus in Dial. de Communione sub utraque specie Helmstadi edito CIↃ IↃ C XLII. p. 143. & 144. ac D. Conradus Hornejus Diss. Theol. 4. §. 51. secundum editionem primam, D. Dreier. Erörterung/ p. 594. seqq.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI I.

IN verba Præfationis Libri Concordiæ non juravit Calixtus, & quamvis fortè neque illi qui ipsi Formulæ subscripserunt, in Præfationem quoque jurasse, videri, & ejusdem eam cum iis quæ sequuntur habere velint infallibilitatis; ille tamen in Concordia Evangelicâ asserens Capite Iohannis VI ita apertè de Eucharistiâ agi, ut *si quis datâ operâ de eâ apertè loqui velit, loqui apertius non posset*; Præfatoribus asseverantibus, *Pios homines in negotio cœnæ Dominicæ ad nulla alia fundamenta quam verborum institutionis Testamenti Domini nostri Iesu Christi deducendos esse*, nequaquam contradixit, siquidem omnem evidentiam verborum Iohannis, in Servatoris nostri institutione fundari ibidem expresse dicit, adeoque *pios homines*, in hoc negotio, ad *nulla alia fundamenta*, quam quæ in dicta Præfatione commonstrantur, *deducit*. Res adeò est evidens, ut omnes latini idiomatis periti, ne dum aliquis Theologorum primarius, capere eam possit. Quum igitur illa, quæ in textu Parentis (;) semi-colon, à quo Calovius allegationis suæ initium ducit, proximè antecedunt, nec viderit nec videre voluerit, inducor ut credam, tantam esse odij vim, ut mentes oculosque hominum excœcare valeat.

Para-

Paragraphus, quem parte anteriore truncatum produxit Calovius, ita incipit; *Certum est* NISI SACRAMENTVM A SERVATORE INSTITVTVM *foret, omnia de spirituali manducatione accipienda fuisse, ita ut fides ipsa per metaphoram & secundum analogiam vocetur comestio & bibitio, corpus & sanguis Christi, cibus & potus dicatur; sed quoniam à Servatore postea instituta est Eucharistia, & quod in ea accipitur, & in quem finem, hic tam planis, perspicuis & disertis verbis proponitur, ut si quis data operâ apertè loqui velit, loqui apertiùs non possit &c.* Evidentia igitur verborum Iohannis juxta Parentem, non tàm ex sese quàm aliunde innotescit, nempè ex institutione Servatoris, absque quâ si foret, non propriè sed Metaphoricè accipienda essent verba Iohannis. Ratio autem quæ *Patres impulit, ut* illa *de Sacramento unanimi consensu interpretarentur*; ratio inquam propter quam adeò *plana, perspicua & diserta* dicuntur, *ut si quis datâ operâ de Eucharistiâ apertè loqui velit, loqui apertius non possit*; non affertur alia quam Servatoris institutio. Præstat igitur hic quoque Auctor ipsum illud, quod à Præfatoribus exigitur, nempè *in negotio cœnæ Dominicæ, ad nulla alia fundamenta, quàm verborum institutionis Testamenti Domini nostri I. C. deducit*; & nihilo tamen minus à Calovio tanquam iis repugnans reijcitur.

Nolo nunc urgere, principium Calovij quod hic ponere videtur non esse firmum. Non enim sequitur; Articulum de quo alicubi in Scripturâ tanquam in propria suâ sede distinctiùs & copiosius agatur, (ex. gr. de Iustificatione Rom. III) alibi planis, perspicuis & disertis verbis non proponi.

PVNCTVM II.

PRofitemur, & docemus, in Cœna Domini Corpus & sanguinem Christi verè adesse & distribui vescentibus, & non tantum dari, & sumi à piis, sed etiam ab impiis Christianis. Nec unam tantum speciem esse dandam, sed utramque, cum non una, sed utraq; species sit tota ordinatio & institutio per Christum facta, tradita & mandata, *sub qua,* Aug. Conf. art. 10. & art. Smalc. part. 3, art. 6 p. 330. Teut. fol. 5. 147.

qua, & cum qua verum corpus & verum sanguinem Christi ore accipimus, seu, ut cum B. Luthero loquamur, in & sub pane & vino, non specie & colore panis & vini, verum corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi per verbum ejusdem Christianis ad manducandum ac bibendum datur, quemadmodum & ab iisdem revera ore manducatur & bibitur, *Matth. XXVI. 26. 27. 28. Marc. XIV, 22. 23. 24. Luc. XXII. 19. 20. 1. Cor. X. 16. XI. 23. & seqq.* Quare improbamus secus docentes, *cum doctrina eorundem Christo, ejusq; institutioni, divinaeq; Pauli repetitioni è diametro adversetur, & satis causae sit, cur inter eos & Doctores Augustanae Confessioni addictos, fraternitas in Christo non possit iniri.*

Aug. Conf. art. 10. p. 13.

Tales autem sunt & Pontificii & Calviniani, seu Reformati. Pontificii, quia eripiunt calicis usum Laicis, quos vocant, & Clericis non conficientibus totum epotante sacrificulo, finguntq; totam Substantiam panis in Substantiam sanguinis ejus converti, ita quidem, ut tantum species & color panis & vini, & non verus panis ac verum vinum remaneat. Damnamus ergò & execramur in nomine Domini omnes eos, qui non tantum utramq; speciem omittunt, verum etiam tyrannicè eam prohibent, damnant & blasphemant ut hæresin, & ita seipsos supra & contra Christum Dominum & Deum nostrum extollunt, opponentes & præponentes se Christo. *Calviniani autem, seu Reformati, quia ad unum omnes veram, realem & substantialem cum pane præsentiam corporis Christi in Cœna (quæ in his terris, ubi conveniunt Christiani, celebratur) & ejus manducationem oralem h. e. quæ fit ore corporis, mediante pane, negant & pernegant.*

Art. Smalc. pag. 330.

Rejicimus igitur & Nos eos, qui docent, omnes & Pontificios & Lutheranos & Calvini discretos Sectatores in eo convenire circa sacratissimum Eucharistiæ sacramentum, quod nempe nobis in eo verum ac reale Christi corpus verè & realiter exhibeatur, & de modo tantum inter eosdem disceptari, adeoque Lutheranos teneri, ut Pontificios ac Calvinianos non alio loco habeant, nec alio affectu prosequantur, quàm quem civibus regni Cœlestis & Christi membris, concorporibus & cohæredibus suis, debent. Ita docet D. Georgius Calixtus cum Marco Antonio de Dominis, in Responso Maledicis Theologorum Moguntinorum Vindiciis opposito, §. 22. Verba sunt hæc: Omnes & Pontificii & Lutheri & Calvini discreti sectatores in eo convenimus circa sacratissimum Eucharistiæ sacramentum, nobis in eo verum ac reale Christi corpus verè & realiter exhiberi. Cur ergò in hoc non sistimus omnes? Cur hîc terminum dissen-

dissensionum non collocamus? Cur ad modum ineffabilem, mirabilem, & occultum, nobisque penitus ignotum & quem Christus ipse nos latere voluit, tam audacter descendimus, ut, qui cum nostra insipientia non desipiat, eum à caritate & communione religiosa & catholica excludamus? Hic est tam atrocis & periculosæ dissensionis facillimus modus sopiendæ, ut omnes veritatem corporis Christi in sumenda Eucharistia exhiberi uno ore fateamur, & circa modum, quo fiat hæc exhibitio, quippe ineffabilem & inexplicabilem, nobis omnibus silentium perpetuum indicamus, & ex hac dissensione schismata coalita exstinguamus. Stemus in solo QVOD SIT, nempè verum Christi corpus in Eucharistia exhiberi: verba Scripturæ ut sunt & jacent, retineamus; QVOMODO res sit, ne investigemus anxiè. Omnis sermo Dei ignitus clypeus est, sperantibus in se, ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniarisque mendax. Cur ergò dicente Christo, HOC EST CORPVS MEVM, nos addamus, est corpus per transsubstantiationem, consubstantiationem, figurativè duntaxat, & non realiter; fide percipiendum, & non ore &c. Hoc est addere sermoni Dei, unde facilè arguamur, & mendaces inveniamur. Cur ob ista nostra addita contendamus, ut schismate Ecclesiam dividamus? Idem corpus Christi omnes comedimus, sed modum, quo id fiat, omnes ignoramus. Vtinam sano & recto consilio omnes obtemperent. Nec aliud Calixtus Dn. Ernesto Landgravio Hassiæ &c. respondit, in responso ad eum dato pag. 12. Quare idem Calixtus profitetur & testatur coram Deo & sanctis Angelis, se Pontificios & Calvinianos (non obstantibus eorum de Eucharistia erroribus, vel, etsi sanctam Eucharistiam non planè, uti oporteret, quatenus tamen datur & edocti sunt, & hactenus capere potuerunt, participent) non posse alio loco habere, nec alio adfectu prosequi, quam quem civibus regni cœlestis & Christi membris, concorporibus & cohæredibus suis debeat. In Epicrisi ad Colloq. Thoruniense §. 3. 4. 9. 18.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI II.

VErba librorum Symbolicorum hic allegata rectè e parte se habent, non potuit tamen se cohibere, quin muscer-

dam suam piperi admisceret Calovius, quando tanquam articuli x Augustanæ Conf. verba ausus est venditare hæc sequentia omnia; *Quare improbamus secus docentes, cum doctrina eorum Christo ejusque institutioni, divinaque Pauli repetitioni è diametro adversetur, & satis caussæ sit, cur inter eos & Doctores Augustanæ Confeßioni addictos FRATERNITAS in Christo non poßit iniri.* Hæc ita de suo consuetâ impudentiâ Calovius.

Jam ad *Rejectionem* Calovij animus mihi est advertendus. Reijcit ille PRIMO eos, *qui docent, omnes & Pontificios & Lutheranos & Calvini discretos sectatores in eo convenire circa sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, quod nempè in eo nobis verum & reale Christi corpus vere & realiter exhibeatur, & de modo tantùm inter eos disceptari.* Et tunc statim affirmat, *Ita docere D. Georgium Calixtum cum Marco Antonio de Dominis, in Responso maledicis Theologorum Moguntinorum vindiciis opposito*, Th. XXII, atque verba Marci Antonij, à Calixto ibi producta, adscribit. Quæ quum satis clara sint, ego certè negare nec volo nec possum, iis affirmari, *& Pontificios & Lutheranos, & Calvini discretos sectatores, in eo convenire circa Sacramentum Eucharistiæ, quod nempe nobis in eo verum & reale Christi corpus verè & realiter exhibeatur.* Verùm enim verò, rectum Marci Antonii consilium, quod ibi suggerit, quum ibidem tantum probet Calixtus, quonam quæso indicio evincet Calovius, eundem omnia satis prolixæ orationis M. Antonii verba, & quidem hac ipsa parte, probare? Neque enim, quando verba auctoris alicujus allegamus, intentio nostra confestim est, quod illa omnia velimus probare, sed ea tantùm rata habere consuevimus, quæ ex iis ad scopum nostrum faciunt. Hoc sanè extra dubium esse, & à nemine non concessum iri credo. Iam itaque dico, Calixtum partem verborum Marci Antonii modo productam minimè probare, nec unquam existimasse, *Calvini* quoque *sectatores* seriò credere, quod *corpus Christi* in sacra

Cœna

Cœnâ *vere & realiter exhibeatur*. Contrarium enim, & quod illa corporis Christi præsentia quam Reformati ponunt, non sit vera ac realis præsentia nunquam dissimulavit, sed satis potius aperte docuit, Animadversionibus in Confessionem Reformatorum anno CIↃ IↃ C XLV exhibitam, sive Consideratione Doctrinæ Reformatorum Th. XIV & XV ubi sic loquitur: *Sed id tantopere jam non urgeo, quam si corpus accipiatur non nisi pro signo corporis, ad eum, quo expositum est modum, & non pro corpore vero & propriè sic dicto, & ad prædicamentum substantiæ referendo; tunc subsistere non posse quod Confessio profitetur, in hoc sacramento* communicari nobis ipsam substantiam corporis & sanguinis Christi. *Quin nulla omnino fuerit in hoc sacramento præsentia veri proprieque dicti corporis Domini, corporis, inquam, quod pertineat ad prædicamentum substantiæ: quod solum est verum proprieque dictum corpus Domini. Dicetur forte, quod fides rem, quamvis absens sit, præsentem faciat sistatq. Sed quæro, quænam fides? Num fides quâ creditur Christus habere corpus? vel fides quâ creditur Christum corpus suum pro nobis in mortem tradidisse & tradito nos redemisse? sed abesse potest utraque præsertim posterior, atque ita Sacramento quatenus tali nihil relinquitur, uti pridem etiam ostensum. Hoc autem inprimis observandum, quod fides non faciat rem præsentem secundum esse suum, vel substantiam suam. Præsentia ista tantùm est intentionalis. Nempè res quæ concipitur & vera esse creditur, in intellectu est per speciem intelligibilem, non per substantiam suam. Alioquin concipienti & credenti fuisse Alexandrum Magnum, esse Turcarum Imperatorem, esse Sinas, Iaponiam, Americam: hæc omnia secundum verum esse suum præsentia forent. Quin in hoc Sacramento reapse præsens esset ipsa oblatio corporis Christi in cruce facta, sive specie, sive numero eadem. Quomodo sane sacrificium, quale Pontificii statuunt egregiè stabiliretur. Per fidem itaque res secundum esse suum, vel substantiam suam non constituitur præsens*. Ex hisce puto unumquemque perspecturum, Num. 12.

Calixtum cum Marco Antonio, ea in parte, quod *Calvini sectatores* in S. Cœnâ *verum & reale Christi Corpus exhiberi* credant, minime consensisse, & à Calovio hoc nomine per injuriam accusari.

Verùm dicat aliquis, quo ergò fine Calixtus locum istum M. Antonij adscripsit? Respondeo, finem quem Calixtus respexit, manifestum fieri è verbis ipsius, quæ recitato integro Marci Antonij, quem Calovius quoque repetiit loco, indivulsè adtexuit; *Vtinam sano & recto* CONSILIO *omnes obtemperent!* Hæc enim Calixti, non M. Antonii, sunt verba, etsi Calovius omnia promiscue eodem characteris genere excudi fecerit, forte ut tanto facilius Lectorem posset fallere. In quantum itaque CONSILIUM aliquod, integra M. Antonii verba continebant, Calixtus, ceu scopo suo congrua, ea & adduxit & probavit, ultra hunc scopum ea necesse non habuit probare. *Consilium* autem Marci quod Calixtus respexit, non in illis cum quibus eum non facere hactenus ostendi, sed in his sequentibus continetur verbis. *Cur in hoc* (quod verum corpus Christi verè & realiter in S. Cœna exhibetur) *non sistimus omnes? Cur hic terminum dissensionum non collocamus? Cur ad modum ineffabilem, mirabilem & occultum nobisque penitus ignotum & quem Christus ipse nos latere voluit, tam audacter descendimus &c. —— Hic est tam atrocis & periculosæ dissensionis facillimus modus sopiendæ, ut omnes veritatem corporis Christi in sumenda Eucharistia exhiberi uno ore fateamur; & circa modum, quo fiat hæc exhibitio, quippe ineffabilem & inexplicabilem, nobis omnibus silentium perpetuum indicamus; & ex hac dissensione schismata coalita extinguamus. -- Stemus in solo QVOD SIT, nempe verum Christi corpus in Eucharistia --- exhiberi: verba Scripturæ ut sunt & jacent, retineamus, QVOMODO res sit, ne investigemus anxiè. Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se; ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniarisque mendax. Cur ergo dicente Christo,*

HOC

HOC EST CORPVS MEVM, nos addamus, est corpus per transsubstantiationem, consubstantiationem figurativè duntaxat, & non realiter, fide percipiendum, & non ore, &c. Hoc est addere sermoni Dei, unde facilè arguamur, & mendaces inveniamur. Cur ob ista nostra addita contendamus, ut schismate ecclesiam dividamus? Idem corpus Christi omnes comedimus; sed modum, quo id fiat, omnes ignoramus. Hoc ergo *consilium* Marci Antoni, ut nimirum *stemus in solo* QVOD SIT, *nempe verum Christi corpus in Eucharistia exhiberi*; ut, *verba Scripturæ sicut jacent & sonant* bona fide *retineamus*, QVOMODO *res sit non investigemus anxiè*, hoc inquam, est quod approbat Calixtus, nec puto quenquam pium improbaturum. Opera tantùm diffidentibus, & inter hos Reformatis, sub verborum ambiguitate latere huc usque consuetis, danda erit, ut sincere & sine fuco credant, quod eos M. Antonius (quo jure, perinde hactenus poterat esse Calixto) credere & fateri affirmabat, nempe *verum & reale Christi corpus* (in Cœna) *verè & realiter exhiberi*. Reputa nunc veritatis studiose Lector, quo animo, quo successu Calovius Calixti mentem hic sit interpretatus.

SECVNDO videtur Calixtum impetere Calovius verbis ex Articulis Smalcald. Art. VI de Sacramento altaris, repetitis. *Damnamus ergo & exsecramur in nomine Domini omnes eos, qui non tantùm utramque speciem omittunt, verùm etiam tyrannicè prohibent, damnant & blaspemant ut hæresin, & ita se ipsos supra & contra Christum Dominum & Deum nostrum extollunt.* Sed frustra hæc Calixto opponi, facilè mihi erit ostendere. Sine dubio hæc Lutheri verba loquuntur de iis, penes quos potestas est *omittendi utramque speciem*, quales non sunt Laici inter Pontificios, sed supremi Antistites, Papa, Cardinales, Episcopi. His quoque nec aliis rectè imputatur, quod *tyrannicè* utramque Sacramenti speciem *damnent, prohibeant, blasphement ut hæresin, & ita se super Christum Dominum & Deum nostrum extollant.*

tollant. De Laicis autem, & Christianitate per hierotyrannos vim iniquam hic passâ, ita Lutherus Histor. August Confess. Chytræi, titulo Außfürliges Bedencken D. Martini Luthers von der gütlichen Handelung so mit den Papisten zu Augspurg fürgenommen/ Anno MDXXX pag. 410, 411; Also wird auch Gott die Christenheit wol entschüldiget halten/ so bißher einerley gestalt gebrauchet/ weil sie dasselbe aus Zwang und nohthalben leiden müssen/ als denen solcher Mißbrauch ohne jhren Willen durch die geistliche Tyrannen ist auffgedrungen/ daß sie es nicht besser haben wissen oder machen können. Hisce verò omnibus prorsus paria docuit Calixtus. Prioribus, *qui utramque speciem non tantum omittunt, verùm etiam tyrannicè eam prohibent* &c. Tractatu de communione sub utraque specie Th. L hoc argumentum opponit: *Eucharistiam administrare sub utraque, est peccatum per constitutionem Pontificiam, Eucharistiam administrare sub utraque, est conforme institutioni Christi; Ergò aliquid conforme institutioni Christi, est peccatum per constitutionem Pontificiam.* Et tum subjicit plane ad mentem Lutheri in Articulis Smalcaldicis; *Quod an non sit Pontificem supra Christum extollere, viderint quorum interest & qui id statuunt.* Tales porrò qui contra Christi institutionem, utriusq; speciei prohibitionem, quantumvis rem rectius intelligere valeant, nihilominus defendunt, æternæ damnationis reatum contrahere, Tractatus citati Thesi ultima; Ecclesiam autem quæ subtracti calicis injuriam patitur, excusationem apud Deum inventuram, ipsius Apologiæ verbis Thesi penultimâ ostendit. Verba in præmissis Discussionibus meis ad Punctum III D. Calovii Art. VII, IIX & XXIIX A.C. de Ecclesiâ, integre à me sunt producta. Atque sic iterum Calovius falsò sinistra suspicione Calixtum oneravit.

TERTIO *reiicitur* Calixtus quod in Epicrisi ad Colloquium Thoruniense Th. 3, 4, 9, 18. *Pontificios & Calvinianos* non

non obstantibus eorum de Eucharistia erroribus, vel, *etsi S. Eucharistiam non plene ut oportet, quatenus tamen datur & edocti sunt, & hactenus capere potuerunt, participent, pro civibus regni cœlestis & Christi membris, concorporibus & cohæredibus suis* habeat. Vt de *Calvinianis* primò respondeam, an non meminit Calovius quid socer D. Hülsemannus Disput. de Dogmat. ad salutem necessariis Th. xvi scripserit? Ne non reminiscentiam ejus habere possit, adscribo judicium viri, Calixtino sensui accommodatissimum *Præsentiam Christi corporalem in Cœna, ex ῥητοῖ verborum institutionis firmissimè sequi, indubitanter verum est. Si quis verò persuasus sit verborum Christi eum sensum non esse, ut corporalis ejus præsentia inde adstrui possit vel debeat, quia cum ascensione in cœlos & veritate humanæ naturæ Christi pugnet (vero ne an secus, jam non quæritur) hoc quæritur: An qui ita doctus sit, nec secus sentientes damnet, semet verò ab informatione non subtrahat, salutarem in Christi merito fidem collocare non possit, propterea quod verba cœnæ non intelligenda esse censet pro ut jacent? Quod erret dubium nullum est: an exitialiter erret, maximum. Sane veritatem verbis Christi qui detrahit, sibi ipsi Salvatorem detrahit, qui in uno nō minus falsum dicere potuerit, quam in altero. An verò is salute excidat qui ignoranter detrahit, imò quod non detrahat plane persuasus est, affirmare non ausim.* Si igitur tanta Calovio est libido rejiciendi Calixtum, rejiciat eadem opera cum Calixto hic sentientem socerum Hülsemannum. De errore *Pontificiorum* circa sumptionem utriusque speciei, ad verba Lutheri & Apologiæ A. C. jam provocavi. Cum quibus & sensit & docuit D. Calixtus, ut ille hic rursus *rejici* nequeat, nisi Lutherum & Apologiam Calovius etiam *rejicere* velit. Sed quid opus est multis? Calovius supra quando suum *Profitemur & docemus* ingeminabat, mala fide verbis librorum Symbolicorum immiscebat isthæc propria sua, *satis caussæ esse cur inter eos* (Pontificios & Calvinianos in doctrina de sacrâ cœnâ modo non uno à veritate aber-

aberrantes) *& Doctores Augustanæ Conf. addictos, fraternitas in Christo non posset iniri.* Quæ verba quum non sint Librorum Symbolicorum, Calixtus, etiamsi vel maximè aliquid illis contrarium docuisset & statuisset, libris tamen Symbolicis adversatus esse nullo jure dici posset. Neque enim Calovio contradicentem, vel crimen læsæ majestatis commisisse, vel libros Symbolicos contumeliâ affecisse, existimavero.

PVNCTVM III.

Apol. Aug. Conf art. 8. pag. 155. Teut. f. 67, b

PRofitemur *& docemus*, hypocritas *equidem* & malos admixtos esse Ecclesiæ, & Sacramenta esse efficacia, etiamsi per malos ministros tractentur, quia ministri funguntur vice Christi, non repræsentant suam personam juxta illud, qui vos audit, me audit, Luc. x, 16. impios tamen doctores deserendos esse, *nec à Pontificiis ac Calvinianis Cœnam Dominicam libere debere sumi*, quia hi jam non funguntur persona CHRISTI, sed sunt Anti-Christi, Vnde CHRISTVS ait: Cavete à Pseudoprophetis, Matth. VII. vers. 15. Et Paulus: Si quis aliud Evangelium evangeliaverit, anathema sit, *Gal. 1, 8. Item, unus panis, unum corpus multi sumus: nam ex eodem pane omnes participamus. Videte Israelem secundum carnem; nonne, qui edunt victimas, participes sunt ejusdem altaris? 1. Cor. X. 17. 18.*

Rejicimus eos qui docent, aliquem posse Cœna Dominica uti pro circumstantia loci, in quo versetur, hoc est, ritu Pontificio, si inter Pontificios, & ex more Calvinianorum, si apud eosdem commoretur.

Ita docet D. Georgius Calixtus, in der Verantwortung auff Churfürstl. Durchl. zu Sachsen Schreiben / §. 27. hisce verbis: Quotquot ista (in Symbolo nempe Apostolico comprehensa) firmiter credunt, neque secundum carnem, sed sobriè, justè, piè in hoc seculo vivunt, nihil contra conscientiam suam agunt, nihil affirmant, nihil negant; Quanquam in quibusdam articulis, morisque quæstionibus veritatem exactè non attingant, cœnâ autem dominica utuntur, prout datur, ipsique justum & licitum esse putant; De his aliter judicare, aut statuere mecum non possum, quàm quòd Christiani sint, ac per hoc digni, ut Christiana charitate & affectu iis obviam eatur.

Das

Das ist: Welche nun dieses (was im Apostolischen KinderGlauben stehet) festiglich glauben/ und nicht nach dem Fleisch/ sondern züchtig/ gercht und gottselig leben in dieser Welt/ und wieder jhr Gewissen nichts handelen/ nichts bejahen noch verläugnen/ ob sie schon in etzlichen Stücken und ercegeten Fragen es nicht recht und genau treffen/ und des Heiligen Nachtmals sich gebrauchen/ wie es jhnen werden kan/ und sie auch recht zu seyn vermeinen/ so kan ich doch bey mir anders nicht ermessen oder statuiren/ als daß sie Christen sind/ und dannenhero würdig/ daß man jhnen mit Christlicher Liebe und Gewogenheit begegne.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI III.

VErbis Apologiæ, Calovius denuò hæc sua infarcit, *nec à Pontificiis ac Calvinianis Cœnam Dominicam libere debere sumi.* Etiam in eo sincere non agit, quando allegans verba Apologiæ ad Art. IIX Confessionis, *Impii Doctores deserendi sunt quia hi jam non funguntur personâ Christi sed sunt Anti Christi*, quæ Apologia de impiis Dd. indeterminatè profert, ille præcisê refert ad *Pontificios & Calvinianos*. Etsi verò inter hos sint *impii Doctores*, tamen Apologia nec ad hos, nec ad alios aliquos præcise respicit, sed generaliter tantùm loquitur. Et tandem illa quoque addit. *Unus panis unum corpus multi sumus: nam ex eodem pane omnes participamus. Videte Israëlem secundum carnem; nonne qui edunt victimas, participes sunt ejusdem altaris?* I Cor. x, 17, 18. Reiicit nunc eos qui docent, *aliquem posse Cœnâ dominica uti pro circumstantiâ loci, in quo versetur, hoc est, ritu Pontificio si inter Pontificios, & ex more Calvinianorum, si apud eosdem commoretur.* Et ita docere ait D. Georgium Calixtum, in der Verantwortung auff Churfürstl. Durchl. zu Sachsen Schreiben Num. XXVII, ex qua Responsione verba quædam adscribit. Cæterùm dum illa, eo, quo in proximâ rejectione posuit sensu, accipit & interpretatur, manifestam eorum ψευδερμηνείαν committit. Accipit nempè D. Calixti sermonem ita,

quaſi is inculcet, ALIQVEM, quicumque is ſit, etiam Lutheranum *poſſe* ſalva conſcientia *Cœnâ Dominica uti; pro circumſtantia loci in quo verſetur, hoc est ritu Pontificio ſi inter Pontificios, & ex more Calvinianorum ſi apud eoſdem commoretur.* At hoc minime ſonant Calixti verba, & eſt menti ipſius alibi ſatis, ut mox oſtendam, declaratæ, planè adverſum. Id tantùm Germanicis iſtis à Calovio adſcriptis docet Calixtus, eos qui inter Pontificios nati ſint & educati **Ob ſie ſchon des Heil. Nachtmahls ſich gebrauchen/ wie es jhnen werden kan/ und ſie auch recht zu ſein vermeinen**/ h. e. etſi per iniquitatem temporis & conditionis qua poſiti ſunt, uſu Sacramenti minimè probando cogantur eſſe contenti, tamen, ſi cætera ſe habeant, quales eos ſeſe habere in præcedentibus poſtulaverat, Chriſtianos eſſe, & ceu tales tractari debere. Hanc eſſe Calixti mentem ipſa verba tàm aperte loquuntur, ut dubitare ea de re vix quiſquam poſſit, Et hinc apertum. D. Calovium ea pro lubitu & violenter in calumniam, more conſueto, abripuiſſe. Quis credat ignorare Calovium, in ipſa illa Epicriſi ad Colloquium Thorunienſe, quam ipſe toties perrepſit & miſerè adeo lancinavit, Numero VI ſcripſiſſe Parentem quæ ſubijcio? *Qui intelligit Tranſſubſtantiationem nullam eſſe, & ex revelatione Divina demonſtrari non poſſe; panem benedictum ſive conſecratum, tanquam ipſum Dominum, extra uſum præſertim, non adorabit. Qui præterea certus est, videt & intelligit Dominum Euchariſtiam aliter non inſtituiſſe, quam ut τὰ εὐχαριστηθέντα, tum panis tum vinum diſtribuantur, qui ſi aut Miſſas communione deſtitutas probaverit, aut ſub una communicaverit, Deum iratum habebit: agit enim aliter & contrà quàm Deus mandaſſe novit. Qui vero in conſortio partium retinaculis & nexibus, quos rumpere vel ſolvere hactenus nequiverint, detinentur, atque vi ingenii quod diximus, nondum potuerint penetrare, à Deo miſericordiarum patre ignorantiæ ac hallucinationis ſuæ veniam conſequuturos ſperamus, quum credant in unigenitum*

tum ejus filium; in quem qui crediderint non peribunt, sed habebunt vitam æternam; etiamsi impedimentum insuperabile, Eucharistiæ usum penitus ademerit: cur non igitur, etiamsi error inextricabilis usum legitimũ interceperit? præsertim si in cæteris, quæ sibi ex divino mandato sive facienda sive fugienda esse intelligunt, morigeros se præbeant. Ista ibi Calixtus, quibus, præteritis quæ alibi in eundem sensum scripsit, addo ex Appendice alterâ ad Ernestum Hassiæ Landgravium hæc quæ sequuntur. *Quoniam* Pontificii *Eucharistiam iis, quibus ante hac ostensum fuit modis, à verbis & institutione deflectentes, inquinarunt; ego hac de re persuasus & certus in participatione Eucharistiæ cum iis communicare non possum: opto tamen & desidero eos erroribus exemtis ad saniorem mentem reduci, & obstacula quæ actualem communionem remorantur aboleri. Idem ferè de Reformatis dixero. Atque ita hic quoque non est actualis communio sed virtualis* (posita in serio desiderio, voto, adfectu & studio unam eandemque communionem restaurandi & frequentandi) *quanquam fortè multorum intuitu, non propinqua, sed admodum remota.* Eat nunc Calovius & non aliis nisi illis, quæ ista vel non legerunt vel non intelligunt, persuadeat, quod Calixtus actualem communionem admiserit, atque docuerit, in participatione Eucharistiæ, Lutheranos cum Pontificiis & Reformatis, vel hos cum illis communicare posse. Pag. 146.

PVNCTVM IV.

P*Rofitemur & docemus, verba institutionis Christi equidem esse fundamentum, quo articulus de cœna dominica innitatur; nec tamen esse contemnenda argumanta defensiva, ex quibus D. Lutherus in majori sua de cœna Domini confeßione poßibilitatem præsentiæ carnis Christi in cœna contra Zvvinglium & Carolostadium probavit,* & inter quæ secundum est, dextera Dei ubique præsens; ad quam Christus, ratione humanitatis suæ, vere & reipsa, collocatus est, ideoque præsens gubernat, in manu sua & sub pedibus suis, ut scriptura loquitur, habet omnia, quæ in cœlo sunt, & in terra. Ad eam Dei dextram nullus alius homo, ac ne Epit. Conc. art. 7. p. 599. 600. 601. & 752. Teut. 241. b. 242. & 301. b. 302.

 Ange-

Angelus quidem, sed solus Mariæ Filius collocatus est. Vnde & ea, quæ dixit, præstare potest, *ita quidem, ut in cœna Dominica Corpus & sanguis Christi vere & substantialiter sint præsentia, & una cum pane & vino verè distribuantur & sumantur*; *minime vero*, ut panis & vinum in Sacra Cœna substantiam atque naturalem suam essentiam amittant, & ita annihilentur: atque elementa illa ita in Christi corpus transmutentur, ut præter externas species nihil de iis reliquum maneat: vel, corpus Christi in Sacra cœna non ore una cum pane sumatur, sed tantum panis & vinum ore accipiatur: corpus vero Christi spiritualiter duntaxat, fide nimirum, sumatur: *quorum prius Pontificii & posterius Calviniani, adversus verba institutionis Christi, & doctrinam de omnipræsentia carnis Christi fundatissimam, inconcinnè prorsus ac heterodoxe propugnant.*

Rejicimus eos, qui non modo reprobant hoc fundamentum sed docent etiam dogma de Vbiquitate carnis Christi magis absurdum esse, quam Pontificiorum ac Calvinianorum dogmata quibus illi transsubstantiationem defendunt, hi vero docent, corpus Christi ab εὐχαριστίᾳ apud nos administrata tanto locorum intervallo distare, quanto cœlum abest à terra.

Ita docet D. Georgius Calixtus in judicio de Controversiis Theologicis, quæ inter Lutheranos & Reformatos agitantur, & de mutua partium fraternitate atque tolerantia propter consensum fundamenti, edito Francofurti an. 1650. p. 34. §. 45. his verbis: Stat ab ubiquitate hodie saltem pars aliqua eorum, qui Lutherani dicuntur; contra eam vero, quicquid reliquorum est Christianorum toto orbe, tum orientalium, tum Græcorum, tum Pontificiorum, tum Calvinianorum. Neque præter rem censeri potest, quod scribit Vir magni Iudicii, Marcus Antonius de Dominis libro suo VII. cap. II. n. 5. Vbiquitatem corporis Christi adhuc magis, quam est substantiatio, absurdam magisque impossibilem omnis bonus Theologus semper respuet: Asserere eam non est boni Philosophi, neque boni Theologi. Equidem D. Calixtus in Appendice der Wiederlegung/D. VVelleri §. 12. dicit. Scriptum istud informatorium, se inscio fuisse publicatum; Non tamen negat, se istius esse autorem, quin potius addit, se in gratiam cujusdam Principis (zu unterthänigstem Dienst einer hohen Fürstlichen Person) illud humillime confecisse.

EXA-

EXAMEN ET DISCUSSIO
PVNCTI IV.

QVarto hoc Puncto prolatorum nonnulla in Epit. Formulæ Concordiæ habentur quidem, non pauca tamen iis de suo assuit Calovius, quod ad vivum nunc quidem resecare nolo. Summa ejus quod hîc intendit Accusator in eo est posita, *Doctrinam de omnipræsentia carnis Christi*, quam ipse *fundatissimam* vocat, esse admittendam inter *argumenta* illa *defensiva* quibus *possibilitas præsentiæ carnis Christi in cœna contra Zuvinglium — probetur*. Mox *Reiicit* eos qui *non modo reprobant hoc fundamentum* defensivum, *sed & ubiquitatẽ carnis Christi magis absurdam esse dicant quàm Pontificiorum & Calvinianorum dogmata, quibus illi Transsubstantiationem defendant, hi* &c. Quia ergò res sic ad ubiquitatem redit, malo Lectorem regredi ad ea quæ suprà ad Punctum X. Articuli III A. C. à me sunt prolata, quam prolixius nunc respondere. Considerabit autem Lector cumprimis locum Heshusij ibi adductum. Quod si verò Calovius falsum esse putat, *ab ubiquitate hodie stare partem saltem aliquam eorum qui Lutherani dicuntur, contra eam verò niti, quicquid reliquorum est Christianorum toto orbe, tum Orientalium, tum Græcorum, tum Pontificiorum, tum Calvinianorum*, si hoc inquam falsum esse putat, ostendat allatis idoneis argumentis contrarium. Quando porrò Marcus Antonius *ubiquitatem magis quam est Transsubstantiatio absurdam* judicat, puto eum respexisse ad ubiquitatem quæ unioni personali à nonnullis est superstructa, & præsentiæ corporis Christi in cœnâ asserendæ magis obest quum prodest; non, ad eam, quam sessioni ad dexteram Dei deinceps inædificarunt. Hæc scilicet quum à liberâ voluntate Christi, & libero dexteræ Dei, hoc est, omnipotentis Divinæ virtutis humanitati Christi datæ exercitio suspendatur, multa quæ prior secum trahit absurda declinat

nat quidem, sed probari tamen adhuc & ipsa desiderat. Cæterum si Calovius propter reprobatum *Ubiquitatis dogma* nos *Reiicere* non desinet, nos eundem vicissim quoque in nomine Domini *Reiiciemus*.

PUNCTUM V.

Epit. Conc. art. 7. p. 600 Teut. 241. PRofitemur & docemus, non male D. Lutherum docuisse, quando dixit: primum fundamentum, *quo in negocio de Cœna Dominica contra Sacramentarios defendendo nitimur*, esse articulum fidei nostræ Christianæ; videlicet, Iesum Christum esse verum, essentialem, naturalem, perfectum Deum & hominem, in unitate personæ, inseparabilem & indivisum, *adeoque Christum Corpus suum & Sanguinem in Cœna præsentia exhibere posse, ob majestatem & virtutem divinam ac infinitam, quam, ut homo etiam, per & propter unionem personalem accepit, & ad cujus usum plenarium per sessionem ad dexteram Dei Patris fuit exaltatus.*

Rejicimus eos, qui docent, quod Christus corpus suum in Cœnâ sacrâ sistat præsens, efficere potentiam Dei peculiarem, non eam, quam Christus, secundum humanam naturam, per unionem personalem fuit adeptus. Item, qui docent, non esse adhibenda illa fundamenta defensiva.

Ita docet D. Conradus Hornejus in disputatione de verâ præsentiâ Corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi cum pane & vino in S. Eucharistiâ th. 35. 36. Verba sunt hæc: Certe de Humana natura Christi sacræ literæ docent, eam non immensam esse: Hæ enim tradunt 1. Christum cum hominibus ita conservatum esse in terris, ut alibi simul non fuerit 2. eædem testantur, Christum assumtâ Carne mundum hunc aspectabilem reliquisse, atque ascendisse in cœlos, quam ascensionem, nisi meram disparationem esse dixeris, adversus immensitatem carnis Christi firmum nobis argumentum præbere certum est 3. S. literæ promittunt inde rediturum Salvatorem, ut judicem vivorum & mortuorum agat. Hæc ut perspicua sunt, & nullis glossematis corrumpenda: Ita Humanæ Naturæ sive immensitatem, sive ubiquitatem (eadem enim hæc sunt) fortiter infringunt. Missa itaq; facta disputat. de Ubiquitate corporis Christi, nos nostri dogmatis circa præsentiam ejus inviolabile asylum facimus omnipoten-

potentiam Dei per quam Iesus Christus suo corpore adesse potest, in quibuscunque locis vult, & se adfuturum promisit. Aliud autem est, per omnipotentiam Dei corpus Christi in omnibus locis esse, ubi S. Eucharistia in terris celebratur: Aliud, esse propriè ubique & immensum, sicut divinitas. Vid. Dreier. Erörterung / pag. 426. 431. & 433. asserens atque contendens B. Lutherum deseruisse fundamentum de sessione ad dextram Dei. Ad has consequentias deduxerunt Lutherum Adversarii, abutentes articulo de sessione ad dexteram Dei: Ipse autem videns se parum efficere, suosque Adversarios abuti illationibus à sessione ad dexteram Dei sumptis, paulatim ab hac illatione destitit. Iterum pag. 431. Quia Lutherus in illatione sua ejusmodi phrasibus utebatur, quæ sinistræ interpretationi obnoxiæ erant, & ab adversariis ad absurda deducebantur, deseruit tandem hoc argumentum de Vbiquitate, admonens pariter alios, ut ab eo desisterent. Das ist: Auff solch folgen brachten die Wiedersacher den Lutherum / da sie den Articul vom sitzen zur rechten Gottes misbrauchten; Aber er sahe / das damit wenig außgerichtet würde / und das es die Wiedersacher sehr verkehrten / darumb hat er sich allmählig davon abgewend / & p. 431. Weil er aber hierbey solche Reden gebrauchte / die übel konten außgeleget werden / und von den Wiedersachern auff ungereimbte Dinge gezogen werden / ließ er dies Stück von der Allenthalbenheit endlich fahren / und vermahnet einen jeglichen / daß er davon abstünde. Item pag. 433 postquam produxisset Dreierus locum B. Luthero falso suppositum, quod non loquendum sit de omnipræsentia, addit: Si obsequendum est his monitis, nullæ sanè lites concitandæ sunt de omnipræsentia humanæ naturæ Christi. Das ist: Sollen wir diesem nachkommen / müssen wir gewis nicht viel fechtens / und streitens machen von der Allenthalbenheit der menschlichen Natur Christi.

EXAMEN ET DISCVSSIO.

PVNCTI V.

RVrsus hic verba priora, usque ad illa, *adeoque Christum corpus suum & sanguinem in cœna præsentia exhibere posse*, sunt citatæ Epitomes. Sequentia autem non hujus, sed sunt Caloviana. Neque tamen illa ipsa respuo. Omninò Christus virtute

virtute divinâ, quam humana natura *per & propter unionem personalem accepit*, ejusque *plenario exercitio*, corpus suum *potest* in S. Cœna *præsens exhibere*. Quid autem sibi vult Calovius quando *Reiicit eos qui docent, quod Christus corpus suum sistat præsens, hoc efficere potentiam Dei PECVLIAREM, non eam quam Christus secundum humanam naturam per unionem personalem fuerit adeptus?* Vbi conspicatus est potentiam illam Dei PECVLIAREM? Quis eam proposuit Helmstadii? *Ita docet*, inquit *D. Conradus Horneius in Disp. de vera præsentia corporis & sanguinis Domini nostri I.C. cum pane & vino in S. Eucharistia* (Anno MDCXLIIX Respondente M. Joachimo Hildebrando Walkenredensi habita) *Thesibus XXXIV, XXXV, XXXVI. Verba sunt hæc. Certè de humana natura Christi* & quæ sequuntur. Qui autem in illis quæ ibi recitantur, omnipotentiam Dei PECVLIAREM viderit, aut, per potentiam illam Dei, quæ humanæ Christi naturæ per & propter unionem personalem data sit, corpus Christi in S. Cœnâ posse præsens sisti, negatum deprehenderit, eum Argo magis oculeum esse oportet. Solus D. Calovius oculo illo *malo* (Matthæi xx, 15) assumpto, ita acutum videre potuit. Quæ ex D. Dreiero profert ad me non pertinent, qui ad contundendum Calovium satis validus, defensionem sui mihi non demandavit.

PVNCTVM VI.

Aug. Conf. art. 24. p. 25. & Apol. A. Conf. art. eod. p. 268. Teut. p. 10. 121. b, 122.

PRofitemur & docemus, panis fractionem & vini effusionem in ora fidelium non fuisse factam à Christo ob repræsentationem mortis Dominicæ, sed ob distributionem inter Communicantes, adeoque ἀρτοκλασίαν non fuisse formalem, seu essentialem ritum hujus sacramenti, sed tantum ministerialem, qui faceret ad meliorem distributionem, sicut ita Paulus sumit 1. Cor. x, 16. Panis, quem frangimus, i. e. distribuimus, est communicatio corporis Dominici. Præterea fractio hæc à Christo non est mandata, neque continetur verbis illis: Hoc facite ad mei commemorationem. Christus jubet facere in sui memoriam, ut fides in iis, qui utuntur sacramento, recordetur,

detur, quæ beneficia accipiat per Christum, & erigat & consoletur pavidam conscientiam. Nam id est meminisse Christi, beneficia meminisse, ac sentire, quod verè exhibeantur nobis. Meminisse Christi, *dicitur in Apologiâ Aug. Confess.* non est ociosa SPECTACULI celebratio, aut exempli causa instituta, sicut in tragœdiis celebratur memoria Herculis, aut Ulyssis, sed est meminisse beneficia Christi, eaque fide accipere, ut per ea vivificemur.

Rejicimus eos, qui doceat, Christum voluisse sanguinem seorsim, & tanquam à corpore separatum accipi; & voluisse benedictum panem, qui κοινωνία est corporis, frangi; & vinum calici infusum effundi in ora fidelium, ut ita passio ac mors & corporis cruciatus & sanguinis effusio repræsentarentur, & non modò menti, sed ipsis quoq; oculis per hujusmodi signa & actiones efficaciter ingererentur.

Ita docet D. Georgius Calixtus, in Exercitatione theologica de Sacrificio Christi semel in cruce oblato, & initerabili, habita Helmæstadi, die 21 Martii, MDCXXXIIX, §. 3. sequentibus verbis: Sola sanè præsentia & sumtio corporis sanguinisque Domini ad excitandam seriam mortis Domini recordationem efficacissimæ sunt. Voluit nihilominus Dominus corpus & sanguinem eo modo sumi, quin panem quoque & vinum cum quibus exhibentur, eo modo tractari, qui ad passionem animis fidelium ingerendam & imprimendam esset idoneus. Nempe voluit sanguinem seorsim, & tanquam à corpore separatum accipi, & voluit benedictum panem, qui κοινωνία est corporis, frangi, & vinum calici infusum effundi in ora fidelium, ut ita passio ac mors, & corporis cruciatus, & sanguinis effusio repræsentarentur, & non modo menti sed ipsis quoque oculis per hujusmodi signa & actiones efficaciter ingererentur. Idem docet Calixtus in Disputatione eâdem, eaque continuata, §. 94. 97. 98. Et uterque, D. Calixtus ac Horneius in Apologia contr. Busch. part. 2. pag. 264. Corpus autem Christi seorsim, & sanguis Christi seorsim exhibentur, ad eum modum, quo in passione & sacrificio separabantur: ut hoc etiam intuitu, & in sumptione separata diversarum specierum, uti vocantur, passionis & mortis salvatoris nostri, in qua sanguis à corpore separatur, tanto convenientius & penetrantiùs recordaremur, &c. Fractus hicce, & in frustra diminutus panis accommodus est, ut reminiscamur corporis Christi pro nobis fracti, id est tor-

ti, lacerati & concussi: Effusio vini accommoda est ut reminiscamur sanguinis Christi, bono nostro profusi. Das ist: Es wird uns aber der Leib absonderlich/das Blut auch absonderlich/wie es nemlich in dem Leyden/und in der Opfferung vom Leibe abgesondert war/außgetheilet/daß wir auch hierbey/und bey der Empfahung beyder unterschiedener Gestalten/wie man es nennet/des Leidens und Sterbens unsers Heylandes/in welchem das Blut vom Leibe geschieden worden/desto füglicher/und kräfftiger uns mögen erinnern. Dies zerbrochene und zerstückelte Brodt ist bequem/daß wir uns dabey erinnern/Christi Leib sey für uns gebrochen/das ist/gequälet/zerrissen/und zermartert/die Giessung des Weins ist bequē/uns zu erinnern/das Christi Blut für uns vergossen.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI VI.

FAlso præferunt nomen verborum Articuli XXIV Aug. Conf. & Apologiæ ad illum ipsum, quæcunque hic Calovius recitavit usque ad illa, *Christus jubet facere in sui memoriam &c.* Ab his demum usque ad finem, Augustana Confessio Art. citato & Apologia loquuntur.

Reiicit postea D. Calovius Calixtum, quod exercitatione I^mâ de Sacrificio Christi &c. Th. III, *eaque continuata Th. XCIV, XCVII, XCIIX,* doceat *Voluisse Dominum corpus & sanguinem eo modo sumi, quin panem quoque & vinum, cum quibus exhibentur, eo modo tractari, qui ad passionem animis fidelium ingerendam & imprimendam esset idoneus. Nempe voluisse sanguinem seorsim & tanquam à corpore separatum accipi; & voluisse benedictum panem qui κοινωνία est corporis frangi, & vinum calici infusum effundi in ora fidelium, ut ita passio ac mors & corporis cruciatus & sanguinis effusio repræsentarentur, & non modo menti sed ipsis quoque oculis, per hujusmodi signa & actiones efficaciter ingererentur.* Doctrinam autem hanc Calixtus non ex suo ingenio invenit, sed in fine adductæ à Calovio Exercitationis Thesi nimirum I, *è sententiis per Prosperum collectis* dicit *citare Lanfrancum, Algerum & Gratianum* hæc verba: *Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fi-*

ora fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur? His ipse addit decantatum illud Augustini, in Epistola XXIII ad Bonifacium: *Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum quarum Sacramenta sunt non haberent, omninò sacramenta non essent.* Ego autem à Calovio jure merito postulo ut ostendat, quomodo isthæc Calixti doctrina, cum Augustana Confessione ejusque Apologia pugnet? Quæ ille ex Confessione adducit dicunt, *Meminisse Christi esse ejus beneficia meminisse, ac sentire quod nobis exhibeantur.* Quasi verò illud negetur si quis statuat, etiam visibili fractione panis & visibili effusione vini, passionem quæ corpori Domini contigit, ejusque sanguinis effusionem quodammodo repræsentari, & *non modo menti, sed ipsis quoque oculis per hæc signa & hujusmodi actiones efficaciter ingeri!* Quasi quando hæc ita fiunt non possimus simul *meminisse* beneficiorum Christi! Nec ad hæc quoque externa fractionis panis, & effusionis vini signa attendere, *ociosa* tantum *spectaculi celebratio* fuerit, qualem Apologia Aug. Confessionis à Calovio objecta, improbat. Nam animi fidelium per hæc externa signa tanquam *picturam Verbi* (quod habetur 1 Cor. XI, 24 *Corpus meum quod pro vobis frangitur* h. e. laceratur vulneratur) excitati, ferri tunc possunt in passionem Domini tanquam ἀντίλυτρον suum, eamque sibi pia devotione applicare. *Idem enim est effectus Verbi & ritus* (exterioris actionis Sacramentalis) *sicut præclarè dictum est ab Augustino, Sacramentum esse Verbum visibile, quia ritus oculis accipitur, & est quasi pictura verbi, idem significans quod Verbum. Quare idem est utriusque effectus*, ait pulchrè & ad Calixti ac veterum quos ille hic sequutus est mentem, quàm proximè, ipsa Apologia A. C. de numero & usu Sacramentorum. Nulla igitur hic opinionis Calixti cum adductis Augustanæ Confess. & Apologiæ verbis pugna, sed conspirant quam optimè, & Apolo-

gia etiam non parum Calixto favet. Si cui tamen illa Calixti sententia non satisfaciat, cum eo sicut ipse non fuisset rixaturus, ita nec ego cum quoquam contendam. Sed quod cum August. Confessione ejusque Apologia illa Parentis mei opinio pugnet, hoc nego & pernego, atque Calovium, qui id temere asseruit manifestum illud facere jubeo.

Deinde quod ἀρτοκλασίαν *ob meliorem inter Communicantes distributionem à Christo factam esse* urget D. Calovius, & quod ideo *non fuerit formalis seu essentialis ritus hujus Sacramenti sed tantum ministerialis*, in eo Calixtum minimè habet dissentientem. Ita enim ille Epitomes Theologicæ pag. 227; *Fuit fractio panis adhibita non per se sed propter aliud, nempè ut panis distribui, accipi & comedi posset, quas actiones quoniam nos præstamus, mandato Christi satisfacimus.* Quamvis verò nos, qui non frangimus, institutioni Christi satisfacere existimet, non tamen id circo Calvinianos, fractionem retinentes, reijcit aut damnat. *Non quidem*, ait ibi, *damnantur à nobis, quod panem frangant; sed si nos damnent, quod non frangamus modo quo ipsi, inique faciunt & imperitè.* Nos scilicet, quum fractionis finem obtineamus, & nostræ hostiæ sive panis noster Eucharisticus etiam non fractus distribui, accipi & comedi possit, fractione, in solido & integro pane necessaria, supresedere possumus. Meminisse tamen debuisset Calovius illius quod Apologia loco citato in Missæ negotio observandum esse monet, nempe *Unius rei plures esse fines*; alterum igitur illum finem, ob quem panis fractionem & vini effusionem in ora fidelium factam esse diximus, nempe *repræsentationem mortis dominicæ* non penitùs excludere, sed utrumque, & hunc & illum admittere potuisset, præsertim quum nulla Confessio, nullus liber Symbolicus alterutrum excludat.

PUN-

PVNCTVM VII.

PRofitemur, & docemus, sacrificii Novi Test. species proximas duas esse, non plures. Vna est sacrificium propitiatorium, id est opus satisfactorium pro culpa, & pœna, hoc est, reconcilians Deum, seu placans iram Dei, seu, quod meretur aliis remissionem peccatorum, *& cujus vices sola mors Christi propitiatoria supplevit.* Altera species est sacrificium εὐχαριστικὸν, quod non meretur remissionem peccatorum, aut reconciliationem, sed fit à reconciliatis, ut pro accepta remissione peccatorum, & pro aliis beneficiis acceptis, gratias agamus, seu gratiam referamus. Apol. Aug. Conf. art. 24. p. 253. 454. Teut. 115.

Credimus, prudenter etiam factum, quod Confessio Augustana Nomen sacrificii in negotio de Cœna Domini consultò vitavit, propter ambiguitatem, ut Apologia testatur, p. 252.

Rejicimus eos, qui docent, præter duas istas Sacrificii species adhuc dari tertiam, quæ in Eucharistia deprehendatur peculiaris, nec extra eam occurrat. Non enim in Eucharistia, ut in aliis sacrificiis Eucharisticis, nudè & simpliciter Christum offerimus, sed respicientes ad eam præsentiam, quasi præsentem offerimus. Quare nihil eis videtur obstare, quin Eucharistia habeatur & appelletur sacrificium memorativum.

Ita docet D. Georgius Calixtus dicta exercit. §. 47. hisce verbis: Respondeo, & concedo omnino, etiam citra Eucharistiam offerri: addo autem, in Eucharistia peculiarem deprehendi rationem, quæ in precibus extra eam non occurrat. Nempe consideranda est præsentia corporis & sanguinis Domini Eucharistiæ propria. Non igitur, ut in aliis precibus, nudè & simpliciter Christum offerimus. Sed respicientes ad eam præsentiam, quasi præsentem offerimus. Et iterum §. 50. Nempe mors Domini, verum est sacrificium: In Eucharistia est memoratio mortis, atque adeò sacrificii Domini: Nihil igitur obstat, quin Eucharistia habeatur & appelletur sacrificium memorativum. Memoratur autem, & suo quodam modo repræsentatur mors Domini hoc ipso, quod panis frangitur, vinum funditur, corpus, quod in mortem traditum fuit, unà cum pane fracto manducatur, & sanguis unà cum effuso vino bibitur. Idem repeti-

tur ab eodem in Disp. eâdem continuata §. 97. 99. 120. 126. 133. 135. Et Apol. Helmest part. II. p. 248. docet: Christum non solùm pro vivis, verùm etiam pro mortuis in administratione Cœnæ immolari, vel offerri. Daß der HErr Christus nicht allein für die Lebendigen/ sondern auch für die Todten bey der Handelung des Abendtmahls geopffert werde.

EXAMEN ET DISCUSSIO

PUNCTI VII.

VErba Apologiæ allegata rectè se habent. *Rejectio* autem quæ sequitur frigidissima est. *Reijcit* videlicet Calixtum hoc nomine, quod *doceat præter duas istas sacrificii species adhuc dari tertiam, quæ in Eucharistia deprehendatur peculiaris, nec extrà eam occurrat. Non enim in Eucharistia, ut in aliis Sacrificiis eucharisticis nudè & simpliciter nos Christum offerre, sed respicientes ad eam præsentiam quasi præsentem offerre.* Et hinc *nihil obstare quin Eucharistia appelletur Sacrificium memorativum.* Quis verò non videat, ex eo quod in Eucharistia Christum ceu præsentem Deo Patri per preces offerimus, non emergere tertiam, à duabus illis ex Apologia repetitis Sacrificiorum speciebus, quæ sunt; Propitiatorium esse aut Eucharisticum, diversam? An non enim & illæ preces partim postulatoriæ, partim εὐχαριστικαὶ quibus in S. Cœna Agnum Dei hîc & nunc præsentem, Deo Patri offerimus, pertinent ad genus Sacrificiorum illud Apologiæ posterius? Certè ipsa Apolog. de Missa, titulo *Quid sit Sacrificium. §. Cæterum ipsa* &c; ait, *laus esse potest seu gratiarum actio, ipsa sumptio Cœnæ Domini, sed non ex opere operato justificans.* Accidentalis autẽ ab aliis sacrificiis Eucharisticis differentia tantum est, quæ hic occurrit in eo, *quod gratiosa præsentia corporis & sanguinis Domini in Cœna SINGULARE incentivum devotionis,* & occasionem, qualis aliàs non occurrit, præbet, *Deo tam mente quàm verbis & affectu repræsentandi meritum Filii, pro consequendis bonis temporalibus & Spiritualibus,* ut ipse

D. Hül-

D. Hülsemannus Breviar. Extens. cap. XIII Th, XVI est loquutus, quem Calovius & ipsum nunc reijciat, tanquam *tertiam Sacrificii speciem* præter duas illas ab Apologia positas introducentem. Porrò, quod docuit Calixtus Eucharistiam posse haberi & appellari *Sacrificium memorativum*, id conforme est aliorum præstantium è nostris Doctorum effatis, quorum unum & alterum nunc sufficiat produxisse. Vrbanus Regius scripto operibus ejus inserto, cui titulus, Materia cogitandi de toto Missæ negotio, Paragr. *Absit igitur* &c, pag. 62. *Cùm igitur non amplius cruenta hostia sit Christus, & Patres nihilominus sacrificium corporis Christi subinde in Ecclesia commemorent, cogita an ratio & Scripturæ conveniant, hoc quod olim victima erat pro peccatis, nunc Sacrificium dici ratione aliqua posse, quod tamen verò Sacrificio nihil deroget. Nam meo quidem judicio pietas nequaquam horrebit vocare SACRIFICIVM MEMORIALE.* Chemnitius Examin. Concilij Trident. de Missâ, Titulo Quo sensu veteres Liturgiam appellaverint Sacrificium Paragr. *Cyprianus Libr. VII* &c. *Secundo, actio cœnæ Dominicæ veteribus vocatur sacrificium oblatio, immolatio, quia cœna Dominica celebratur & usurpatur IN MEMORIAM seu COMMEMORATIONEM unici sacrificii Christi in cruce semel peracti,* & subijcit sententias Augustini, Chrysostomi ac Theophylacti. Instar omnium a.esse poterit B. Lutherus noster, qui libello vernaculo, Daß diese Wort Christi / das ist mein Leib / noch feste stehen / ita scripsit; Etliche nennens ein Opffer / umb des Willen / daß man des einigen Opffers dabey gedencket / daß Christus für uns einmahl gethan hat / gleich wie man alle Jahr den Ostertag nennet / Resurrectio oder Resurrectionis diem, die Aufferstehung / und spricht / heute ist Christus aufferstanden / nicht daß Christus alle Jahr aufferstehe / sondern daß man alle Jahr des Tages seiner Aufferstehung gedenckt. Nec desunt suffragia recentiorum. Editâ est Lipsiæ Anno MDCLI, Francisci Caroli Spinolæ, ad fidem Luthera-

nam

nam conversi Responsio, opposita Epistolæ Adami Widenfeldii Ducis Neuburgensis Consiliarij. Cujus responsionis, quantum ex stilo alijsque indiciis conijcere licet, auctor est D. Hieronymus Cronmaierus. Ubi de Missæ Sacrificio contra Widenfeldium disputat, his inter alia verbis utitur. *Contradictionem implicat sacrificium incruentum, cum sine sanguinis effusione non fiat sacrificium animaus vitæ. Patres quidem Eucharistiam ita vocantes, non intellexerunt Sacrificium propriè dictum, sed metaphoricum & spirituale, cujusmodi sunt preces, gratiarum actiones, laudes. Et ita COMMEMORATIVUM Sacrificium Eucharistiam dici posse CONCEDIMUS, quo tamen non sunt contenti, sed propitiatorium & propriè dictum correquirunt Pontificij.* In eadem Academia Lipsiensi prodiit Anno MDCLXI, Antwort auff das Instrumentum Pacis Ecclesiasticæ Timothei Laubenbergers von Reutlingen (Pontificij) auffgesetzet von M. Jodoco Schlaff / Pfarrherrn zu Gros-Zschochar in der Diœcesi Leipzig. Is auctor ad Punctum I, Th. XIV ita commentatur. Ist jhme (Laubenbergern) daß etwq Frembde / daß die unserigen nachgegeben / die Messe sey ein Wiedergedächtliches Opffer / des einmahl für uns geopfferten Lämbleins / *sive quod sit sacrificium COMMEMORATIONIS beneficiorum acceptorum & accipiendorum ex corpore & sanguine Christi præsentibus*, so hat Er der unsrigen Bücher nicht viel gelesen. Atque ita tunc Lipsiæ est scriptum & judicatum. At in Isagoge Carpzoviana in libros Ecclesiarum Lutheranarum Symbolicos, ad Artic. Smalcald. Parte II Art. II de Missa pag. 792 margini adscriptum *Sacrificium commemorativum non est concedendum Calixto*, isque in ipso textu hoc nomine reprehensus. Sive ipse Beatus Auctor fecerit, sive alius quispiam hoc addiderit, perinde est. Id saltem apparet, in Calixto damnari Lipsiæ, quæ alij eodem in loco cum approbatione illic scripserunt & ediderunt. Tanta est vis odii & affectuum. Sed redeundum ad rem est. Ast, *credimus* inquit

quit

quit Calovius, *prudenter etiam factum quod Confessio Augustana Nomen Sacrificii in negotio de cœna Domini consulto vitavit, propter ambiguitatem ut Apologia testatur pag. 252.* Sit hoc ita. Nunquam etiam Calixtus asseruit Confessionem hic non *prudenter* fecisse. Quando tamen deinceps adversarii in Confutatione Confessionis nostræ *Sacrificii* mentionem fecerunt, Apologia certè *Sacrificii* voce aliquoties uti non detrectat, nempè ut adversariis, illâ ad suam intentionem abusis occurreret, & ejus dextera expositione occasionem illis adimeret, obtentu illius vocis veteribus frequentatæ incautiores circumveniendi. Et hoc, nec ullo alio fine *Sacrificii* voce etiam Calixtus in hâc materia crebrius est usus.

Superest gravissima accusatio. *Apologia Helmst.* ait Calovius, parte II pag. 248. *docet, Christum non solùm pro vivis, verùm etiam pro mortuis in administratione cœnæ immolari vel offerri.* Sed respondeo Calovium verba mutilata prorsus dolosè allegare. Vt itaque fraus & impudentia ejus ad meridianum solem detegatur, locum integrum adscribere non pigrabor. Sic loquitur Helmstadiensis illa Apologia. Damit der günstige Leser es desto besser verstehen möge / wollen wir setzen daß wir von den alten Vätern einen bey uns / und denselben zu befragen fug und gelegenheit hätten. Alsdann wolten wir zu jhm sprechen / jhr Alten habet gelehret / daß im heiligen Abendtmahl dem himlischen Vater sein Sohn / dessen für uns in den Todt gegebener Leib und vergossenes Blut / sein Leyden und und Sterben geopffert werde / wie meinet jhr das / oder wie verstehet jhr dasselbe ? Er würde antworten / weil ein gleubiges Gebet ein Opffer genennet wird / uns aber je und alle wege gebühren wil / daß wir täglich / insonderheit aber in der Handelung des heiligen Nachtmahls Gott den himlischen Vater durch seinen Sohn und durch dessen für uns außgestandenes Leyden und Sterben und vergossenes Blut bitten und flehen / und jhme solches in Geist und

Glauben / und daher fliessenden Gebet fürtragen / als meinen wir durch solch Opffern anders nichts / alß eben dasselbe / nemlich / daß wir den Vater durch den Sohn / dessen Todt und Verdienst / anruffen und bitten. Ferner wolten wir fragen / jhr sprecht / daß jhr auch für die Todten opffert / wie vermeinet jhr dasselbe ? ER würde antworten / dieweil es der Christlichen Liebe gemes / und in der Kirchen von alters hergebracht ist / daß man für die Todten bittet / und aber alles was wir von den Vater bitten / ůmb Christum und seines Verdienstes / Leyden und Sterbens willen bitten / derowegen můssen wir / wann wir für die Todten bitten / eben so wol für dieselbe alß für die Lebendige bitten durch Christum / oder so wir die figůrliche art zu reden gebrauchen wollen / můssen wir dem himlischen Vater eben so wol im Gebete für die Todten / als im Gebete für uns selbsten und andere lebendige / Christum und sein Verdienst Leyden und Sterben fürtragen und opffern. Wie wir nun für dem Altar bey der Handelung des heiligen Abendtmahls alle unsere Gebet verrichten (gleich wie JHR anjetzo nach gehaltener Predigt auff der Cantzel) also beten WJR auch daselbst für die Todten. Und daß meinen **die Unserige** / (Veteres) wann sie sprechen / daß der HErr Christus nicht allein für die Lebendigen sondern auch für die Todten bey der Handlung des heiligen Abendtmahls geopffert werde. Ex his jam unusquisque vel manibus palpabit, Calixtum hic introducere aliquem veteris Ecclesiæ hominem, ad interrogationem quam nostrum aliquis hodie facturus esset; quidnam priscis temporibus per voces *sacrificii* & *oblationis* ac *offerendi* in Missâ *pro vivis & mortuis* à veteribus & coætaneis suis intellectum sit? respondentem; neutiquam autem ex suâ sententia asserere, daß der HErr Christus nicht allein für die Lebendigen / sondern auch für die Todten bey der Handelung des Abendmahls geopffert werde. Qua fide, quo candore hic egerit Calovius, judicent omnes honestatis saltem civilis amantes.

PVNCTVM IIX.

PRofitemur, & docemus, Missam in Papatu esse maximam & horrendam abominationem *ac idololatriam, dissentientem à Scripturis sanctis, & lædentem gloriam passionis Christi, adeoque Pontificios, qui cum* Campegio *dicunt*, se prius omnia tormẽta, membrorũ dilaniationẽ & mortẽ passuros, quã Missam missam facturos *esse, esse idololatras, nec pro fratribus in Christo habendos. Doctrinas, de effectibus Missæ*, esse improbandas, veluti perniciosos errores, qui lædunt gloriam passionis Christi, & penitus obruunt doctrinam de justitia fidei. Esse cultum regni Anti-christi. Omnes, qui verè credunt Evangelio, debere improbare illos impios cultus: Admonendosque omnes, ne adjuvent Adversarios defendendo profanationem Missæ, ne gravent se societate alieni peccati. Magnam causam, magnamque rem esse, nec inferiorem illo negocio Eliæ Prophetæ, qui cultum Baal improbabat, *ut Apologia Aug. Confess. loquitur pag. 275, 276.* Aug. Conf. art. 24. p. 26 & artic. Smalc. p. III. art. 2. pag. 305. & 306. Teut. fol. 11. b. 137. b. Teut. 115.

Rejicimus eos, qui docent, Pontificios fundamenta salutis tenere, ac proinde membra Christi esse, ac fore cives regni cœlestis, licet contaminati sint pluribus erroribus, superstitionibus, abusibus & corruptelis, omni sacræ scripturæ & consensus ex prima Ecclesia derivati testimonio planè destitutis, avaritiæ, luxui & ambitiooi famulantibus, sive ad aucupandam pecuniam & stabiliendam terrenam cleri, & imprimis Romani Pontificis sublimitatem & potentiam comparatis, & quod maximum, ac idololatriæ Pontificiæ fundamentum est, pro Missa idololatrica, tanquam pro aris & focis, pugnent.

Ita docet D. Georg. Calixtus, qui sanè non potest diffiteri, quod, qui ad Ecclesiam Pontificiam transeat, impingat in Ecclesiam contaminatam pluribus erroribus, superstitionibus, abusibus & corruptelis, omni sacræ Scripturæ & consensus ex prima Ecclesia derivati testimonio planè destitutis, avaritiæ, luxui & ambitioni famulantibus, sive ad aucupandam pecuniam & stabiliendam terrenam cleri, & imprimis Romani Pontificis sublimitatem & potentiam comparatis, sicut licet legere, in Responso ad Illustriss. Principem. Ernestum Landgravium Hassiæ, &c. publicato Helmestadi CIↃ IↃ C LI. pag. 12. Interea tamen non veretur Pontificios, utut istis erroribus, superstitionibus

tionibus abusibus & corruptelis sint contaminati, sub Dei etiam & sanctorum Angelorum contestatione, pro membris Christi & civibus regni cœlestis proclamare, quemadmodum patet ex ejusdem consideratione & Epicrisi ad Colloquium Thoruniense, §.3.4.9.&18.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI IIX.

VErba ex August. Confess. Art. XXIV, Art. Smalcaldicorum Partis III Art. II conquisita in suis sedibus pleraque habentur, ideoque in illis nihil magnopere desidero, nisi hoc unum tantùm, quod Calovius ista *Nec pro Fratribus habendos*, iterum è privato suo promptuario subtiliter inferuit. Illis verò à se partim coagmentatis partim etiam de suo locupletatis verbis innixus, *Reiicit* Calixtum quod *doceat*, *Pontificios fundamenta salutis retinere*, licet *contaminati sint pluribus erroribus & superstitionibus —— &*, *quod maximum*, *ac idololatriæ Pontificiæ fundamentum est*, *pro Missa idololatrica tanquam pro aris & focis pugnent*. Respondeo, Cœtum quendam è Christianis coactum contaminatum esse pluribus erroribus, & eundem tamen fundamentum salutis adhuc retinere, inter sese minime pugnare, nec unum tollere statim alterum. Repeto hic verba D. Gerhardi è loco de Ecclesiâ Cap. X, Parag. 126. non procul à fine. *Non statim desinit esse vera Ecclesia, si maximè in quibusdam religionis capitibus non pure doceat.* Idem Vir doctissimus Loco eodem de Ecclesia Cap. VI §. 83 in fine de Papistica Ecclesia speciatim loquatus, *Si*, inquit, *veræ doctrinæ confessio, & legitimus Sacramentorum usus NOBIS liber fuisset relictus, forte non discessissemus ab externâ Ecclesiæ Romanæ Societate.* Ergò Ecclesiam Romanam, quantumvis multis erroribus cumulatam, ita adhuc comparatam judicasse Gerhardum necessum est, ut externa tamen societas cum eâ à nostris coli potuisset. Sed pergit Calovius, pro *membris Christi* Calixtus Pontificios agnoscit; *pro Missâ idololatrica tanquam*

pro

pro aris & focis pugnantes. Respondeo denuo, Calixtum de iis Pontificiis qui *rem quomodo sese* in Missa *habeat* quod ibi extra usum panis, nec aliud quam panis adoretur *intelligant, quales nullos esse, vix* ait *se induci ut credat; proventibus* interim *& honoribus auctorati contra quàm intelligunt alios ducant & doceant*; de talibus inquam aperte professum esse, quod illi *certissimè damnationi se obnoxios reddant.* Ita scripsit & docuit his ipsis modo adductis verbis Disp. II de Transsubstantiatione Th. LXXII. Ergo tales Papistas *pro membris Christi & civibus regni cœlestis* non agnovit Calixtus. Sed quis pius & æquus de Papistis in communi, ad eundem modum vel præsumat, vel judicet? Lucas Osiander Epit. Histor. Ecclesiast. Cent. XVI, Lib. II cap. LXIIX, ad *Interim* Augustani titulum *De notis & signis Ecclesiæ veræ* hæc annotavit. *Secundam notam veræ Ecclesiæ dicunt esse rectum Sacramentorum usum. Et hæc est vera nota Ecclesiæ. Sed etiam hac ipsa nota Interimistici compilatores, adimunt Pontificiæ suæ Ecclesiæ nomen veræ Ecclesiæ. Pontificij enim sacramentum Cœnæ Dominicæ mutilarunt, Laicis alteram Sacramenti partem subtrahentes, calicem videlicet sanguinis Christi. Et sacramentum corporis & sanguinis Christi, institutum ad fidei nostræ confirmationem impiè transfigurarunt & transmutarunt in Sacrificium propitiatorium pro peccatis vivorum & mortuorum: itaque apud Pontificiam Ecclesiam non est rectus usus sacramentorum. Laici autem Christiani in Papatu non sustinent culpam mutilati & transmutati Sacramenti Cœnæ Dominicæ. Itaque in Papatu est quidem aliqua Christi Ecclesia, sed illi mutilatores & transfiguratores Sacramenti, non sunt Ecclesia vera, sed sunt Ecclesia malignantium, lupi sunt non autem pastores.* Osiander itaque dudum ante Calixtum Papistas promiscue ob mutilam S. cœnam & Sacrificium Missaticum, pari culpæ noluit involvere, sed Laicis potius nomen *Ecclesiæ Christi* voluit relinquere, & *mutilatoribus* tantùm ac *transfiguratoribus sacramenti* illud detrahere. Est quidem *rectus Sacramento-*

mentorum usus nota vera Ecclesia, ut dicebat Osiander. Quum tamen *pura Verbi prædicatio legitimum sacramentorum usum includat, cumque NON sit EADEM sacramentorum, quam est Verbi & Fidei ad salutem NECESSITAS (si quidem Ecclesia per XL annos in deserto circumcisionem intermisit) ideò si strictè velimus loqui, potest una tantum propria & essentialis Ecclesiæ nota constitui, videlicet pura verbi prædicatio, cujus APPENDIX est legitimus Sacramentorum usus*; (verba iterum sunt D. Gerhardi, loco de Ecclesia cap. x Th. 126) Ergò corruptela in Sacramentis, v. g. in sacramento Cœnæ, non efficiet, ut illi inter quos ita obtinet, non sint amplius *membra Christi, cives regni cœlestis*, uno verbo non sint Ecclesia. Calixtum itaque si *rejicere* hic perrexerit Calovius, nihilò certè benigniùs cum Osiandro agere poterit. Quod si *pro Missa idololatricâ tanquam pro aris & focis pugnasse* dici fortè & illi debent, quotquot exponunt tantum, quinam idololatriæ quam illa sapit, rei agantur, quinam ab eadem absolvi debeant, orthodoxorum Theologorum plures tanquam Missæ idololatricæ propugnatores habendi & Calixto jungendi erunt. Adijcerem huic tractationi nonnulla ex Epicrisi ad Colloq. Thoruniense quæ Th. VI exstant, & ad suspicionem, quâ Calixtum onerat Calovius, amoliendam inprimis faciunt, nisi antea Animadversionibus ad Punctum III in X, XXII & XXIV Art. A. C. integrè producta essent. Ut igitur verborum faciam compendium, Lectorem eò remitto.

ARTICULUS XII.
AUGUSTANÆ CONFESSIONIS DE POENITENTIA,
PUNCTUM I.

PRofitemur & docemus, constare pœnitentiam propriè his duabus partibus. Altera est, contritio, seu terrores incussi conscientiæ agnito peccato. Altera est, fides, quæ concipitur ex Evangelio, seu absolutione, & credit, propter Christum remitti peccata, & consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat. Deinde sequi debent bona opera, quæ sunt fructus pœnitentiæ. Aug.Conf. art. 12. p. 13. & Apolog. Aug.Conf. art. eod. p. 168. & seqq Teut. fol. 5. & 37.

Rejicimus eos, qui docent, non propriè loqui, qui duas pœnitentiæ statuunt partes, contritionem scilicet & fidem.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Epitome Theologiæ, p. 251. Verba sunt hæc: Porro ex iis, quæ de lege & Evangelio diximus, constat, quare pœnitentiæ, sive conversionis hominis ad Deum duæ statuantur partes, contritio scil. & fides, quibus à nonnullis additur nova obedientia. Verum propriè loquendo Contritio ipsam conversionem, quæ formaliter conversio sit, antecedit, novitas vitæ subsequitur; ipsa vero fides est forma Conversionis: Hac enim posita homo conversus esse dicitur: Negatur autem conversus esse, si absit. Essentialiter igitur conversio in fide consistit, Contritio autem & Novitas vitæ una cum fide simul accipi possunt, quasi partes integrales conversionis, complexum illorum actuum, qui ante, in, & post conversionem requiruntur, significantes.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI I.

IMpetravit tandem à se D. Calovius ut sine additione Augustanæ Confess. verba allegaret; quæ enim ex Articulo XI hic proferuntur, satis rectè se habent. Quod autem *Reiicit* Calixtum ideò, quia doceat, *non propriè loqui eos qui duas Pœnitentiæ*

tentiæ partes statuunt, contritionem scilicet & fidem, partim falsa est accusatio, partim nullius momenti cavillatio. Epitomes Calixtinæ verbis quæ allegat & vellicat, nemo dictum videbit, quod Calovius fingit, *non propriè loqui eos*, qui duas pœnitentiæ partes statuant, contritionem & fidem. Non enim quenquam ibi reprehendit Calixtus, sed suam duntaxat sententiam exponit, nihil ostensurus aliud nisi hoc tantùm, quod, etsi tàm contritio quam fides ad Pœnitentiam requirantur, potissimum tamen momentum in fide consistat. *Propriè loquendo*, inquit, *contritio conversionem, quæ formaliter Conversio sit, antecedit, novitas vitæ subsequitur. Ipsa verò fides est forma conversionis* —— *Essentialiter conversio in fide consistit*. Quid hic desideret qui nodum in scirpo non cupiat quærere? Audiamus Leonh. Hütterum in Locis de partibus Pœnitentiæ, pag. 758. col. B. *Romanenses licet concedant, fidem in pænitentibus esse necessariam, conditionis tamen saltem alicujus, non vero ipsius essentiæ propriam, h. e. requisitum tantùm quoddam in homine pænitente, non verò partem ESSENTIALEM & quasi FORMALEM pænitentiæ fidem esse concedunt.* Hutterus itaque voluit fidem *partem formalem*, seu formam pœnitentiæ haberi, & hactenus cum Calixto consensit, atque à nemine tanquam Augustanæ Confess. contradicens est rejectus.

PUNCTUM II.

Art. Smalc. part. 3. art. 3. p. 1212. Teut. 143. 144. PRofitemur & docemus, *Contritionem illam, quæ est pars prior pœnitentiæ*, non esse contritionem activam, factitiam, *elicitam ab homine ipso*, aut accersitam sed esse contritionem passivam, cruciatum conscientiæ veram cordis passionem & sensum mortis *incussum* malleo legis divinæ conterente petras, *quemadmodum subactio & diductio ferri non est motus actionis, sed passionis ferri Ierem.* XXIII. *Elicitam autem & voluntariam mortificationem concupiscentiæ, recognitionem & examen quotidianorum lapsuum esse jam conversorum & credentium Apolog. Aug. Conf. artic. de pœnit. pag. 169.* Teut. pag. 73. & 74.

Rejici-

Rejicimus eos, qui docent, Hominem convertendum cooperari ad conversionem suam inde à primo initio conversionis suæ, cum ad Deum convertitur, & primum justificatur. Pœnitentiam agere, ut à τῷ credere & pie vivere distinguitur, esse non pati aliquid, sed agere. Sollicitudinem hominis de salute sua, & curam de mediis ad salutem suscipiendis præcedere collationem gratiæ divinæ, quæ in suo genere supernaturalis est. Actus illos esse in hominis potestate sitos, quos Deus ab ipso præstari velit, priusquam ad auxilia & dona supernaturalia progressus fiat.

Ita docet D. Conradus Horneius part. II. Disp. Theol. Disp. III. thes. 34. p. 267. & thes. 36. p. 269. 270. Σύνεργος Dei voluntas nostra fit, seu divinæ gratiæ cooperatur, non tantum cum homo jam conversus, renatus & justificatus, & in fide & charitate crescit, & opera pietatis per gratiam justificantem & inhabitantem facit, sed etiam, cum per auxilia gratiæ prævenientis, præparantis & adjuvantis ad Deum convertitur, & primum justificatur. It. Scriptura conversionem nostram non Deo tantum, sed nobis etiam tribuit Item sub finem Theseos: *Credere, pœnitentiam agere, pie vivere, non pati aliquid est, sed agere.* Calixtus in Epit. Theol. p. 241. 242. Certum est, hominem posse esse sollicitum de sua salute, posse suscipere curam de mediis ad eam: Hoc qui faciunt, eos Deus majoribus auxiliis dignatur, ut intelligant verbum &c. Et hoc ab homine præstari vult, priusquam ipsi majora & specialiora, & suo genere supernaturalia suppeditet auxilia. Non negamus, esse quosdam actus in hominis potestate sitos, quos ab ipso Deus præstari velit, priusquam ad auxilia & dona supernaturalia progressus fiat. Vide Eũdem in Epit. Theol. moral. p. 267. & in Disp. de Pactis n. 158. & Dreieri Erört. p. 512. seq.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI II.

Etiam hic verba Articulor. Smalcald. insertis his, *quemadmodum subactio & diductio ferri, non motus actionis sed passionis ferri Ierem. XXIII*, sunt locupletata. Quod additamentum insuper non est simpliciter verum. Quum subactio & diductio ferri ut ab agente procedit, omnino motus actionis fit, passio autem tantùm quatenus in ferro subacto & diducto

recipitur. Nec in cap. citato Ieremiæ, de ſubactione ferri veſtigium licet reperire. Apologiæ verba vix quoad ſenſum loco allegato habentur.

Jam quod Hornei verba & priora quidem, propter quæ ille à Calovio *reiicitur*, attinet, quod *voluntas noſtra fiat συνεργὸς Dei ſeu Divinæ gratiæ cooperetur —— etiam cum per auxilia gratiæ prævententis præparantis & adjuvantis ad Deum convertitur, & primùm juſtificatur*, hoc puto illa velle, in primo actu deliberato quem homo viribus gratiæ per verbum & Spiritum Sanctum jam inſtructus elicit, confidendo in gratiam Dèi & meritum Chriſti, habere ſe jam voluntatem activè. Qui ſenſus probus fuerit. Et eodem modo capienda erunt illa ejus reliqua verba, *Scriptura converſionem noſtram non Deo tantum, ſed nobis etiam tribuit*, nempe quod per fidem nos ad Deum convertamus. Voluntas enim gratiâ per Verbum inſtructa & præparata à Domino, quando primum actum deliberatum fiducialem in meritum Chriſti, cujus interventu homo *primùm juſtificatur* elicit, activè utique ſe habet. In iis autem quæ tertio loco ex Horneji diſputatione allegantur verbis, neminem ſperamus tàm abſurdum futurum, ut poſtulaturus ſit, *credere & pie vivere* (hæc minimùm duo) *eſſe, non, agere ſed pati*; fidem & pietatem vitæ, paſſiones non actiones eſſe deinceps exiſtimandas. Quid enim? an fides, aſſenſus ille intellectus, & actus voluntatis, qualem eam omnes hactenus Doctores noſtri habent, non ſit amplius actus vitalis? Hæc certe extrema fuerit abſurditatis linea. Reliquum itaque jam eſt, ut ſola illa Horneii bina verba, *pœnitentiam agere* captaverit Calovius, atque propter hæc Horneium Articulis Smalcaldicis, *contritionem paſſivam* alicubi facientibus contradixiſſe, ſibi aliiſque perſuadere voluerit. Iudicet nunc Lector an fas & æquum ſit, ex unâ voculâ de mente Auctoris alicujus tam præcipitanter velle judicare, eumque ſtatim tanquam

falſum,

fallum, & à libris Symbolicis abeuntem reijcere. Fatetur D. Joh Bened. Carpzovius in Isagoge ad hunc ipsum Articuli Smalcaldici à Calovio objectum locum, *Concurrere aliqua in contritione, quæ actus rationem habeant, utpote sunt* ait, *peccati agnitio, humiliatio, confeßio, detestatio peccati, & votum quo peccator optat, ne nunquam commisisset peccatum, quæ VULGO etiam ad ipsam contritionem referuntur* (inquit) etsi *minimè in illis essentiam contritionis* velit *consistere, quin potius adjuncta saltem contritionis esse, cujus formale sit paßio, dolor, horror, morsus.* Si igitur Horneius, *pœnitentiam agere* de iis, quæ fatente Carpzovio ceu *actus vulgò ad contritionem referuntur,* intellecta voluerit, quomodo Articulis Smalcaldicis contritionem *paßivam* esse dicentibus, contradixerit? Certè non magis id fecerit, quam id fecisse crediderit Calovius suam Concordiæ Formulam, quæ Art. V de Lege & Evangelio Paragr. *Sed & Pœnitentiæ vocabulum* &c. pag 611, ita loquitur: *Pœnitentiam agere* (quas voculas Horneius usurpabat) NIHIL ALIUD *significat quam peccata verè agnoscere, seriò dolere, à peccatis inposterum abstinere.* Ecce, Formula Concordiæ *ipsa*, τὸ *pœnitentiam agere*, non tantùm explicat per ea, quæ *actus*, non passionis rationem habere Carpzovius admittebat, sed etiam exclusivè loquitur, *nihil aliud esse* dicens, quàm tales actus. Quod si ergo Horneius τὸ pœnitentiam agere, inter actiones collocans Articulo Smalcaldico illi quem Calovius obiicit, contradixit: Formula Concordiæ *Pœnitentiam agere nihil aliud, quàm peccata agnoscere, de iis dolere, ab iis abstinere* (qui actus sunt) *esse* docens, multò magis Articulis illis contradixit. *Reiiciat* itaque aut illam quoq; Calovius, aut Horneium, deinceps hoc nomine missum faciat.

Aliàs contritionem nondum renatorum, aut, in peccata mortalia prolapsorum, non *Activam* sed *Paßivam* esse a Lucâ Osiandro Epit. Hist. Eccl. Centur. XVI Lib. 3. Cap. 7. Can. V.

sic video esse expositum. *Vera contritio non ita est in potestate hominis, ut quacunque horâ homo velit, possit in corde suo excitare veros dolores, & seriam peccatorum detestationem. Sed vera contritio oritur ex Lege, quando Spiritus Sanctus per doctrinam Legis homini peccatori sua delicta revelat, & iræ divinæ sensum in corde ipsius excitat. Hic motus non est ad certum anni tempus alligatus. Pontificii autem certum anni tempus præscribunt quo peccatores debeant contritionem, vel saltem attritionem (quæ est tantùm simulata contritio) habere.* Hæc in gratiam Lectoris placuit interserere. Et sine dubio, quando Spiritus S. cor hominis non renati verbo Legis ita tangit, ut dolere incipiat, dolor ille non est actio libera vel sponte suscepta, nec in hominis potestate est illum suscipere quando vult, vel etiam pro lubitu deponere, quando à Spiritu Sancto est excitatus.

Supersunt verba Parentis à Calovio per injuriam taxata. Quod ut omnibus ea candidè considerantibus constet, verba Epitomes quæ Calovius mutilata produxit, integra primùm adscribo. *Quando minister Verbi Legalem & Evangelicam doctrinam hominibus proponit, Deus per hoc suum medium & instrumentum efficax est, & in cordibus humanis contritionem de commissis peccatis, fiduciam in meritum Christi, peccatorum odium, novæq; vitæ studium excitat, nisi tamen ipsi homines suapte pertinacia tenebras magis diligant, quam lucem, Ioh. III, 19. Nisi nolint à Christo sub alas congregari, Matth. XXIII, 37. nisi repellant Verbum Dei, Actor. XIII, 46. nisi resistant Spiritui S. Actor. VII, 51. quemadmodum de Iudæis conqueruntur locis modò citatis Christus, Paulus & Stephanus. Nullum enim dubium est, quin homo oblatam gratiam spernere, reiicere, & Spiritui S. fidem operaturo resistere possit: Neq; enim Deus homines absolutâ suâ potentiâ trahit & convertit, verùm hoc facit secundum modum & ordinem, quem simul instituit. Contra certum est, hominem posse solicitum esse de suâ salute, posse curam suscipere de mediis ad eam, quia etiam multi quærent intrare, & non poterunt.*

poterunt. Luc. XIII, 24. Posse audire Verbum Domini: ut Herodes, Marc. VI. 20. Felix & Drusilla. Actor. XXIV, 24, Rex Agrippa, Actor. XXV. 22. Sergius Proprætor, Actor. XIII, 7 & cum omni alacritate verbum suscipere, & scrutari studio discendæ & cognoscendæ veritatis, ut fecerunt Berrhoenses Actor. XVII, 11. Hoc qui faciunt, eos Deus majoribus auxiliis dignatur, ut intelligant verbum, ex eo peccata sua agnoscant, & promissionibus Evangelicis fidem habeant; non quidem quòd ista qualiscunque opera tantæ sit dignitatis aut meriti; sed quod suo verbo Deus eum velit honorem haberi, hunc ordinem servari, & hoc ab homine præstari, priusquam ipse majora & specialiora, & suo genere supernaturalia suppeditet auxilia. Credere sanè actio est suo genere supernaturalis, sive suâ naturâ supra vires humanas: propterea Spiritui Sancto eam adscribimus, quòd is animum humanum ad credendum excitet, efficiatq;, ut homo credat, diligat, Deum timeat, imò ut credere, timere & diligere velit. Atque sic actus supernaturales, veramque conversionem ingredientes sive constituentes Deo tribuimus, & in manu hominum positos negamus; ita tamen, ut non negemus, esse quosdam actus in hominis potestate sitos; quos ab ipso præstari velit priusquam ad auxilia & dona supernaturalia progressus fiat, certè quoad modum ordinarium. Breviter, quicunque verbum audiunt, neq; aspernantur consilium Dei in semetipsos, ut aspernabantur Pharisæi Luc. VII, 30. neque verbum curis aut divitiis, aut voluptatibus hujus vitæ suffocant, ij, inquam, Dei opem & operam sentient, ejusque gratuita benevolentia ad fidem & vitam deducentur; contrà qui faciunt, suæ negligentiæ & contumaciæ imputent, quòd à Deo fide non donentur. Nunc ut Lectori de Calovii iniquitate porrò judicare facilius sit, adscribenda mihi etiam sunt verba Ægidii Hunnij, qui postquam in Loco de Libero Arbitrio multis Scripturæ dictis & exemplis, (partim à Parente etiam, loco à Calovio mutilato prolatis) ostendisset, quod etiam non renatis, in iis quæ ad conversionem pertinent, aliquod studium & conatus ex viribus naturæ

conveniat, ſubjungit; *Συνέργεια voluntatis, ſeu humani arbitrij libertas tantiſper non aſſeritur, quantiſper non confunduntur limites externæ pædagogiæ & internæ gratiæ ſeu ſpiritualis operationis, id eſt, quàm diu non commiſcentur externus ille curſus (cujusmodi Herodi, Paulo Sergio, Iudæis ante vel extra regenerationis gratiam tribuitur) & deinde donum ſpirituale, ſalutaris cognitio fides &c. cujus initium incrementum & ad finem conſervatio, Spiritui Sancto in ſolidum fertur acceptum, ideoque ſolis his adſcribitur qui virtute Sp. Sancti regenerati ſunt.* Hæc ibi Hunnius. In Parentis autem verbis manifeſtè diſtinguntur limites externæ Pædagogiæ, & deinde donum ſpirituale ſalutaris cognitionis, ut ocularis inſpectio docet. Ergò calumnioſè à Calovio ceu Articulis Smalcald. & Apolog. Aug. Conf. contraria accuſantur. Gemina certè Parentis verbis docuit Balthaſar Mentzerus. Etſi prolixior ſit locus, ad detegendam tamen Calovii iniquitatem integrum adſcribo. Exegeſi Auguſt. Conf. Articulo v de miniſterio verbi, Explicationis Paragr. XIII. *Si quæras poſſitne homo ex ſuis viribus audire Evangelium & Sacramentis uti? respondet S. Scriptura directè, hominem ψυχικὸν animalem nondum renatum, poſſe de Deo cogitare Rom. I, 21; Scripturam legere, II Cor. III, 14; Audire Verbum Dei Act. XVII, 20, & quidem ἡδέως libenter, ſeu cũ voluptate, Marc. VI, 20. Vide etiam Act. XXVI, 1 & ſeqq. loqui de Deo Pſalmo L, 16. Scrutari Scripturam Ioh V, 39; eamque evolvere Act. XVII, 11; habere Zelum ſed non ſecundum ſcientiam, Rom. X, 2. Exempla paſſim occurrunt tum Iudæorum in V. T. & quorundam gentilium, tum in N. Teſtamento, ubi ad Chriſti conciones multi convenient auditores, & Apoſtolos audiunt Philoſophi, & alii, itemque primitivæ Eccleſiæ Doctores multis paganis Evangelium prædicarunt, ut teſtantur hiſtoriæ. Quin etiam Amos famem verbi Divini tribuet Judæis, VIII, 11, 12. Sic Lucæ XIII, 24 multi quærent intrare & non poterunt. Act. XIII, 7. de Sergio Proconſule dicitur, quod deſiderarit audire Verbum Dei. Et Cap. XXIV, 24 Veniens Felix cum Druſillâ*

sillâ uxore suâ quæ erat Iudæa, vocavit Paulum, & audivit ab eo fidem quæ est in Christum. De hypocritis testatur experientia, frequentes eos esse in Ecclesiâ, & interdum valde occupari circa externum Dei cultum. Hæc ita Mentzerus, quem & ipsum reiiciat Calovius, si Calixtum propter verba temere hic flagellata reiicere non erubuerit. Loca Epit. Theol. Moralis seu potius Digressionis de Arte Nova pag. 267 & Disp. de Pactis Th. CLIIX, dicis tantùm gratiâ sunt indicata. Nihil enim ibi de contritione vel conversione habetur.

PUNCTUM III.

PRofitemur & docemus, damnandos esse eos, qui negant, semel justificatos posse amittere Spiritum S. *seu, ut cum Philippo Melanchtone loquamur, negant, peccata regnantia, & conscientiam vastantia, fidem & Spiritum sanctum excutere, Ezech.* XIIX, 24, 26. *II Sam.* XII, 13. *Matth.* XXVI, 70. 72. 74. Aug. Conf. art. 12. p. 13. Teut. fol. 5.

Rejicimus eos, qui docent, illos, qui renatos peccatis atrocibus & contra conscientiam commissis fidem & spiritum sanctum excutere, vel amittere negant, non esse damnandos, quin potius pro membris Christi & civibus regni cœlestis habendos.

Ita docet D. Georgius Calixtus, & discipulus ipsius Iohannes Latermannus. Vterque equidem non potest negare, fœdum esse errorem eorum, qui renatos peccatis atrocibus & contra conscientiam commissis fidem & Spiritum sanctum excutere vel amittere negant, sicuti loquitur Calixtus in Responso ad Dn. Ernestum Landgravium Hassiæ & c. p. 10. & cum eo consentiens Latermannus in Declaratione Apologetica p. 66. & seqq. Nihilominus tamen uterque Calvinianos non veretur habere pro membris Christi, cohæredibus vitæ æternæ, ut ex locis adductis satis superque apparet, & nos verba id genus alia ex Calixto & Latermanno supra non semel adduximus.

EXAMEN ET DISCUSSIO PUNCTI III.

VErba Augustanæ Confessionis sane ita se habent; *Damnant Anabaptistas, qui negant semel justificatos posse amittere Spiritum*

Spiritum Sanctum. Atque hinc Calovius *Reiicit illos* (Calixtum & Latermannum) qui doceant, *non esse damnandos* tales (Reformatos) *qui renatos peccatis contra conscientiam commissis fidem & Spiritum Sanctum excutere posse negant, QUIN POTIUS, pro membris Christi & civibus regni cœlestis habendos*. Hîc primùm noto, callidè Calovium illa sua verba, *quin potius*, inseruisse, credo ut Lectori opinionem inijceret, Calixtum vel eo nomine, quod Reformati *fœdum illum errorem* foveant, inter membra Christi & hæredes vitæ æternæ illos recensere, quum tamen sententia Calixti hæc sit; Etsi Reformati illum *fœdum errorem* foveant, quia tamen consectaria ejus non videant nec admittant sed fortiter negent, & interea ad studium pietatis sectandum, & à peccatis mortalibus cavendum auditores suos voce & scriptis serio hortentur, *damnandos* quidem propter illum errorem esse, hoc est, reprehendendos, *improbandos*, neque tamen pro mancipiis gehennæ habendos, sed tanquam errore, à quo nondum sese extricare possint implicitos, tractandos & adhuc pro membris Christi (etsi ægris) pro hæredibus vitæ æternæ, ex regula charitatis agnoscendos. Quod si illi *Damnandi*, hoc est, Diabolo, juxta expositionem Calovianam, sunt tradendi, & è numero membrorum Christi ac civium regni cœlestis removendi, qui docent renatos per peccata contra conscientiam patrata non amittere fidem & Spiritum Sanctum, quid non illis erit metuendum, qui observationis mandatorum Dei *Nullum modum necessitatis ad salutem admittunt, omnem modum excludunt*? De hoc Calovii fervor poterit cogitare.

ARTI-

ARTICVLVS XVI.
AVGVSTANÆ CONFESSIONIS DE
MAGISTRATV POLITICO,
PVNCTVM I.

PRofitemur & docemus, de mandato Magistratus Doctores & Professores Theologos teneri, ut libros Symbolicos, ad quos se obligaturi sunt, non sub hac conditionali, Quatenus veritati congrui reperiantur, sed Categorica subscriptione approbent, quali Augustana Confessio, Apologia, Articuli Smalcaldici, Catechismi Lutheri, & post eos Epitome, ejusdemque solida, plana ac perspicua Repetitio & Declaratio, fuit obsignata & approbata, ab omnibus Electoribus, Ducibus, Statibus imperii, ipsisq; Theologis Helmstadiensibus, quorum nomina inter subscriptos extant h. m. In conspectu Dei omnipotentis (*sonant ultima verba Epitomes Declarationis p. 830.*) & coram tota Ecclesia Christi, quæ nunc est, & quæ aliquando in posteritate erit, clara voce & diserte testamur: quod Declaratio illa nostra de omnibus commemoratis controversis Articulis, & nulla prorsus alia, revera sit nostra doctrina, & fides & confessio. In ea per gratiam Dei, intrepido animo coram tribunali IESV CHRISTI comparebimus: de ea justo judici rationem reddituri. Contra hanc declarationem etiam nihil vel occulte, vel aperte loquemur, aut scribemus: sed in ea, Domino nos bene juvante, usque ad vitæ finem constantes perseverabimus: In ejus rei fidem matura cum deliberatione, in timore Dei & nominis ipsius invocatione, propriis manibus huic declarationi subscripsimus. *De Bilingui autem & falsiloquo juramento sic habet præfatio Christiani II. Electoris p. m. præmissa Libro Concordiæ* Cognovimus extitisse quosdam homines bilingues & falsiloquos, qui apud Illustr. Magistratum suum verbis quidem speciose jactarint, quin etiam juramentis temere conceptis asseverarint, se puræ & invariatæ Confessioni Augustanæ contra omnes corruptelas & fanaticas opiniones, tam Calvinistarum, quam aliorum Sectariorum, esse addictos. Qui tamen postea deprehensi sunt, quod dogmata falsa occulte foverint, & per suos complices fraudulentis dolis & machinationibus furtim invehere, inscioque ordinario

dinario suo, ac divinitus constituto Magistratu, disseminare ac propagare contenderint &c.

Rejicimus eos, qui censent licere Categoricas approbationes & liquidas suppositiones, de perfecto consensu symbolicorum librorum cum S. Scriptura, & consentiente doctrina Veteris Ecclesiæ (quales in subscriptione librorum Symbolicorum Magistratus requiritur) convertere in hypotheticas, quod approbentur libri Symbolici, quatenus Scripturæ S. & doctrinæ veteri consentiant, quemadmodum & ipsi reapse eas convertunt.

Ita docet D. Conradus Hornejus, in Repetitione doctrinæ de necessitate bonorum operum ad salutem p. 193. & 194. Verba ejus inter alia sunt ista: Hæc etiam DEMUM EST VERA cumprimis NORMA, ad quam controversæ omnes doctrinæ examinantur. Si quid autem illi statuunt, utut valde laudabile sit, semper cum hac EXCEPTIONE recipitur: QUATENUS verbo divino non adversatur, ut notum est. Iam autem sententia nostra tot disertis Sacræ Scripturæ dictis, tanto consensu antiquæ Ecclesiæ, adstipulantibus etiam recentioribus Dd. & quidem F. C. addictis consentanea est, ut comprobavimus (effrene falsiloquium:) Ergo vera est. Et illa d Electorum & Principum auctoritate FRUSTRA allegantur. Nec enim illa huic rei firmandæ facit, nisi QUATENUS verbo divino & veteri doctrinæ concordat.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI I.

Quum in nullo librorum Symbolicorum reperiret D. Calovius intentioni suæ congrua verba, consuetis etiam allegationibus pepercit, & audaciâ assumpta ipse pro se quæ alios facere vellet est proloquutus. Dicit se *Profiteri & docere, de Mandato Magistratus Doctores & Professores Theologos teneri, ut libros Symbolicos ad quos se obligaturi sunt, non sub hac conditionali, quatenus veritati congrui repertantur, sed categoricâ subscriptione approbent.* Admitto, Doctorem aliquem qui libris Symbolicis se vult adstringere, teneri categoricâ subscriptione illos probare; ita scilicet, quod, quantum omni adhibita confi-

consideratione judicare & intelligere valeat, deprehendat atque existimet, dogmata in illis contenta omnia, esse verbo Dei consentanea. Neque tamen existimo teneri eum categorica subscriptione approbare tanquam omni erroris periculo vacantes quasvis in ejusmodi libris factas allegationes, contextas consequentias, & adductas probationes. Augustana sane Confessio Articulo XIIX, allegat libros Hypognosticon, & Augustino attribuit. Sed huic allegationi nihil dubitavit in os reclamare ipse D. Calovius, quando Syncretismi sui pag. 260 scribit: *Libri Hypognosticon, ad quos provocat Dreierus, non sunt Augustini.* Quæ itaque Calovio rectius edocto hîc relicta libertas, ea nec alijs fuerit adimenda. Valde iniquus autem simul & absurdus ipse est, quando in Epimetro Syncretismi pag. 366 pertendere audet, *Calixtinos ad* ipsum *Germanicum exemplar Apologiæ Augustanæ Confessionis fidem suam juramento adstrinxisse*: quum tamen omnibus constet, nec ipse Calovius ignoraverit, exemplar illud Germanicum minimè esse authenticum, sed ejus auctorem Iustum Ionam, in vertendo magnâ libertate usum, atque à textu multoties longè discessisse, ut ipsi Polycarpo Lysero in scripto contra Danielem Hoffmannum jam olim est monitum. Quis verò versioni à fontibus suis tàm procul dilabenti, *fidem suam juramento adstringeret?* Nemo certè, nisi fortè aliquis, vel Calovio, ceu Pontifici, versionem fontibus æquandam aut præferendam jubenti, obtemperans, vel alterius cujusdam tyrannidis mancipium.

Hisce ita expositis addo nunc porrò: Eum qui libros Symbolicos categoricâ subscriptione approbat, quia tamen simul non ignorat, auctores eorum communi humanâ operâ & industriâ illos concinnasse, nec unquam humanæ fallibilitati fuisse exemptos; hoc certè non posse non, imò teneri propter Deum, apud sese supponere ac constituere, si proce-

dente tempore, vel suo forte ingenio, vel alterius sufficienti ostensione, errorem in illis quemcunque liquidò deprehendere contingeret, se isti tanquam verbo Dei assensum porrò minimè commodaturum. Hoc sanè omnis Christianus, libro cuicunque non nisi humanâ operâ confecto fidem adstringens, secum supponere necessum habebit. Nemo enim pius, in conscientiam rectiùs edoctam quidquam committere, vel volet vel poterit. Ponamus itaque; *Theologos Helmstadienses* olim Form. Concordiæ *categoricâ subscriptione approbasse*; si illi deinceps Vbiquitatis novæ doctrinæ imbecillitatem deprehenderunt, debuerunt illam urgente conscientiâ missam facere. Sicut enim *in omni voto*, ita in omni promisso & juramento, (par enim hactenus omnium est ratio) *excipitur jus superioris*, ut August. Confess. articulo de Votis monasticis citat. Et immotum perstat illud; *Oportere Deo* & conscientiæ, per quam Deus facienda & fugienda unicuique imperat, *magis obœdire quàm hominibus*. Hæc ita in Thesi, ut loquimur, fuit Doctorum Calixti & Hornei sententia. *Vt evidens ἁμάρτημα vel παρόραμα ubi animadversum fuerit, pro tali non habeatur, nullus Christianus aut stipulatur aut promittit*, ait Calixtus sub finem Numeri III der Verantwortung auff das Churfürstl. Sächsische Schreiben. Et magis adhuc disertè idem Responsi contra Moguntinos parte 1 Th. CXXVI scripsit his verbis: *Iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis. Quod doctrinam, in quam jurasti, attinet, si de veritate ejus, quum jurares, persuasus fuisti, benè habet. Sin postea evidenter tibi monstretur, quædam ejus capita manifestâ falsitate laborare, juramento ad retinendum errorem, de quo in conscientiâ convictus fueris, non teneris.* Sed quia Calixti verbis apud Calovium uti, fuerit surdo fabulam narrare, allego in eundem sensum ingenuas confessiones quorundam Doctorum, qui Formulæ Concordiæ partim auctores, partim defensores exstiterunt. Leonhardus Hutterus Irenici Pa-

reo oppositi pag. 391, de Augustanâ Confess. & quibusvis Ecclesiarum particularium scriptis judicat, *quod* NON NISI *cum conditione fidem & assensum mereantur: nempe* QVATENUS *cum Scripturis Sacris ex asse concordent.* Item; *Particularium Ecclesiarum scripta & Confeßiones, Oecumenicis illis totius Ecclesiæ catholicæ consensu approbatis scriptis & Confeßionibus, auctoritatis gradu longe esse inferiores; quanquam in eo omnes & œcumenicæ & μερικαὶ sive particulares conveniant, ut fidẽ* NON NISI SUB CONDITIONE CONSENSUS CUM SCRIPTURIS SACRIS *mereantur.* Huttero paria docuerunt triumviri Apol. Form. concord. auctores, inter quos ipse Chemnitius, Cap. XI pag. 243, lat. B. **Daß Sie** (Libri Symbolici) **nicht weiter angenommen werden können noch sollen / dann als Zeugen der Warheit / und Sofern als Sie mit der heiligen Schrifft übereinkommen.** Item post aliqua, de Augustanâ Confess. & Formula Concordiæ in specie. —— **Welches Bekändnüs Sie aus der heiligen Schrifft klaren Zeugnissen / und dann auch aus den vörigen** Symbolis **genommen / auch ferner nicht wollen noch begehren angenommen haben / dann Sofern und weit es mit GOttes unfehlbahrem Wort fein übereinstimmet.** Hæc illi Apologetici, quorum expositionem à mente Auctorum Formulæ Concordiæ haud esse alienam, testantur hi ipsi, quando sub Declarationis initium, ubi de Forma dijudicandi controversias agunt *Sacras Literas solas unicam & certißimam illam regulam sese credere* ajunt, *ad quam omnia dogmata exigere, & secundum quam de omnibus tum doctrinis, tum doctoribus judicare oporteat.* Si verò secundum Scripturæ regulam de omnibus doctrinis judicare, si ad eam omnia dogmata exigere oportet, Formulæ Concordiæ quoque dogmata & doctrinas, ab ista regula non eximenda fore existimavero. Ex iis igitur quæ allata huc usque sunt, dijudicet Lector, an non eandem sententiam quam ipsi Formulæ Concordiæ Auctores & defensores publice professi sunt, Calovius in Horneio Edit. in 4to

quoque probare potiùs, quam sinistrè interpretari & reijcere debuisset?

PUNCTUM II.

Præf. Concord. p. 20. & Epitom. Conc. in præf. p. 570. 571. præfat. Declar. p. 632. 635. Teut. p. 256. 257. b.

P*Rofitemur, & docemus, Magistratus Christianos quotquot libro Christianæ Concordiæ subscripserunt, libros istos symbolicos, quales sunt, August. Confeßio. ejusdemque Apologia, Articuli Smalcald. uterque Lutheri Catechismus, & Epitome, ejusdemque Declaratio,* sacris literis quidem nequaquam æquiparare, sed universos illis ita subjicere, ut alia ratione non recipiantur nisi testium loco, *posse & potuisse tamen eos proponere subditis suis*, tanquam veram normam & declarationem purioris doctrinæ, quam Evangelicæ Ecclesiæ nostræ simul omnes agnoscunt & amplectuntur, cum è verbo Dei sit desumta, ut secundum eam omnia alia scripta judicare & accommodare oporteat, quatenus probanda sint & recipienda; *nihilque in iis tradi, quod cum verbi Dei Propheticorum & Apostolicorum scriptorum norma non congruat: Nullumque dogma in iisdem sub pœna amittendæ æternæ salutis, & incurrendæ æternæ damnationis proponi, quod Pater Cœlestis, ejusque unigenitus Filius, Dominus & Redemtor noster, tanquam creditu ad salutem necessarium, non proposuerit.*

Rejicimus eos, qui docent, symbolicorum librorum auctores non pauca, tanquam creditu ad salutem necessaria constituisse, quæ Pater Cœlestis & Filius ejus, tanquam Talia, nunquam proposuerit. Innuit id D. Georg. Calixtus in Responso ad Dn. Ernestum Landgravium Hassiæ &c. pag. 13. & 14. hisce verbis: Quod autem Pater cœlestis, ejusque unigenitus Filius Dominus & redemtor noster, tanquam creditu ad salutem necessarium nunquam proposuit: id ut sub pœna amittendæ æternæ salutis, & incurrendæ æternæ damnationis credatur; nec Romanus Pontifex cum suis Cardinalibus, aut aliquo obnoxiorum Episcoporum Tridenti congregatorum manipulo, nec ulli Symbolicorum librorum auctores constituere possunt. Quæ thesis uti vera est, ita translatio ejus ad Hypothesin falsa videtur. Quantumcunque in August. Confessione aliisque libris Symbolicis extra literam Symboli Apostolici, tanquam ad salutem creditu necessarium, proponitur, id omne Patrem Cœlestem, ejusque unigenitum Filium tanquam ad salutem necessarium nun-

quam proposuisse, uti Calixtus in hac ipsa Epistola, Epicrisi ad Colloquium Thoruniense, atque alibi frequenter prætendit, & supra in Artic. procemialibus pluribus fuit ostensum.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI II.

VErba quibus suum *Profiteri* & *Docere* hîc proponit D. Calovius, in locis margini adscriptis sparsim habentur, atque ex iis collecta sunt & conglomerata. Ἐπεισόδιον tamen pure Calovianum, est cauda illa quam appendit, *Profitemur* —— *nullum dogma in iisdem* (nominatis omnibus libris Symbolicis) *sub pœnâ amittendæ æternæ salutis, & incurrendæ æternæ damnationis proponi, quod Pater cœlestis ejusq; unigenitus Filius, Dominus & redemptor noster, tanquam creditu ad salutem necessarium non proposuerit.*

In antecedentibus, hinc inde è libris Symbolicis non sine propriorum verborum additione compilatis, dixerat Calovius, Libros illos omnes esse *veram Normam purioris doctrinæ &c.* Et rationem quare pro Normâ tali habendi sint addit hanc, quod doctrina illis comprehensa *è verbo Dei sit desumpta*. Ergo, dico jam ego, Consensus primitivæ Ecclesiæ etiam erit norma Christianæ doctrinæ, ejus nimirum universæ, quæ ad salutem creditu omnibus & singulis est necessaria, nam ille quoque consensus *est è Verbo Dei desumptus*. Quod vel admittet Calovius, vel monstrabit aliquid, à prisca Sanctorum & Martyrum Jesu Ecclesia unanimiter creditum, quod non sit *è verbo Dei* scripto desumptum. Porrò, *norma* doctrinæ est Principium cognoscendi veritatem doctrinæ, quod negari non potest, quum definitio principii cognoscendi ei quadret. Erunt igitur & libri Symbolici, & Consensus antiquitatis, Principium Christianæ Fidei & doctrinæ, si non primarium (quod nemo affirmat) saltem secundarium, quod prædicatum tamen Calovio & complicibus sudes est in oculis.

Porrò

Porrò affirmat & *profitetur*, atque alios quoque credere vult ac profiteri Calov. *nihil* in libris à sese modo commemoratis tradi, *quod cum Verbi Dei Propheticorum & Apostolicorum Scriptorum normâ non congruat.* Hoc certè de dogmate Ubiquitatis quod Formulæ Concordiæ insertum est, nos non audemus affirmare. Videantur hanc in rem verba Heshusij, semel iterumque jam à me laudata. Si etiam ejusdem Formulæ mens ea esset, quam Calovius ei Puncto VI ad A. C. Art. II attribuebat, quod *animæ humanæ in singulis hominibus ex propagine oriantur*, neque hoc cum *Verbi Dei norma* congruere, asseverare ausim.

Ad Επιμύθιον autem Calovianum ego hoc postulo, ut auctor ejus *sigillatim* indicet ea dogmata, quæ libri Symbolici ab eo nominetenus expressi, sub hac ipsa, quam ille concinnavit, aut huic ex asse æquipollente formula, nempe *sub pœnâ amittendæ æternæ salutis, & incurrendæ æternæ damnationis* (præter ea quæ tota vetus Ecclesia, sub tali pœna credenda esse existimavit, siquidem hæc ab eo indicari non est opus) *proposuerint*. Deinde postulo ut monstret & indicet idonea fundamenta, propter quæ statuendum sit, quod *Pater cœlestis ejusq. unigenitus Filius, Dominus & Redemptor noster tanquam creditu ad salutem necessaria*, & sub nominatâ pœna, illa dogmata singula *proposuerit*, & à libris Symbolicis sub eadem qualitate *proponi* voluerit. Si horum utrumque fecerit Calovius (facere autem omninò tenetur) ego statim non minus ac ipse *Rejiciam eos omnes qui docent, Symbolicorum librorum auctores non pauca tanquam creditu ad salutem necessaria constituisse, quæ Pater cœlestis & Filius ejus tanquam talia nunquam proposuerint.*

Quod verba Calixti ab ipso prolata attinet, falsum est ea *innuere* quod Calovius ex ijs extorquet, quum nude in *thesi* loquantur, & ita quidem, Calovio ipso fatente, sint *vera*, quæ ejus confessio probè est notanda. Falsum quoque est quod

quod Calixtus, ita crudè & nudè asseruerit, ut Calovius hîc recitat, *quantumcunque in August. Confessione aliisque libris Symbolicis* EXTRA LITERAM *Symboli Apostolici tanquam ad salutem creditu necessarium proponitur, id omne Patrem cœlestem ejusq; unigenitum Filium tanquam ad salutem necessarium nunquam proposuisse*. Distinxit ille inter Articulos fidei, seu credenda tantum, Sacramenta, & mores. Distinxit horum omnium necessitatis gradus, & Sacramenta suo gradu ad salutem necessaria docuit, mores quoque ad salutem necessarios ostendit, quorum nihil est in *literâ*; ut Calovius loquitur, *Symboli Apostolici*. Legatur hîc Responsum Moguntinis redditum prius, in quo Parens negotium hoc de professo tractavit. Singulorum autem recitatio quum non minus Lectori molesta quam mihi operosa futura sit, adscripsisse nunc sufficiat nonnulla saltē alia, quæ leguntur in Wiederlegung D. Wellers Verleumbdung A 3. Postquam ibi Symbolum Apostolicum exhibuisset, ita subjungit; *Hoc est Symbolum, quod Apostolicum appellari solet, antiquitus etiam* regula fidei *dictum. Nempè religio Christiana complectitur* Credenda & Agenda. *Credenda dicimus ea, per quæ in Deum actus fidei spei & caritatis ordinantur, eatenus interni in oculos & sensus non incurrentes. Agenda alia peraguntur secundum jus divinum naturale, quod Decalogo continetur: alia secundum jus Divinum positivum, quo præcipitur & disponitur usus Sacramentorum: alia secundum leges ad publicam honestatem, tranquillitatem & ordinem facientes, tum ecclesiasticas tum civiles, quibus itidem* necesse est subjici non solum propter iram, *sive pœnam quæ transgressoribus imminet*, sed etiam propter conscientiam, *ne videlicet vel Superiores contemni videantur, vel proximus offendatur. Credenda comprehenduntur Symbolo Apostolico, simplicissime quidem, & prout cuivis homini adulto ad salutem sufficiunt.— Si uberioris explicationis cupidus & capax quis fuerit, jubeo eum Symbolum Apostolicum juxta phrasin & ductum Symbolorum Nicæni &*

cœni & Athanasiani, nec non, quod Filii incarnationem & personã attinet: juxta Ephesinæ & Chalcedonensis synodorum sententiã, NEC ALIO *ullo* SENSV, *accipere & intelligere. Quã immanis igitur est calumnia, & impudens mendaciũ quod more suo de me coram Ser*mo *Principe & clem*o *Domino meo Christiano Ludovico effutit Hulsemannus, nempe ex meâ sententia* Socinianos, Anabaptistas, David Gorgianos

Præf. Dialys. p. 107. eodem cum Orthodoxis loco habendos esse. Omnes enim, *inquit*, istæ sectæ profitentur, quod Calixtus requirit. Hactenus Calixtus; qui si viveret Lectori denuo judicium esset permissurus, *quam immanis sit calumnia, quod more suo* de sese coram universâ Ecclesia *effutiverit* Calovius, *nempè è suâ sententiâ, quantumcunque in August. Confessione aliisq; libris Symbolicis extra literam Symboli Apostolici, tanquam ad salutem creditu necessarium proponitur, id omne Patrem cœlestem, ejusq; unigenitum Filium tanquam ad salutem necessarium nunquam proposuisse.*

ARTICVLVS XVII. AVGVSTANÆ CONFESSIONIS DE EXTREMO JVDICIO,

PVNCTVM I.

Aug. Conf. art. 17. p. 15. & Apolog. Aug. Conf. art. eod. p 217. & artic 21. pag 224 Teut. fol. 6. b 97, 100.

P*Rofitemur, & docemus*, non tantum Christum, quando apparebit in consummatione mundi ad judicandum, & mortuos omnes resuscitabit, piis & electis daturum vitam æternam & perpetua gaudia, impios autem homines ac diabolos condemnaturum, ut fine fine crucientur; *sed etiam animas defunctorum à corporibus separatas, tempore inter mortem hominis & extremum judicium intermedio, in eodem versari statu, quem post resurrectionem corporibus unitæ obtinebunt; h. e. animas piorum in Cœlo Deum videre & æternæ beatitudinis participes; animas impiorum in inferno, à beata Dei visione remotas cruciatibus infernalibus obnoxias esse Luc. XVI. 22. & seqq. XXIII. 43. II. Cor. V. 6. Apoc. VII. 14. 15. 16. 17. XIV. 4. & seqq. & speciatim versu 13.*

Rejicimus eos, qui docent, ante diem extremum essentalem beatitudinem & damnationem nemini reddi, adeoque extremo judicio

dicio reservari redditionem non tantum incrementorum beatitudinis & damnationis, h. e. perfectam & consummatam beatitudinem ac damnationem sed ipsam beatitudinis ac damnationis essentiam, seu beatitudinem ac damnationem essentialem.

Ita docet D. Georgius Calixtus in Dissertatione Theologica de igne purgatorio, habita Helmestadi die 8 id. Mart. CIↃ IↃ C XLIII. thesi 7. sequentibus verbis: Verum & huic opinioni sacrosanctæ Scripturæ contrariantur, imprimis in doctrina de extremo judicio, quod omnes Christiani exspectant. Id verò frustra & sine causa instituetur, si jam ante illud in animas perfecta & consummata, vel beatitudo, vel damnatio reipsa & facto collata fuit. Tum enim homo quoad præcipuam sui partem vel perfectam beatitudinem obtinet, vel maximas & summas pœnas jam perpetitur. Quorsum ergò & cui bono extremum judicium, sive adjudicatio summi præmii & extremæ pœnæ, quæ jam pridem accepit, sive jam possidet, vel sustinet anima? Sane juxta scripturas ultimo demum mundi die propterea Dominus è Cœlo descendet, ut unicuique secundum opera sua reddat: tum denique nec maturius retributio, sive mercedis distributio fiet: ita expressè docetur II Cor. V, 12. II. Tim. I, 8. Apoc. XXII, 12. Ergò ante illum diem essentialis beatitudo & damnatio nemini redditur. Et Tract. de pactis, quæ Deus cum hominibus iniit §. 17. Videtur itaque quod animas separatas attinet, ita ferè se habere, quemadmodum se habet, quod attinet electos ad capessendum regnum, & destinatos supplicio. Illi dummodo sint electi, etsi nondum sint coronati, etiamsi nondum in manus traditum Sceptrum & regnum acceperint, in honore tamen coronandis congruo habentur & tractantur, sicut decet regnaturos; isti verò in carceribus miseram vitam agunt, & metu imminentis supplicii torquentur, Hornejus Disp. VI. de IV. Noviss. sect. I. animos fidelium separatos, ait, cœlestis beatitudinis πρόγευσιν cum certa totius illius, suo tempore consequendæ expectatione habere &c. th. XXIV.

EXAMEN ET DISCUSSIO PUNCTI I.

Confessorum sententias propriis verbis locupletare adsuetus Calovius, nimis hîc sese exhibuit liberalem. Etenim

nim tum exordio Articuli XVII A. C. τὸ *(Non tantùm)* præfixit, tùm hoc ipsum respiciens *(Sed etiam)* cum omnibus quæ longâ serie sequuntur, de suo affudit, quum tamen Aug. Confessio ejusdemque Apologia locis citatis *Tantùm* quæ præcedunt, *Non etiam* quæ sequuntur doceat. Posterioribus igitur, in capite Caloviano enatis, si quis fortè contradixerit, palàm est eum Augustanæ Confess. ejusque Apologiæ, à quibus Calovij auctoritas longè, nisi fallor, abest, confestim non contradixisse.

Nihilo tamen minus audacter ille *Reiicit eos qui docent, ante diem extremum essentialem beatitudinem & damnationem nemini reddi, adeoque extremo Iudicio reservari redditionem non tantùm incrementorum beatitudinis & damnationis, h. e. perfectam & consummatam beatitudinem ac damnationem, sed ipsam beatitudinis & damnationis essentiam, seu beatitudinem ac damnationem essentialem.* Et ita docere ait D. Georgium Calixtum, cujus verba subjungit. Admitto sanè, ita ut verba illa ejus sonant, sensisse & docuisse Parentem meum. Moneo tamen primò, eo ipso nihil eum contra August. Confessionem, nihil contra ullum alium librum Symbolicum, quorum nullus sententiam hanc ejus vel approbavit vel improbavit, docuisse, adeoque Calovium falsum accusatorem deprehendi. Deinde moneo, sententiam hanc non esse Parentis mei inventum proprium, sed tanto veterum consensu traditam, ut Gennadius Massiliensis, inter dogmata Ecclesiastica eam referre non dubitaverit, libro suo de dogmatibus Ecclesiasticis Cap. LXXIX, quod illâ ipsâ de Purgatorio Disputatione quam Calovius citat, Th. IX, indicatis quoque plurimis veterum locis, disertè expressum esse, iniqui hujus censoris oculos effugere vix potuit.

Sed ne quid præterirem, inspicienda mihi quoque fuit in margine citata Apologia ad Articulum XXI A. C. pag. 224. Vbi quum *Sanctos in cœlo pro Ecclesiâ in genere orare* assertum inveni-

invenirem, è voculâ *in cælo* visus mihi est colligere & deducere D. Calovius, quod *animæ piorum in cælo* collocatæ *Deum videant*; & quum in eâ visione beatitudinis summa sit sita, eas essentiali omnibusque numeris absolutâ beatitudine frui. Et hinc inducor ut credam, Caloviũ in additamenti sui expositione, τῷ *in cælo* esse, Dei visionem tanquam illius effectum jungere, vel, piarum animarum *in cælo* quietem, per Dei visionem & æternæ beatitudinis participationem declarare, quando ait, *Animas piorum IN COELO Deum videre, & æternæ beatitudinis participes esse.* Verùm nimis longè, & è cœlo usque accersita talis deductio locum hîc habere nequit. Etenim *in cælo esse*, sive ut Scripturâ S. locum animarum describit *in sinu Abrahæ* esse, non involvit statim Dei visionem; certe qui id dicere velit, petet id quod est in principio.

Cæterùm si qui fortè dentur, quibus ista priscæ Ecclesiæ & Parentis sententia displiceat, quique cum D. Calovio aliisque hujus seculi Dd. facere malint, quàm melioris ævi Doctorum placita probare, cum ijs equidem altercationis serram reciprocare ego nolim, modo ipsi alios à sese dissentientes, Augustanæ Confessioni ejusdemque Apologiæ contradicere (quod enormiter profectò falsum est) non contendant. Audiamus D. Nicolaum Hunnium, qui in Germanicà suâ Epitome credendorum Numero 897 ita scripsit: Weil das allgemeine Gericht noch nicht gehalten ist / meinen etliche die Seelen sein itzo noch nicht / weder in jhrer Seligkeit / noch in jhrem Verdamnis / sondern werden zum Gericht verwahret / das allein der Gerechten Seelen in guter hoffnung leben / sie werden durchs Gerichte zur ewigen Seligkeit gelangen / der Vngerechten in stetigen und schreckligen warten des Gerichtes und nachfolgender ewiger Verdamnüs. De hac verò recensitâ sententiâ ipse sic judicat. Ob nun wol an dergleichen Fragen gar nicht viel gelegen / jedoch ist der Schrifft gemesser / wann man saget daß die Ge-

rechten alsobald nach ihrem Todt in der Seligkeit/und die Ungerechten ins völlige Verdamnüs gerahten/etc. Hunnius itaque nonmagnum momentum in quæstionibus, de incompletâ vel completâ, animarum corporibus suis solutarum beatitudine vel damnatione, positum putavit, neutiquam sine dubio cum Calovio judicaturus, *Reiiciendum* esse eum, tanquam Augustanæ Confessioni & Apologiæ contradicentem, qui priorem fortè sententiam fuerit amplexus.

PUNCTUM II.

Aug. Conf. art. 17. p. 18. Apol. Aug. Conf. art. cod. p. 247. Teut. fol. 6,73.

PRofitemur & docemus, geminum tantum esse statum post hanc vitam omnium hominum, eorumque cum adultorum, tum infantium, inter quos nonnulli sunt pii & electi, quibus Christus dabit vitam æternam & perpetua gaudia, *alii vero sunt* impii homines, *quos cum* diabolis *judex vivorum ac mortuorum* condemnabit, ut sine fine crucientur, *Dan.* XII, 2. *Matth.* XXV, 34. 41. *Rom.* 11, 6. *& seqq.*

Rejicimus eos, qui docent, infantulos non baptizatos damnatos aliam pœnam, etiam quod Essentiam illius attinet, quàm adultos, esse habituros, nempe pœnam non sensus, sed damni, seu solam pœnam privativam.

Ita docet D. Georgius Calixtus in libro uno de Bono perfecto & summo, sive æterna beatitudine pag. 68. verbis hisce: Nisi fallor, solam privativam pœnam notat. Nam sicut peccarunt (infantes non baptizati) neque tamen noverunt, aut voluerunt peccare, atq; adeò peccarunt non tam agendo, si proprie loquamur, quàm habendo peccatum: ita quoque per privationem, & non tam patiendo, quàm carendo punitum iri consentaneum est. Quæ, inquam, pœna carentia est, aut carentiam sequitur, ut cognitio aliqua istius carentiæ, & causæ ejus, infantibus convenit.

EXAMEN ET DISCUSSIO PUNCTI II.

HIc non est opus ut de novo nos fatigemus. Videat Lector quæ D. Calovio eandem objectionem afferenti responsa sunt Articulo de peccato Puncto XIII.

PUNCTUM

PUNCTUM III.

P*Rofitemur, & docemus, præmia spiritualia in Cœlesti vita distinctum quid esse ab ipsa vita & salute æterna.* Et cum hæc æqualis sit omnium, sicut unus est Christus, dissimilia fore præmia propter dissimiles labores. Apol. Aug. Conf. p. 96. & 117. Teut. 55. 63

Rejicimus eos, qui docent, vitam æternam & gloriæ gradus ac præmia adeò non distingui, ut Bona opera gradus quidem gloriæ & præmia æternæ vitæ consequantur, non autem ipsam vitam & gloriam æternam.

Ita docet D. Conradus Hornejus in Iterata Adsertione contra Rothmalerum §. 97. 108. 109. Si ad gradum gloriæ vitæ æternæ ait §. 97. necessarium est Bona opera facere, jam ea etiam ad gradum primum necessaria sunt, adeoque ad vitam ipsam. Nulla enim vita æterna est, quin saltem unum & primum beatitudinis gradum habeat. Quod ergò ad illum consequendum necessarium, ad vitam ipsam requiritur.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI III.

ANtiquum obtinens D. Calovius, verba Apologiæ usque adeò interpolata recitat, ut vix sibi videantur similia. In integrum igitur ut restituatur à Calovio corruptus Apologiæ locus, bonâ fide eum sicuti citâtâ pag. 96. exstat adscribo. *Erunt dissimilia præmia propter dissimiles labores. At remissio peccatorum similis & æqualis est omnium, sicut unus est Christus, & offertur gratis omnibus qui credunt propter Christum sibi remitti peccata.* Ita quidem Apologia loco citato, cum quibus si conferatur allegatio Caloviana, falsi palàm convincetur. Sed, si vel maximè retineatur corrupta ista allegatio; nondum tamen satis perspicuè ostensum est, quomodo Horneii verba illis à Calovio conglobatis, contradicant.

Mihi profectò contradictionem illam deprehendere nondum licet. Dicit Horneius, *Nullam esse vitam æternam, quin saltem*

saltem unum & primum beatitudinis gradum habeat. Ex illis id quidem sequitur, non posse non, saltem primum illum gradum cum vitâ æternâ semper esse conjunctum, & hinc *quod ad illum consequendum necessarium, ad vitam ipsam* (consequendam) *requiri*. Hoc inquam consequens ex dato antecedente Horneij (quod *nulla sit vita æterna quin saltem unum & primum beatitudinis gradum habeat*) video sequi. At neutiquam illud quod Calovius ex eodem deducit, sequitur. Etenim haud quaquam proba est hæc Calovij consequentia: si nulla sit vita æterna, quin unum & primum beatitudinis gradum habeat, tum non amplius *præmia spiritualia* (gradus gloriæ) *distinctum quid ab ipsâ vitâ & salute æterna* relinquere Horneium. Conjuncta nimirum semper fore, vitam æternam, & unum ac primum quidē saltem beatitudinis sive gloriæ gradum; hoc demum est quod ex antecedente Horneiano sequitur. Interim quæ semper etiam conjunctissima sunt, possunt tamen manere inter se distinctissima. Conjunctissima certè semper sunt, materia & quantitas; figura & quantitas; albedo & dulcedo cum lacte, & nihilo tamen minus manent hæc omnia inter sese distinctissima, ut ex Philosophiâ facilè constat. In Theologiâ nostra conjuncta sunt justificatio & sanctificatio, & nihilominus posterior à priore manet distinctissima. Calovius ergo quia nec verba Apologiæ sincere allegavit, nec Horneium iis contradixisse evincere potuit, hac quoque vice operam atque oleum planè perdidit.

ARTICULUS XIIX.
DE
LIBERO ARBITRO.
PUNCTUM I.

Epit. Conc. art. 2. p. 582, 583. Teut. pag. 233.

PRofitemur & docemus, ante conversionem hominis duas tantum esse efficientes causas (ad conversionem efficaces) nimirum Spiritum S. & verbum Dei, quod est Instrumentum Spiritus sancti, quo conversionem hominis efficit; voluntatem *autem* hominis in con-

versione ac *justificatione*, purè passivè se habere, *quemadmodum* B. Lutherus rectè & dextrè *docuit, nec ob id dignus est, qui reprehendatur, Gen. IIX, 21. Ps. XIV. 1.3 LIII. 2.3.4. Rom. IIX 7. 1. Cor. II, 14.*

Rejicimus eos qui docent, conversionem nostram, eamque primam, non Deo, illiusque verbo tantum, sed nobis etiam hominibus esse tribuendam; nec hominem convertendum omni carere potentia activa insita, qua vel saltem excitanti & adjuvanti gratiæ divinæ σύνεργος fieri & cooperari possit. Gratiam namque Dei ita offerri, ut eâ oblatâ in hominis potestate sit, per illam ea, quæ ad conversionẽ & salutem necessaria sunt, præstare, &, si pravitati suæ indulgere velit, non præstare. Vnde etiam addunt: Quod reformationis autores, & inter eos B. Lutherus gratiam divinam contra vires liberi arbitrii ita vehementer & acriter fuerint tutati, ut ipsi principio in alterum extremorum longius procurrerint.

Ita docet D. Conradus Horneius parte II. Disput. Theol, disp. 3. s. 1. §. 34. pag. 267. hisce verbis: Σύνεργος ergò Dei voluntas nostra fit, seu divinæ gratiæ cooperatur, non tantum, cum homo jam conversus renatus, & justificatus in fide & charitate crescit, & opera pietatis per gratiam justificantem & inhabitantem facit: sed etiam cum per auxilia gratiæ prævenientis, præparantis & adjuvantis, ad Deum convertitur, & primum justificatur. Sicut enim homo renatus, & justificatus cooperari gratiæ Spiritus S. jam inhabitantis dicitur, dum dono, seu talento gratiæ justificantis & sanctificantis semel accepto, sedulò negotiatur: ita idem etiam auxiliis gratiæ Spiritus S. adhuc corda nostra nondum inhabitantis, sed ut ea intret atque inhabitet pulsantis, cooperatur, dum auxiliis illis præventus, adjutus & præparatus ad Deum convertitur, ut justificatus ac renatus templum Dei & Spiritus ejus fiat. Et ibidem sect. 2. §. 36. p, 269. Et sane utrumque scriptura passim inculcat, adeoque conversionem nostram non Deo tantum, sed nobis etiam tribuit.

Dreier. Erörterung / p. 528. Tres esse causas conversionis docet, asseritque velle bonum, itemque credere, naturâ prius esse, ultimo conversionis complemento, p. 521. So gehet demnach das wollen des guten / und der Glaube dem ultimo complemento der Bekehrung vorher / saltem naturâ, si non tempore: und wo derowegen Wollen und Gleuben actiones sein dadurch recht kan gesaget werden von Menschen

er thue etwas so folget richtig/ daß der Mensch am Ende seine Bekehrung etwas thue / und so weit sich nicht merè passivè habe. Quo pertinent etiam Johannis Latermanni verba in exercitatione de æterna Dei prædestinatione & ordinatâ omnes salvandi voluntate, §. 32. Ea sunt hæc: Nunc quod gratia Dei ita offeratur, ut eâ oblatâ in hominis potestate sit, per illam ea, quæ ad conversionem & salutem necessaria sunt, præstare, & si pravitati suæ indulgere velit, non præstare, in hunc modum demonstramus. Item §. 33. omnes inquam, si velint, possunt se convertere. Et §. seq. Et hic sententiam secundum nos fert scriptura: dum innumeris in locis conversionem eo modo liberam facit, ut in potestate hominis sit, velle se convertere, & nolle se convertere. Et §. 42. Quod si adhortationes frustraneæ non sunt, ut certe non sunt, pendebunt omnia simul à cooperatione hominis, hoc est, ab homine in virtute gratiæ liberè credente, liberè perseverante. Lapsum autem reformationis autorum, adeoque ipsius B. Lutheri quod concernit, de eo D. Conradus Horneius citato loco hoc est, parte II. Disp. Theol. disp. 3 sect. 2. §. 39. p. 272 & 273. loquitur hunc in modum. Unde 5 & postremò magna denuò de gratiâ & libero arbitrio concertatio in Ecclesia superiori seculo sub initium reformationis exorta est, Pontificiis eo usque pro libero arbitrio pugnantibus, ut etiam Scholasticorum nonnullorum manifestos errores hîc defenderent; Reformationis autem autoribus ita gratiam divinam contra vires liberi arbitrii tutantibus, ut, dũ vehementius & acrius certatur, & ipsi principio in alterum extremorum (neque enim negari potest) longius procurrerint.

EXAMEN ET DISCUSSIO
PUNCTI I.

VErba Epitomes Formulæ Concordiæ pleraque loco citato habentur. Calovij tamen illa sunt; ac *justificatione* ; Item *quemadmodum B. Lutherus rectè & dextrè docuit*, nec ob id *dignus est qui reprehendatur*.

Rejicitur Horneius quod scripserit *gratiam Dei ita offerri ut ea oblata in hominis potestate sit, per illam ea, quæ ad conversionem & salutem necessaria sunt præstare, &, si pravitati suæ indulgere*

gere velit, non præstare. Ad quam accusationem probandam quum verba Horneii eadem quæ paulo ante Articulo XII Puncto II Calovius producebat, hîc repetiverit, nolo nunc actum agere, sed refero me ad id, quod tunc loco indicato respondi.

Pergit autem hîc D. Calovius, & ait illum, quem hîc *reiicit* D. Horneium, *addere; Quod reformationis auctores, & inter eos B. Lutherus gratiam divinam contra vires liberi arbitrii ita vehementer & acriter fuerint tutati, ut ipsi principio in alterum extremorum longius procurrerint.* Atque hæc Horneij verba, ipse confictâ interpretatione eò rapit, quasi illis Horneius Lutherum voluerit taxare, quod ille docuerit *voluntatem hominis in conversione se purè passivè habere.* Verùm ista Horneij, in sede suâ inspecta, non de Luthero nominatim, nec de eo solo, sed, in plurali, de *Reformationis auctoribus* loquũtur, & illos *principio* (initio Reformationis) *longius in alterum extremum procurrisse* dicunt. Quid autẽ per *alterum extremorum* intellexerit Horneius habebat oculis in Thesi proximè præcedente expositum Calovius, nec id potuit eum latere, sed datâ operâ suppressit, ut proximum tantò faciliùs denigraret. Thesibus nimirum illis antecedentibus XXXVII & XXXIIX errorem Pelagianorum & Manichæorum, illorum in excessu horum in defectu, à rectâ de libero arbitrio doctrinâ abeuntium, recenset. Et tunc initio statim Th. XXXIX ista subiicit, quæ Calovius in fine hujus sui Puncti allegat & aliorsum trahit. Æquis igitur oculis ista Horneij adspicientes, negare haud poterunt, per *alterum extremũ in quod Reformationis Auctores in principio incurrisse ille* monet, intelligere eum opinionem de fatali rerum ominum necessitate, ad quam in Ecclesiæ theatrum denuò introducendam, Doctores nostros, Pelagianizantes quosdam Scholasticos acriter inpugnantes, in disputationis æstu delapsos, dissimulari nequeat. In hunc lapidem, ut nihil nunc de Zvvinglij parte dicam, impegisse ipsum nostrum Philippum, prioribus præ-

sertim Locorum editionibus, multis propalavit Leonhardus Hütterus, sub initium Locorum Theologicorum, capite nempè III Prolegomenon. Et de B. Luthero idem monet Facultas Theologica Rostochiensis, Epistolis Chytræi pag. 1271. Verba Epistolæ ad Theologos Wittebergenses datæ, ita habent: *Scitis initio emendationis doctrinæ Ecclesiasticæ in vestra illâ Ecclesiarum & Scholarum metropoli, per Lutherum ante LXX annos instituta, dum liberum hominis arbitrium fortiter oppugnatur, multa de hoc ipso prædestinationis capite horridius disputata & asserta fuisse, videlicet prædestinationem Divinam omni voluntati humanæ tum IN EXTERNIS operibus, tum in internis cogitationibus libertatem adimere, OMNIA necessariò, & quidem absolutâ necessitate evenire, ut Poëta dixit, Certâ stant omnia lege, NULLAM esse in rebus humanis CONTINGENTIAM, Deum omnia quæ præsciat, etiam velle. Pharaonem non permissione sed efficace Dei actione indurari, sex continuis paginis* (intellige, in libro Lutheri de servo arbitrio) *contenditur.* —— *Hæc inquam, & multa his similia HORRIDIORA (quæ tunc in vestrâ cathedrâ, velut oracula docebantur, nunc nusquam nisi in Calvinianorum scholâ retinentur) Philippus communis Præceptor noster paulatim leniit ac sustulit, dum in omnibus libellis, Theologicis, Ethicis, Physicis & Dialecticis, has de necessitate Stoicâ & Manichæâ ut vocat, opiniones absurdas refutat, & scripturæ testimonia pro Divinâ Prædestinatione, seu necessitate Manichæâ & Stoicâ stabilienda, initio caussæ* Lutheri *allegata, longè aliter explicat, & argumenta præcipua ubique refutat, idque vivo adhuc Luthero.* Hæc ita Facultas Theologica Rostochiensis, ad Facultatem Theologicam Wittebergensem; quæ verba D. Johannes Dietericus Pastor & Superintendens Giessensis, *Refutatione & Abstersione*, ut vocat, *Calumniarum Iohannis Lampadii*, Mellificio Historico ab hoc edito subjunctâ, pag. 106. (omissis tamen prioribus quæ Lutherum concernunt) allegavit & approbavit. Perspexerit nunc autem Lector, quid
per

per *alterum extremum*, in quod *Reformationis auctores initio longius procurrisse* asseruit Horneius, intellectum ille voluerit, & quomodo verba ipsius eò detorserit Calovius, quorsum eorum auctor non respexit.

PUNCTUM II.

PRofitemur & docemus, quantum abest, ut corpus mortuum seipsum vivificare, atque sibi ipsi corporalem vitam restituere possit, tantum abesse, ut homo, qui ratione peccati spiritualiter mortuus est, se ipsum in vitam spiritualem revocandi ullam facultatem habeat; sicut scriptum est: cum essemus mortui in peccatis, convivificavit nos cum Christo, &c. Itaque etiam ex nobismet ipsis tanquam ex nobis non sumus idonei, ut aliquid boni cogitemus, quod vero idonei sumus, idipsum à Deo est, *Eph. II, 15. II. Cor. III, 5.* Epit. Conc. art. 2 p. 579. Teut. 202.

Rejicimus eos, qui docent, hominem non renatum similem esse homini somnolento vel ægroto, adeoque homini irregenito aliquam *δύναμιν* naturalem ad suscitandum & salvandum seipsum competere.

Ita docet Ioh Latermannus in Exerc. de æt. Dei prædest. & ordinata omnes salvandi voluntate §. 31 seqq. verbis: Quæris, quare Augustinus, quare alii cum eo gratiæ Dei insuperabilem ejusmodi vim adscribant? Respondeo: si æqua, ut par est, lance omnia expendere volumus, quicquid ab Augustino & aliis hîc fit, studio amplificandæ gratiæ Dei & imminuendarum liberi arbitrii virium unicè fit. Id quod adhibita una atque altera similitudine ita ob oculos pono: quemadmodum majorem gratiam init, qui ubi incendium exoritur, hominem somnolentem vi arripit, humeris suis imponit, & in locum securum deportat, quàm ille, qui eum ex somno TANTUM excitat, & ut fuga salutem SIBIMETIPSI quærat, adhortatur: quemadmodum etiam benevolentiam Medici magis commendat, qui dicit, eum post habito pæstilentissimo fœtore & aliis molestiis ægroto manibus, pedibusq; reluctanti, potionem præbuisse, quam qui adseverat eum oleo quidem vires sumendi medicamenta reparasse, & ægrotum ad sumendum illud hortatum esse, sed nauseanti & reluctanti vi illud non obtrusisse & exhibuisse: ita gratiæ irresistibilis patroni

φιλανθρωπίαν Dei se tum maxime extollere existimant, quando adseverant, eum per gratiam suam hominem in peccato mortuum ita resuscitare, ut necessariò evigilet & surgat. Quæ omnia diligentius paulò considerata, ad has de gratia & libero arbitrio controversias cum moderatione tractandas multum faciunt. Conf. etiam judiciũ Calixti de controvers. Theol. Francofurt. ann. 1650. editum thes. XXXII. ubi simili de oleo facultatem largiente, ita ut possint, si velint oculos & manus sursum è lacu tollere, adhibetur.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI II.

Quia in hoc Puncto Latermannum tantùm refodit Calovius, possem ego tacitus illud præterire. Video tamen in fine Parentem quoque vapulare, & quidem in hac allegatione; *Confer etiam Iudicium Calixti de Controversiis Theologicis Francofurt. anno 1650 editum Thesi XXXII, ubi simile de oleo facultatem largiente, ita ut poßint, si velint oculos & manus sursum è lacu attollere, adhibetur.* His videlicet verbis Parentem in suspicionem adducere conatur, quasi is docuerit, *hominem non renatum similem esse homini somnolento, aut ægroto, adeoque homini irregenito ALIQVAM* δύναμιν *naturalem ad suscitandum & salvandum se ipsum competere*; sicut verba *Rejectionis* Calovianæ hîc sonant. At frustra est accusator. Similia, ut notum est, non sunt in omnibus similia. Neque tamen illud de *oleo* simile, istic loci aliud quam hoc designat, irregenitos hactenus, quando jam per prædicationem verbi, & huic perpetuò conjunctã Spiritus S. ἐνέργειαν vires supernaturales acceperint, posse beneficio illarum voluntatem liberè attollere ad amplectendam Dei gratiam in Christo propositam. Atque hanc suam mentem satis clarè explicat Parens Considerationis Doctrinæ Reformatorum juxta ductum Confess. Thoruniensis pag. 58. *Manifestum est, si ad conversionem hominis requiratur gratia irresistibilis, & negetur sufficiens esse gratia facultatem quidem præbens, sed necessitatem non imponens; everti, quod de Deo seriò vocante & salutis omnium*

Edit. Helmestad. 1659.

omnium cupido, piè & rectè propositum fuit. Nec metus esse debet ne vel viribus humanis nimium tribuatur, vel dignitati gratiæ quidquā derogetur. Illæ enim non agunt nisi in virtute gratiæ imò non nisi gratia præventæ & excitatæ, adeo ut ad primam etiam gratiæ receptionem, à qua præventæ & excitatæ denominantur, se non habeant nisi PASSIVE. *Operatur itaque gratia antequam illæ operentur, & deinde cum his ita concurrit, ut ejus virtute actus spirituales & supernaturales producant, atque adeo bonos horum actuum totiusque conversionis, utpote rerum supernaturalium gratiæ debeatur. Nam ut alicubi loquitur Fulgentius* In hominis voluntate nihil bonæ cogitationis oboritur, nisi quod beneficio gratiæ prævenientis infunditur; nihil in melius augetur, nisi quod subsequentis juvamine roboratur; nihil benè consummatur, nisi quod eadem operante & opitulante perficitur. Lectorem quoque rogo ut evolvere velit, quæ Parens commentatus est ad Cap. VI Iohannis versum 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Vbi dictum Chrysostomi *Deus nolentes non cogit sed volentes trahit* quod Form. Concordiæ art. II. de Libero Arbit. pag 680 taxat, & ipse corrigit atque ita exponit, *ne favere videatur* Pelagio. Harm. Evā.

PUNCTUM III.

P*Rofitemur & docemus*, voluntatem hominis nondum renatam, non tantum à Deo esse aversam, verum etiam inimicam Deo factam: ita ut tantummodo ea velit & cupiat, iisque delectetur, quæ mala sunt, & voluntati divinæ repugnant, *ac ut terminis istis scholasticis utamur, & negativè & positivè gratiæ divinæ resistat.* Scriptum est enim, sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ. Item: Affectus carnis inimicitia est adversus Deum, neq; enim legi subjicitur, ac ne potest id quidem, *Gen. IIX, 21. Rom. IIX, 7.* Epit. Conc. art. 2. p. 579

Rejicimus eos qui docent, resistere nihil aliud esse, quam non acquiescere inspirationi Spiritus sancti, nolle se ab infidelitate ad fidem convertere, nolle mutare animum, adeoque hominem in resistendo potius negativè, quam positivè se habere,

Ita

Ita docet Iohannes Latermannus, in exercitatione de æternâ Dei prædestinatione & ordinatâ omnes salvandi voluntate, §. 3. Verba hæc sunt: ubi observandum, quando dicitur, hominem resistere Spiritui S. id ita non accipiendum esse, ac si homo se ei propriè loquendo opponat, sicut miles forte militi pectus objicit, aut quod homo vim sancti Spiritus vi quapiam voluntatis suæ repellat, & ita superior evadat: ad hunc modum crude nimis ista intelliguntur. Resistere hic nihil aliud est, quam non acquiescere inspirationi Spiritus S. nolle se ab infidelitate ad fidem convertere, nolle mutare animum, quæ omnia quod voluntati humanæ tum ob mutabilitatē, tum ob insitam pravitatem rectissimè tribuantur, quis dubitet? Potius igitur negative se habere, dum resistit homo, quam positive.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI III.

ISta quoniam nos non feriunt, sed in mortuum Latermannum tantùm conjiciuntur, silentio transeo.

PVNCTVM IV.

PRofitemur & docemus, humanam voluntatem quidem habere aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam, & deligendas res rationi subjectas; attamen sine fide, nullo modo posse humanā naturam primæ, aut secundæ tabulæ opera bona facere. Sine fide nō invocat Deum, à Deo nihil expectat, non tolerat crucem, sed quærit humana præsidia, confidit humanis præsidiis. Ita regnant in corde omnes cupiditates, & humana consilia, cum abest fides & fiducia erga Deum. Quare & Christus dixit: Sine me nihil potestis facere, *Ioh. XV, 5. Vnde Paulus ait, quicquid ex fide non est, peccatum esse, Rom. XIV. ult.* Et Ecclesia canit: Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium.

Aug. Conf. art. 18 p. 15. & art 20. p. 18. 19 Teut. fol. 6. 7.

Rejicimus eos, qui docent, solis naturæ viribus bona opera moralia fieri posse, nec omnia omninò ethnicorum opera peccata dicenda esse.

Ita docet D. Conradus Horneius parte II Disp. Theol. Disp. 3. sect. 2. §. 63. p. 299. verbis hisce: Cæterum etsi hæc ita se habent, extendenda tamen eo usque non sunt, ut nullum prorsus bonum opus morale, etiam ex iis, quæ faciliora sunt, & quando tentatio nulla urget

get, solis naturæ viribus fieri posse statuamus, cum Paulus, ad Rom. 11. expresse dicat, gentiles, quæ legis sunt, naturâ facere, etsi rarò & paucissima talia sine dubio aguntur. Vnde nec omnia omnino ethnicorum opera peccata esse dicimus, nec omnes eorum virtutes vitia, ut S. Augustinus fere docet.

EXAMEN ET DISCVSSIO PVNCTI IV.

SEntentiam Augustanæ Confess. in margine citatæ agnosco. Allegationem tamen loci Paulini ad Rom. XIV. *Quicquid non est ex fide, peccatum est*, quæ in textu August. Confessionis adducto non comparet, suo quodam consilio (quod mox patebit) addidit Calovius.

Rejicit deinde eos *qui docent* (1) *solis naturæ viribus, bona opera moralia fieri posse, nec* (2) *omnia omninò Ethnicorum opera peccata dicenda esse.* Vtroque nomine sugillat Horneium cujus verba aliqua adducit. Sed Horneius, primò non ita indefinitè loquitur sicut Calovius in Rejectione verba format, *solis naturæ viribus bona opera moralia fieri posse*, verùm temperat verba sua, & putat non esse asserendum *nullum prorsus bonum opus morale, ex iis quæ faciliora sunt; & quando tentatio nulla urgeat, solis viribus naturæ fieri posse*; item addit, *raro & paucissima talia sine dubio agi.* Et hac ipsa à Calovio citatâ Thesi, iisque ipsis quæ hic ex eâ allegat lineis, provocat ad verba Pauli Rom. 11, 14 qui expresse dicat gentiles τὰ τȣ̃ νόμȣ *quæ legis sunt facere*. Ad quæ verba D. Calovius quoque, Theologiâ suâ Apostolicâ Romanâ Oraculo XIX §. 6. notat, *Gentes facere ALIQVA quæ sunt legis.* Quæ opera autem sunt legis, ea in quantum sunt *legis* (divinæ) bona utique sunt. Addit quoque Horneius in lineis quæ proxime sequuntur, ista à Calovio producta, *opera illa gentilium non esse eo sensu bona, quo Scriptura virtutem aut bonum aliquid appellat; nihil enim tale esse, nisi quod à fide & gratiâ Dei proficiscatur.* Quæ utique rectissima sunt. Certè con-

congruunt plane eum iis quæ ipse D. Iohannes Benedictus Carpzovius Isagoge in libros Symbolicos ad Art. VI. Conf. pag. 270. tradidit. *Opera gentilium bonis operibus stylo Scripturæ talibus, accenseri non posse.* Itaque Horneium Calovius, quantumvis partim secum ipso, partim cum Carpzovio sentientientem, & sic mere pro animi lubitu accusavit.

Nec melius se gessit in alterâ reprehensione. Nam ne ipsa quidem Concordiæ Formula *opera gentilium* simpliciter appellat *peccata*, sed in Art. IV. de bonis operibus Paragr. *Sed & hoc &c.* dicit, *opera illa, quum non ex verâ fide proficiscantur, vera coram Deo esse peccata, hoc est,* (addit) *peccatis contaminata.* Et D. Carpzovius loco jam indicato pergit. *Quamvis opera gentilium propter aliqualem congruentiam cum voluntate Dei ex lumine naturæ notam, peccata simpliciter appellari non possint, tamen peccaminosa opera sunt, & peccato infecta, & propterea principio & fine bonorum operum carent.* Sicut ergò Formula Concordiæ & D. Carpzovius bona gentilium opera peccata non simpliciter vocant, ita quoque D. Horneius eadem peccata non simpliciter vocavit. Quare rejici hic iterum non poterit ille, quin & Formulam suam & Carpzovium simul rejicere necessum habeat Calovius.

Venio ad locum Pauli ad Rom. XIV, 23. *Quicquid ex fide non est, peccatum est.* Hunc locum D. Calovius suprà textui August. Confess. Art. XX. ubi aliàs non habetur, nullâ aliâ de causâ inseruit, quam ut rejicere posset Horneium tanquam ab August. Confess. desciscentem, quando *non omnia gentilium opera peccata dicenda esse* ille scripsisset. Et quum Horneius Disputationis à Calovio productæ Th. LX. sub initium monuisset, S. Augustinum bona gentilium opera *peccata* simpliciter vocare solitum, *sententiam suam præcipuè dicto illo Rom. XIV, 23. adstruxisse*, voluit Augustino, quantumvis aberranti astipulari, tantùm ut Horneium premere posset. Humani autem aliquid

aliquid Augustinum passum esse, quando dicto illo Pauli, opera gentilium simpliciter peccata esse, evincere voluit, tùm per se palàm est, tùm non ignorare potuit ipse Calovius. In Theologiâ enim suâ Apost. Romanâ Oraculo LXXXI, Th. 1 x, verum hujus dicti sensum, quem Horneius profert, ipse dudum perspexit & tradidit, quando ita scripsit, *sic versandum esse circa indifferentia, ne quicquam agamus reluctante vel hæsitante conscientiâ.* QVO PERTINENT *illæ* REGVLÆ, Vnusquisque in animo suo planè certus esto. *Et*, quicquid non est ex fide, peccatum est; *ut&*, ei qui reputat aliquid impurum esse, id ei impurum est. — *Non ergo hic agendum quidquam titubante vel reluctante conscientiâ, sed unusquisque quod agit vel omittit, certò sciat & persuasus sit non pugnare cum Verbo Dei nec displicere Deo.* Et hic est genuinus sensus literalis hujus loci, non ille quem S. Augustinus probat, quemque Calovius odio Horneij, etsi ipse rectius noverat, hic urgere maluit.

ARTICVLVS XXI. ISQVE VLTIMVS. AVGVSTANÆ CONFESSIONIS DE CVLTV SANCTORVM.

PVNCTVM I.

P*Rofitemur & docemus*, quod memoria sanctorum proponi possit, ut imitemur fidem eorum, & bona opera juxta vocationem, minimè verò, ut invocemus sanctos, seu, petamus auxilium à sanctis. Quia SSa. unum Christum nobis proponit mediatorem, propitiatorium, Pontificem & intercessorem. Hic invocandus est, & promisit, se exauditurum esse preces nostras, & hunc cultum maximè probat, videlicet, ut invocetur in omnibus afflictionibus 1 Ioh. 11, 1. 2. Si quis peccat, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et ut maximè pro Ec-

Aug. Conf. art. 21 p. 19. Apol. Aug. Conf. art. 1. p 50. art. 21 p 123 225. & artic. Smalc. part 2. art. 2. p. 310. & seqq Teut. f. b. 8. b. f. 100. b. Apol. pag. 14. 225.

clesia orent sancti, tamen non sequitur, quod sint invocandi. Nihil afferri potest ab Adversariis contra hanc rationem, quod cum invocatio non habeat testimonium à Deo, non possit affirmari, quod sancti intelligant invocationem nostram, ut ut maximè intelligant, quod Deus eam approbet.

Rejicimus eos, qui docent: intercessionem ut à vivis, ita à mortuis utiliter peti posse, si, quemadmodum illi, ita quoque hi allocutiones nostras audirent & perciperent.

Ita docet Calixtus in notis ad Concil. Trid. sess. 25. Intercessio ut à vivis, ita quoque à mortuis peti utiliter posset, si quemadmodum illi, ita quoque hi allocutiones nostras audirent & perciperent; quod cum probatione destituatur, nec certum sit, animas beatorum separatas Deum videre; nec inde etiamsi certum foret, colligi queat, eas in Deo cognoscere & videre quicquid Deus cognoscit, inde efficitur usitatum in Ecclesia Pontificia, ORA PRO NOBIS, fructus & effectus expers esse. Nobis autem non indignabuntur, si pro illo, quod ipsi dicunt: S. PETRE, S. PAVLE, ORA PRO NOBIS, nos dicere malimus IESV CHRISTE, FILI DEI MISERERE NOSTRI, & apud Patrem tuum cœlestem pro nobis intercede. Nec negabunt CERTIVS esse, hanc precationem exaudiri, & effectum sortiri, quam alteram, quâ Sanctorum animæ compellantur. Efferre eas secum memoriam suorum, quibus in hac vita conjuncti fuerunt, & novisse, quod adhuc in terris Ecclesia militet, & multis cum adversitatibus conflictetur, id vero negare nolumus, neque inficias imus, eâ charitate pollere, ut pro piis, quos amarunt & pro Ecclesia, quam militare norunt, Deum velint precari: sed quum charitate, qualem diximus, maximâ flagrent, sua sponte id officium præstabunt, ut nostris monitis & colloquiis incitari nihil opus sit, quæ si maximè à nobis adhibeantur, ab ipsis tn. non percipiuntur, & proinde frustra instituuntur. Excipit tantum Calixtus, quod Sancti nondum videant Deum, ac tametsi viderent, non sequi tn., quod per visionem illam intelligant invocationem nostram, admittitque invocari posse, si intelligerent; At Apologia August. Conf. si maximè intelligerent, licitam esse negat invocationem Sanctorum, quod non habeat testimonium à Deo, nec à Deo approbetur.

EXA-

EXAMEN ET DISCUSSIO
PVNCTI I.

Compilat hic denuò D. Calovius quædam ex Augustanâ Confess. & ejus Apologiâ. Illis autem quæ ex Confessione citat, de suo interserit quæ sequuntur; *minimè verò ut invocemus Sanctos, seu petamus auxilium à sanctis.* Confessio enim non illa sed hæc tantùm habet; *Scriptura non docet invocare sanctos seu petere auxilium à sanctis.* Atque ita moderatè Confessionem loquutam, signatè Apologia Paragr. IV. repetit, *Quanquam,* inquiens, *Confessio nostra HOC TANTVM affirmat, quod Scriptura NON DOCEAT sanctorum invocationem, seu petere auxiliũ à sanctis.*

Rejicit nunc Calovius *eos qui docent, intercessionem ut à vivis* (peti potest, prælucentibus in S. Scripturâ exemplis) *ita à mortuis utiliter peti posse, SI, quemadmodum illi, ita quoque hi allocutiones nostras audirent & perciperent.* Subjungit autem aliqua Parentis mei verba, quæ illius esse non est quod negem. Verùm ut adhuc plenius de sententiâ ejus constet, adscribere hic oportet alia ejusdem verba, mentem ejus uberius declarantia. Disputatione ergò de statu animarum separatarum & de cultu qui ijs convenit Th. XXX. ita scribit: *Preces ad animas beatas, utpote Apostolorum, Martyrum aliorumve sanctorum, ut ab eis impetretur apud Deum pro vivis intercessio emissas, idololatriæ quidem accusare non decet. Neque enim hoc ipso iis tribuitur, quod Deo competat, & creaturis tribui nefas sit. Nam Dei non est pro quopiam orare aut intercedere. Dices fortè, nihilominus iis tribui, quod vota & internas innumerorum cordium preces cognoscant; idq; esse solius Dei. Respondeo non tribui ipsis, quod suâ propriâ & independente virtute cognoscant, sed quod aliquâ Divinitus collatâ; aut quod à Deo quocunque tandem modo revelentur. Si igitur invocatio consistat intra illud ORA PRO NOBIS ab idololatria erit immunis. Interim cassam & inanem & sine fructu ac effectu dicere satis est causæ.* His mox Th.

xxxII subjungit, quæ maximè ad rem præsentem pertinent & ita habent. *Sanè si daretur animam beatam affari, nihil ab eâ magis aut potius peteremus, quàm commendationem nostri, & intercessionem apud Deum. Quoniam autem non datur, nec interim de intercessione pro Ecclesiâ militante & nobis generatim factâ dubitatur, rectum fuerit Deum ipsum precibus alloqui, & petere, ut quum nos propter quotidianas hallucinationes fortè indigni simus qui exaudiamur, attendere velit preces sanctorum sibi propinquiorum, pro nobis interpellantium & deprecantium. Preces autem quæ disertè & immediatè à sanctis postulant illuminationem mentis, æternam salutem & alia, quæ dare solius Dei est: item, redemtores salutant & salvatores; eas uti jacent & sonant, ab idololatriâ immunes non esse fatendum est. Interpretationibus quidem subvenitur, & in tolerabilem sensum torquentur: sed non adsuefaciendus erat simplex populus, formulis precum, quæ violentis applicationibus indigeant, & alium sensum habeant quàm verba simpliciter accepta præ se ferunt.* Præ aliis mordere Calovium credo illa verba, *sane SI daretur animam beatam affari, nihil magis aut potius peteremus, quàm commendationem nostri, & intercessionem apud Deum.* Hinc enim eum stomachari video in fine hujus Puncti, quando *Calixtum*, inquit, *admittere invocari posse sanctos SI intelligerent, invocationem* (compellationem pro intercessione facienda) *nostram.* At *Apologiam August. Confess si maximè intelligerent*, ait *licitam esse negare, invocationem sanctorum, quod non habeat testimonium à Deo, nec à Deo approbetur.* Falsum dicit Calovius. Apologia enim de illo casu quem Calixtus ponit, *SI* scilicet *daretur animam beatam* præsentem & compellationẽ nostram audientem *affari*, prorsus non agit. Aut ostendat Calovius, ubi, quibusve verbis Apologia de hoc ipso casu loquatur. Argumentum quoque quod ex Apologia Calovius hic repetit, itidem ad hunc casum non pertinet. Quum enim Apologia de invocatione sanctorum paragr. 4 dixisset, *neque præceptum neque promissionem, neque exemplum ex scripturis de invo-*

candis

candis sanctis afferri posse, mox subjungit; *Unde scimus sine testimonio scripturæ, quod sancti intelligant singulorum preces?* Compellandorum itaque pro intercessione facienda sanctorum *qui non intelligunt singulorum preces*, è scripturâ *nec præceptum, nec promissio, nec exemplum Apologiâ judice afferri potest.* At verò *Si daretur animam beatam* præsentem *affari*, tunc eadem, pro intercessione eam compellandi ratio esset, quæ est fratrum nobiscum viventium. Horum verò, à nobis pro intercessione facienda compellandorum exempla, sunt in scripturâ. Ergò & his ipsis exemplis congruum foret, animam beatam, qualem dixi, pro facienda intercessione, compellare. Atque sic frustra Calovius conatus est auctoritate Apol. adversus Calixtum abuti.

PUNCTUM II.

P*Rofitemur & docemus*, Pontificios cum Mariam, & sanctos demortuos cultu penitus divino prosequantur, & non tantùm passione Domini nostri Iesu Christi, sed etiam merita beatissimæ Virginis Mariæ & omnium sanctorum, sibi dicant esse in remissionem peccatorum, docente Apologiâ Aug. Confess. art. 1. Lat. 227. Teut. 102. applicentque merita sanctorum pro aliis, & faciant ex sanctis non solum deprecatores sed etiam propitiatores, ideò ab idololatria non esse alienos, quemadmodum & eos idololatras esse, & extra Ecclesiam Christi, ac Deum contumelia afficere, laudata Apol. cum articulis Smalcald. non semel jure meritissimo inculcat. Quæ etiam Articulus 7. fol. 64. edit. German. Doctrinam papisticam de cultu sanctorum ponit inter Articulos, qui fundamentum fidei & definitionem veræ Ecclesiæ evertunt. Art. Smalc. l. d. p. 311. Invocatio sanctorum est etiam pars errorum & abusuum Antichristi, pugnans cum primo principali Articulo, & delens agnitionem Christi. Est cultus idololatricus, quem ferre non possumus, sed damnare cogimur &c. Iterum pag. 349. Invocatio sanctorum quantos abusus, & quam horrendam idololatriam peperit.

Rejicimus eos, qui docent, Pontificios ab idololatria alienos, nec extra spem salutis ponendos, & æternæ morti addicendos esse;

quin

quin potius, tanquam Patris cœlestis (cui videlicet dicunt, Pater noster, qui es in cœlis) filios, tanquam concorpores, & cohæredes, tanquam fratres & sorores haberi & diligi oportere.

Ita docet D. Georg. Calixtus in Desiderio & studio concordiæ Ecclesiasticæ §. 2. 3. & 4. edition. 2. quæ in appendicibus habetur der Wiederlegung contra Dn. D. VVeller. Ibi namque primum dicit, Iudæos & Muhammedanos ab idololatria alienos esse. Deinde de Neophotinianis, Socinianis & Anabaptistis addit, eos Christiani nominis participes factos dici, quod Christum quondam venisse in mundum agnoscant: & tandem Pontificios non tantum ab idolatria absolvit, sed etiam de iis, ut & Reformatis sequentia subjicit verba: Quod igitur attinet Pontificios & Reformatos, aut negari oportet, quenquam eorum esse membrum Christi, & affirmari, omnes, quotquot sunt, aut fuerunt, etiamsi contra conscientiam suam nihil adseruerint, aut egerint, laborantes ignorantia, quam superare nequeant, nihilominus extra spem salutis positos, & æternæ morti addictos esse; aut si nobiscum æternæ vitæ participes esse possunt vel erunt, tanquam ejusdem Patris (cui videl. utrinque dicimus, Pater noster, qui es in cœlis) filios tanquam concorpores & cohæredes tanquam fratres & sorores haberi & diligi oportet, Quum Patrem invocamus singuli, & NOSTRVM appellamus, docemur ex dono & jure divinæ adoptionis consequi necessariò, ut fratres sint fideles omnes, & inter se fraternè amare debeant. Item: Pontificios post susceptum baptismum unum Deum creatorem cœli & terræ venerari & adorare, ac proinde pro civibus Regni Dei & Christi habendos esse, in Epicr. ad Colloquium Thorun. th. 3. 4. & aliàs passim. In notis ad Concil. Trident. sess. 13. n. 6. scribit: Idololatriam committi ab iis saltem; quibus constat, non nisi panem esse, qui à Papistis circumgestatur adorandus, eumque adorant. Quasi nulla idololatria committatur ex ignorantia veri Dei, aut ullus unquam idololatra extiterit, qui id adoraverit, cui nihil veri Numinis subesse constabat. hanc dolosam restrictionem repetit ad sess. 25. de adorantibus Sanctos, tanquam Auctores remissionis peccatorum (quasi autores non sint, qui remissionem aliis mereri creduntur?)

Hæc sunt præcipua doctrinæ Christianæ capita, quæ ex Propheticis & Apostolicis Scriptis exstructa in tribus veteribus Symbolis, Aug.

Aug. Conf. invariata, ejusdemque Apologia, art. Smalcald. utroq; Lutheri Catechismo, Epitome, illiusque Declaratione comprehenduntur, sed per D. Georgium Calixtū, Prof. Helmstadiensem, illiusq; complices, impugnantur, quasi non vera, vel etiam quasi non necessaria ad fidem & unitatem fidelium conservandam. Theologis autem, omnibusq; Ecclesiæ ministris inprimis hoc negocii incumbit, ut ex verbo Dei etiam eos, qui ex quadam vel simplicitate, vel inscitia à veritate aberrarunt, de periculo salutis suæ ea, quâ decet, moderatione doceant, & contra corruptelas muniant: ne forte, dum cœci cœcorum sunt duces, universi periclitentur.

Deum ter Optimum Maximum precamur, ut omnes novitates ac corruptelas ab Ecclesia orthodoxa quam longissimè jubeat abesse, nosque singulos in consensu hocce repetito conservet ad ultimos usque spiritus, Amen.

EXAMEN ET DISCVSSIO
PVNCTI II.

NOn potuit hîc D. Calovius afferre sententias librorum Symbolicorum, sed placuit ei ex proprio loqui. Auscultabimus itaque multa omninò & varia proferentem. Dicit *Pontificios* QVIA (1) *Mariam cultu PENITVS DIVINO prosequantur:* (2.) *Non tantùm passionem Domini nostri Iesu Christi, sed etiam merita beatissimæ virginis Mariæ & omnium sanctorum, sibi dicant esse in remissionem peccatorum, docente Apologia Aug. Conf. Art. XXI.* (3) *Applicent merita sanctorum pro aliis, & faciant ex sanctis non solum deprecatores, sed etiam propitiatores,* ideò & his de caussis *idololatras esse, & extra Ecclesiam Christi, & Deum contumeliâ afficere.* Et hoc dicit *laudatam Apologiam cum Articulis Smalcaldicis non semel jure meritissimo inculcare.*

Vt ab ultimo incipiam, velim Calovius ipsa Apologiæ verba annotasset, quod facere ausus non est. His quidem, quæ ex *Professione & Doctrinâ* ejus repetivi, hæc immixta esse animadverto; *Extra Ecclesiam Christi & Idololatras esse & Deum contumeliâ afficere.* Sed ea ex Apologiâ ad Articulum Con-

fessionis primum huc retracta sunt, & de Papistis non loquuntur, ut inspectio loci statim docet. Æquè vellem ut indicasset D. Calovius, ubinam Articuli Smalcaldici hæc ipsa verba, quæ ex Apologiâ parum commodè allegavit, *non semel*, ut ipse ait protulerint? Mihi illa in Articulis Smalcaldicis nullibi licet offendere. Allegat etiam exemplar Germanicum Apologiæ quod Art. VII fol. 64, *doctrinam Papisticam de cultu sanctorum, ponat inter Articulos qui fundamentum fidei & definitionem veræ Ecclesiæ evertant*. Sanè facit id exemplar Germanicum. Sed id non est authenticum ut in proximè præcedentibus monui. Polycarpus Lyserus im kurtzen und gegründeten Bericht/ auff die unter D. Daniel Hoffmans wieder die zu Dreßden gedruckte Christliche Concordiam außgesprengete beschuldigung anno MDXCVII ita scribit: die Apologia ist anfenglich lateinisch geschrieben und publiciret/ hernach aber erst von D. Justo Iona verdeutschet worden. Und hat Herr D. Ionas eine zimlige libertatem in der verdolmetschung gebraucht/ die offte (NB.) von dem lateinischen weit hinweg gehet. Darumb wann der Apologien halber ein mißverstand entstünde / so müste man denselben nach den lateinischen/als dem authentico und zwar nach dehm welches anno 31 in 4to gedrücket ist/ und nicht nach dem deutschen exemplar, entscheiden. D. Calovium hoc non ignorasse, sed suo potius aliquali commodo dissimulasse mihi fit vero simile. Rem ipsam itaque quod attinet, dico (1) Idololatras utique & esse, & Parenti pro Idolatris habitos esse illos Pontificios, qui Mariam aliosque sanctos *cultu penitus divino* afficiant. Sed *num imperitia* (talis idololatria) *aliquorum traduci debet, quasi dogma Ecclesiasticum*? dicturus erat Calovio Bellarminus lib. 1. de Sanctor. beat. Cap. XVI, sub finem.

Ad (2) Apologia non dicit Papistas in communi sic docere, quod merita B. Mariæ & aliorum sanctorum sint sibi in remissionem peccatorum. Sed temperatè loquitur, *passim usur-*

patur

patur hæc Formula absolutionis &c. Quanquam Bellarminus neget obtinere hanc apud Pontificios formam absolutionis. Verba ejus è libro 1. de Pœnit. Cap. IV. huc adscribam Lectori de iis judicium relicturus. *Nec protulit, nec proferre potuit Heshusius* (qui eandem absolutionis formulam objecerat) *ullum catholicum auctorē qui hæc verba pro formâ absolutionis agnosceret. Forma enim vera, quâ Catholici omnes utuntur, illa verba sunt:* Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii & Sp. Sancti, Amen. *In quâ forma nulla mentio B. Virginis Mariæ, aut sanctorum cæterorum, sed solius Dei, cujus est proprium per se aut per ministros suos, peccata remittere. Hanc autem esse formam Absolutionis, partim ex Conciliis, Tridentino & Florentino, & omnibus auctoribus, qui de iis rebus tractant, partim ex ipsa Ecclesiæ consuetudine, omnes norunt. Porrò illa quæ citat Heshusius non forma Absolutionis, sed pia quædam precatio est, quam adhibere* NONNVLLI *solent post Absolutionem à peccatis datam. Neque absurdè precamur juvari ad* POENAE QVAE EX PECCATO RELINQVITVR REMISSIONEM, *nec non ad gratiæ incrementum, & vitam æternam consequendam, meritis Christi, sanctissimæ Deiparæ, omnium beatorum cum Christo regnantium, & nostris etiam propriis operibus ac laboribus, cùm omnia* SVO MODO *prodesse valeant.*

Ad (3.) Quia Pontificii *merita nostra* existimant & docent *nasci ex meritis Christi, & omnem vim suam inde accipere, ut quicquid laudis & dignitatis habeant* hoc *totum redundet in laudem meritorum Christi*: Item *sanctos* esse *intercessores & impetratores mediatos qui NON NISI per mediatorem Christum impetrent* Bellarm. lib. 1. de sanct. beat. Cap. XVII. in fine: hinc si Idololatria dici debet quando Pontificii merita sanctorum sibi aliisque applicant, non formalis illa fuerit, sed materialis.

Pergit tamen Calovius, & ait, *Articulos Smalcaldicos invocationem sanctorum* nominare *partem abusuum & errorum AntiChristi, pugnantem cum primo Articulo, & delentem agnitionem Christi.*

sti. Sed Respondeo primò, non loqui Lutherum de *nudâ compellatione* sanctorum pro faciendâ intercessione, ut observat ipse Carpzovius Isagoge ad hunc locum. Deinde quod ait, invocationem illorum sanctorum *pugnare cum primo* (partis secundæ articulorum Smalcald.) *articulo*; Item, *delere agnitionem Christi*, sine dubio intelligit indirectè eam & per consequentiam id facere. Cujus robur qui non capiunt nec vident, propter Christum in quem credere & confidere non desinunt veniam apud Deum poterunt consequi. Repeto hîc verba quædam Kesleri contra Bellum Ubiquit. Foreri lib. II. sect. II. Cap. I. pag. 564 *sæpè fit, ut quis statuat antecedens, ex quo per bonam consequentiam alius absurdum deducit, quod minimè ille putat ex eo sequi. Hoc in casu non statim ex Ecclesiæ consortio* (notet hoc accuratè Calovius) *errans est excludendus, monendus & informandus potius*.

Præterea, ista Lutheri, *Est cultus idololatricus quem ferre non possumus*, ita conjunctim quemadmodum D. Calovius citat, in allegato Articulo rursus non habentur, sed quum dixisset Lutherus, *Angelos & sanctos non esse invocandos, adorandos, jejuniis, feriis, Missis, oblationibus, templorum, altarium, cultum fundationibus & aliis modis honorandos, ut patronos, ut intercessores, nec unicuique certa auxilia distribuenda ut Papistæ faciunt*, subjungit, *hoc enim est idololatricum, & hic honor soli Deo tribuendus*. Et tum iterum ex intervallo ait, *Missam Pontificiam & quicquid ex eâ natum est, id universum ferre non possumus*. Hic quidem Lutherus *Idololatricum* dicit, *jejuniis, feriis, Missis, oblationibus, templorum, altarium, cultuum fundationibus honorare sanctos, & unicuique eorum certa auxilia distribuere*. Nec dubium est idololatriæ valde appropinquare qui signa talia qualia communis gentium consensus cultui Dei externo destinavit, ad Angelos & Sanctos transferant. Interim tamen explicant sese ita Pontificij scriptores, *Basilicam vel templum S. Petri, esse templum dicatum Deo*,

Bellar. l. 3. de cultu sanct. cap. 4

Deo, in memoriam & nomen S. Petri : Et Missas quasdam dici sanctorum, v. gr. *S. Petri; non quod ipsum sacrificium offeratur S. Petro, sed quod offeratur Deo in grattarum actionem pro gloriâ S. Petro collatâ, & simul interpelletur Petrus tanquam patronus & advocatus* (mediatus ut paulo ante audivimus qui *Non nisi* per mediatorem Christum impetret) *apud Deum*. Atque provocare solent adverba Augustini de Civit. Dei Libr. XXII. Cap. X. *Nos autem martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricamus*. Legantur reliqua in ipso textu. Festa quoque *sanctorum* dicunt, *Deo dicari, sed in sanctorum memoriam, quemadmodum templa consecrantur Deo in memoriam sanctorum &c.* De auxiliis inter sanctos distributis, citare amant verba S. Augustini, Epistolâ 137, ad clerum & populum Hipponensem : *Numquid non & Africa Sanctorum Martyrum corporibus plena est? & tamen nusquam hic scimus talia* (miracula) *fieri; sicut enim quod Apostolus dicit* (1 Cor. XII.) *non omnes sancti habent dona curationum; -- ita nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit ille qui dividit propria unicuique prout vult.*

Ex hisce judicari nunc poterit de *Rejectione*, quam Calovius subnectit. Quanquam negare nollem, particulares quosdam Pontificios scriptores, & superstiosos in vulgo quam plurimos, ipsa praxi suâ crassissimæ & detestandæ idololatriæ sese obnoxios facere.

Allegat deinde verba ex Appendicibus Parentis der Wiederlegung D. Wellers Verleumbdungen deprompta, quorum initium mutilatum est, unde rogo Lectorem ut locum ipsum adeat.

Præterea pauca quædam è Notis ad Concilium Tridentinum sess. XIII. num. VI depromit. Non ignorabat autem Parentem illud negotium de adoratione panis Pontificia in Missâ & extra Missam, disertiùs & pleniùs proposuisse Disp. II de

II de Transsubstantiatione Th. LXXII, ubi inter Idololatriam *formaliter* & *materialiter* sumptam distinguit, & distinctionem applicat quando dicit, *eos qui scire poterant & docere tenebantur* (panem nec aliud quam panem extra usum adesse) *culpam latæ crassæ & damnabilis ignorantiæ incurrere: minorem*, &, ut *sperare* se ait, *venialem* (incurrere) *illos, quibus se extricare per ingenij & doctrinæ tenuitatem non est proclive, & qui perseverantes in fide & dilectione Christi venerantur ut Christum, quod Christum esse, auctoritate cui refragari non audent; persuasi sunt.* Hic verò jam exclamat Calovius; *Quasi nulla idololatria committatur ex ignorantia veri Dei!* Non satis intelligo quid hisce sibi velit, & debuisset exemplo aliquo mentem suam declarare. Pergat tamen, si fortè ex sequentibus sententiam ejus nonnihil perspicere liceat: *Aut ullus unquam idololatra exstiterit, qui id adoraverit, cui nihil veri Numinis subesse constabat!* Sunt & hæc subobscura. Hoc tamen videtur velle: idololatram nullum unquam exstitisse, qui id objecti adoraverit, de quo sibi certo constiterit, nihil omnino Numinis ei subesse. Omnes idololatras existimasse, objecto quod coluerint, quod adoraverint, aliquid Numinis inesse aut subesse. Et sic per idololatriam *materialiter* sumptam quam Calixtus vocat, Pontificiorum vulgus à verâ & damnabili idololatriâ excusari non posse. Respondeo autem, idololatras, qui objectis illis creatis, quæ ipsi tamen cultu Deo debito afficiebant, aliquid Numinis subesse persuasi fuerunt, ideò ab idololatriâ non excusari, sed culpam latæ & damnabilis ignorantiæ incurrere, quia solo ductu naturalis rationis, ille error non difficulter deprehendi & dijudicari poterat. Sed error Pontificiorum, sub pane Eucharistico Christum Dominum peculiariter præsentem esse persuasorum, non ex lumine naturalis rationis, sed ex revelatione supernaturali unicè dijudicari

dicari potest. Quam dijudicationem ad solos Doctores pertinere, auditores in regno Papistico insuper sunt persuasissimi. Alia itaque longe ratio est erroris Papistarum, circa objectum creatum quod in S.Cœnâ illi adorant, ab errore idololatrarum Paganorum, adorantium rem creatam, cui numinis aliquid subesse falso existimabant. *Error* videlicet Papistarum, *est circa ejusmodi objectum quod ex singulari revelatione & gratiâ Divinâ, non autem natura notum est,—— ac proinde nec ignorantia melioris in crimine debet collocari. Citra singularem enim & gratiosam illuminationem Spiritus Sancti, nemo potest effugere passivam seductionem, quin incidat in errores Anti-Christi ob prælatum schema sanctitatis, miraculorum, latitudinis illius sectæ, potentiæ, auctoritatis, divitiarum, splendoris aliorumque lenociniorum erroris*, ut rectè his ipsis verbis, pro Calixto apprimè facientibus, judicat D. Hulsemannus, quando Imperatorem Romanum, *dogmata quædam Anti Christi* amplexum excusat, quo minus hic sit appellandus Imperator Anti-Christianus, Brev. Cap. XXII. Th. XXIII.

Atque hîc, D. Calovium κατὰ πόδα hactenus sequutus, pedem & ipse nunc figo, pertœsus turpissimarum depravationum, ac futilissimarum falsissimarumque in immerentes & innocentes accumulatarum accusationum, pro quibus auctorem debitas pœnas, justissimo Iudici suo tempore (nisi seriò resipiscat) persoluturum, mecum sum certissimus. Si tamen cœcum & inveteratum hominis odium omnem agnitionem excludit, si major ejus est pertinacia, quàm ut temere dati scandali pœnitentiam admittat, illam retundere, & ad hanc inducere eum valebit Serenissimus Saxoniæ Elector, demandata opera viris, quos ad clavum tàm publicæ quàm Ecclesiasticæ rei; ipse sedere jussit. Tanta quippe est bonæ caussæ fiducia, ut quemvis, cui saltem à Deo & naturâ

turâ concessa est judicandi facultas, judicem admittam. Tam plana, tam perspicua sunt à mea parte cuncta, ut videam, vel saltem videre mihi videar uno ore acclamantes omnes, turpiter sese dedisse Calovium, atque insontium famam lædendo, prostituisse propriam. Opt. max. Deum, ex animo ego precor, ut omnes veritatis corruptelas, rectarum opinionum depravationes, calumnias & Sycophantias, cum omni sacrâ tyrannide procul ab Ecclesiâ nostrâ esse jubeat, & in CONSENSV cum sacrâ scripturâ, atque ex hac depromptâ, *Fide Catholicâ & Apostolicâ, ubique semper & ab omnibus creditâ*, qualis demum est, esse certè debet, quæ audire vult *Fides verè Lutherana*, nos clementer tueatur & conservet, accusatorem verò fratrum Satanam, sub pedes nostros conterat citò!

FINIS.



APPENDIX.

CVm ad finem decurreret opera hæc mea, pervenerunt ad manus meas Disputationes undecim perbreves de *Articulis fidei* tum in genere, tum de *Articulis fidei fundamentalibus* in specie, authore & Præside Reverendo & doctissimo Viro Dn. Iohanne Meisnero SS. Theol. D. & Prof. in Academia Wittebergensi, D. Abrahami Calovii collegâ, proximo superiore anno publicè habitæ. In illis Disputationibus cum occurrant, quæ partim Caloviani Consensus quibusdam Punctis aperte contraria, partim melioris quàm Caloviana placita esse solent, sint sensus, & cum doctrina Parentis quàm optime congruant, placuit ea, etiam cum Calovianis ubi fieri poterat comparata, Tuo Lector conspectui hîc exponere, ut videas quàm sit πανδαμάτωρ ἀλήθεια.

I. D. Calovius Cons. art. 1. Aug. C. Punct. I. *Reiicimus eos qui docent, quod sit Deus, non debere à Theologo probari, sed tanquam naturaliter notum supponi, adeoque, articulum fidei non esse quod Deus sit, quod unus sit, infinite perfectus, bonus, sapiens, potens, sibi sufficiens, ac persequi Theologum tantùm ea è sacris literis, quæ alioqui ingenio humano incognita forent & impervia.*

D. Ioh. Meisnerus Disputationum modo dictarum prima, §. 7. *Tertium* (requisitum articuli fidei) *est, ut quicquid creditur à Deo ipso peculiariter manifestatum sit, & ex ejus solius revelatione supernaturali hauriatur. Qua in parte ab iis distinguitur, quæ per naturam, & revelationem omnibus hominibus, etiam gentilibus, communem, innotescunt. Quanquam enim ex his quoque nonnulla articulis fidei annumerari soleant, & salvandis creditu necessaria sint, non creduntur tamen ut naturaliter nota sunt, sed quæ & quatenus à Deo revelantur, quemadmodum ex iis quæ de Deo & attributis divinis ex naturæ lumine cognoscuntur, constat, & Apostolus II. Pet. 1.18.19. testatur.* Conferantur cũ his verba D. Hornei), Examine

mine nostro articul. hujus 1. punct. 1. in fine producta, & Calovii iniquitas manibus palpabitur.

II. D. Calovius Conf. art. cit. 1. Puncto II. *Rejicimus eos qui docent, quod sufficiat credere, unum esse Deum, qui Pater sit, & Filius, & spiritus sanctus, neque ad credenda sive articulos fidei propriè strictèque ita dictos, quorum videlicet ignorantia salutem excludit, pertineant notiones divinæ, proprietates & relationes, quomodo & â se invicem, & ab essentiâ, modaliter, sive virtualiter, sive alio modo distinguantur, personasve constituant &c.*

D. Iohannes Meisnerus Dispp. citatar. VI. §. 2. *Trinitatē autem cum cognitu necessariam dico, non intelligo formaliter talem, prout tres numero personas, nec plures, nec pauciores continet; sed nec proprietates illarum Characteristicas, quæ & quales illæ sint, quà in re consistant, & quomodo tum ab essentiâ divina, tum à se invicem differant, an item spiritus sanctus, & quomodo sive â solo Patre, sive â Patre, & filio simul procedat: Nihil horum ad fiduciam in Christum concipiendam quicquam facit, ideoque impunè ignorari possunt, quin infinitos olim homines salvatos fuisse, & hodie adhuc salvari credo, qui de iis nunquam cogitarunt.* Ex his rectius sapere discat Calovius.

III. D. Calovius Conf. articul. III. Punct. XII. *Rejicimus eos qui docent, posse quidem dici totam personam, Deum & hominem ad inferos descendisse, minime autem eundem quoad corpus descendisse. Ita docet D. Christian Dreier.*

D. Iohan. Meisnerus Dispp. citatar. IIX. §. 2. *Vbi ante omnia tenendum, quædam dogmata semper, ubique & ab omnibus qui salvari volunt explicite credenda esse. —— Quædam verò non semper, sed certo tantum tempore & casu necessaria fieri, tùm scilicet, cum innotescunt & ex scripturâ proponuntur, vel quando tentatio urget, aut metuendum ne error oppositus subrepat, uti sunt, quæ in scripturæ*

ptura de Diluvio, excidio sodomitico, incestu Iudæ, Virginitate Mariæ, paßione Christi sub Pilato, sepultura, DESCENSV AD INFEROS, & similibus continentur, quibus omnibus quidem fides habenda est, non tanquam dogmatibus ad salutem necessariis, verum ideò, ne quicquam ex divinitus revelatis negetur, & Deus ipse mendacii arguatur &c. Hæc non tàm adduxi, quod Calovianæ *Rejectioni* directè contradicant, quàm ut hinc Lectori constaret, quæ autoris de necessitate credendi *descensus Christi ad inferos* sententia esset.

IV. Accedat nunc his ex Disput. VII. §. 6. luculenta laudati Dn. D. hujus Meisneri de Sacramentis doctrina. *Dixi, Sacramenta absolutè ad fidem & salutem necessaria non esse: nam multi olim salvati fuerunt in Veteri ac Novo Testamento, qui de iis nunquam audiverunt, unde & de adhibendis illis soliciti esse nequiverunt, & alia media in promptu sunt, quibus Deus fidem in animis hominum excitare ac conservare potest: Sufficit ergò si nemo qui mentis compos est, petulanter ea rejiciat & contemnat. Quanta autem Sacramentorum ipsorum neceßitas est, tanta quoque sine omni dubio doctrinæ de illis, institutione nimirum, efficaciâ, modo operationis, fine & effectu neceßitas fuerit, ut non omnes homines absolutè ad salutem consequendam, sed Cathechumeni adulti, & illi demum, qui Sacramentis legitimè & cum fructu salutari uti velint, ea cognita habeant. Et, si vel maximè ista quoque nescirent per ignorantiam simplicem & moraliter insuperabilem, non tamen propterea aut effectu salutari Sacramenti prorsùs carere, aut salute excidere putarim, dummodo mediis illis à Deo institutis utantur. Cujus rei exemplum in Naamane Syro occurrit, qui cum undas Iordanis præ Damasci aquis*

minus salubres ac inefficaces ad medendum lepræ judicaret, jussu tamen Prophetæ in Iordane ablutus convaluit II. Reg. V, I. seqq. Sed addamus quoque ex Disputat. VI. §. IX. *Vbi tamen duo adhuc observanda sunt, unum de mediis* πραγματικοῖς *seu Sacramentis, quæ in adultis fidem non tàm primò efficiunt, quàm per modum caussæ organicæ & visibilis confirmant & augent, unde nec ad efficiendam eam adhiberi possunt. Vsurpanda quidem sunt, quia Deus adhiberi voluit, & effectum gratiosum pollicitus est; ad facienda itaque pertinent: doctrina tamen de iis ad fiduciam in Christum de remissione peccatorum concipiendam necessaria non est. Et quemadmodum non nisi jam credentibus conferuntur, quod quidem adultos attinet, ita eorum intellectus prius doctrina eorum imbuendus est, non quidem ut primò credant, sed ne indigne iis utantur, & vel efficaciam sacramentis adimant vel ipsa illa sive ex toto, sive ex parte respuant. Quod si facerent, semet ipsos quidem mediis à Deo ordinatis privarent, & periculosè errarent, salute tamen propterea quod fundamentum fidei, aut necessarium aliquod ejus antecedens destruxissent, non exciderent. Doctrina itaque de Sacramentis ad rerum agendarum, non credendarum præsupposita pertinet.*

Nunc adeat, atque cum his componat Lector doctrinam D. Calixti Parte I. Respons. Mogunt. redditi §. XXIII. *Dixi non esse tantam necessitatem utendi sacramento, aut etiam perfectè & legitimè utendi, quanta sit necessitas rectè credendi. Et id ideo dixi, quia observatum hac rerum & ecclesiæ facie ad exulceratos Christianorum animos leniendos, & muniendam viam, quâ ad odia & exsecrationes mitigandas paullatim pergatur, facere credidi. Non pigrabor igitur idipsum paullò pluribus explicare. Constat autem, administrationem sacramentorum, externo & adspectabili ritu in usum & praxin conferendorum,*

rum, requirere cognitionem quandam, quâ indice & duce praxis ritè & legitimè instituatur. Occurrunt igitur etiam hîc quædam credenda, praxi præeuntia sive prælucentia, nempe quòd Christus Dominus sacramentum instituerit; quomodo, quod ipsam sacramenti substantiam attinet, instituerit, quomodo & quid in eo operetur & in quem finem; atque adeo quos fructus sive effectus id ipsum habeat. Cupio autem considerari, cognitionem, quæ propter aliquam praxin sit, aut ad dirigendam praxin faciat, non magis posse necessariam esse, quàm sit ipsa praxis: atque adeo si aliquando contingat absque jacturâ æternæ salutis praxin aut penitus intermitti, aut perperam institui, tum contingere itidem posse, ut si in cognitione ad praxin eam faciente, vel praxin dirigente, erretur, error iste sit innoxius. Nempe si cognitio propter praxin est, tum rectitudo cognitionis ut est in mente, non potest esse simpliciter & sine ullâ exceptione necessaria, si praxis, propter quam est, aut rectitudo ejus, non fuerit quò ad ipsum actum & exercitium pari modo necessaria. Fatentur autem omnes, nec, quod sciam, est qui eat inficias, sæpe & variis casibus fieri posse, ut homo fidelis usu sanctæ eucharistiæ penitus privetur, neque tamen propterea salute excidat. nempe reddi potest ipsa praxis vel administratio hujus sacramenti moraliter, ut loquuntur, impossibilis. Sic etiam fieri potest, ut cognitione, quæ praxin istam, ut rite fiat, dirigit, perfectâ & exactâ potiri, vel admixtum & à majoribus ac magistris haustum errorem penitus deponere non detur: animo videlicet præjudiciis adstricto, & veritatis quidem cupido, sed imbecilliore, quàm ut omnia obstacula, quæ sæpe multa & magna sunt, removere valeat. Sicut igitur, si fuerit desiderium fruendi eucharistiâ, non obest saluti, quòd per impedimenta actu frui non liceat: ita etiam in quo fuerit desiderium & studium cognoscendæ veritatis de hoc ipso Eucharistiæ sacramento, non faciet salutis suæ jacturam, etiamsi ex difficultatibus & objectionibus sese expedire,

& veritatem, quam diximus, pervidere & adsequi perfectè nequiverit. Non enim potest esse major necessitas cognoscendæ veritatis ad praxin facientis, quàm sit ipsius praxeos. Excludimus autem malitiam, & pertinacem adsertionem vel professionem ejus, de cujus falsitate homini constet, & conscientia sit convicta. Id enim non imbecillitati intellectus, sed improbitati & perversitati voluntatis imputandum fuerit: neque dubitari potest quin si sint, qui repugnante conscientiâ errorem doceant vel tueantur, illi sibi iram Dei & damnationem attrahant. Iam adjiciamus & his quædã ex initio §. LXV. *Hactenus igitur quod necessarium est necessitate medij, id ipsum etiam necessarium est necessitate præcepti. Idem quoque positivè concurrit, & simpliciter est necessarium, adeo ut si desit, quacumq; tamdem occasione vel caussa defuerit, salute excidas; nec locum inveniat excusatio ab ignorantiâ moraliter insuperabili, vel undecumq; petatur. Quæ verò necessaria sunt solâ necessitate præcepti, tanto rigore non constringuntur, quin si per ignorantiam inculpabilem, vel virium, aut objecti, aut adminiculorum operi necessariorum absentiam & defectum omittantur, veniam inveniant. Quæ tamen ipsa etiamsi non referantur proximè ad finem ultimum, ut media: possunt nihilominus ad alium non-ultimum, verbi gratiâ, augmentum, conservationem vel confirmationem gratiæ, ut particularia media, quorum inevitabilis defectus aliunde suppleri queat, referri. Ita se habet, quod adultos attinet, usus sacramentorum.*

V. Claudam, ubi adhuc semel produxero Dn. D. Meisn. Disp. III. §. 8. *Illa dogmata autem proximè & immediatè salutem attingunt, quæ fidem intrinsecè constituunt, ejusque immediatum objectum existunt. Qui n. firmiter credit, Deum sibi propter Christum mediatorem propitium futurum esse, & daturum vitam æternam, per hæc dogmata immediatè, nisi aliud quid obstet, vitam æternam adipiscitur : Ergò hæc & similia maximè*

omnium

omnium fundamentalia, & primò prima, seu principalia erunt. Rursus, cum creditur, Deum omnium hominum misereri, iisq; fidem & salutem dare velle, id dogma æquè quidem ad finem hominis ultimum pertinet, sed non ita immediatè, ut prius, verùm mediante hoc, Deus mei vult misereri & dare fidem ac salutem æternam. Hoc posterius n., cum aliis sui similibus, ipsam fidei medullam atque nucleum constituit, qui in eo consistit, ut quis firmißimè sibi persuasum habeat, omnia Christi beneficia sibi *parta*, sibi *destinata*, sibi *applicanda esse, nisi ipse nolit, quemadmodum Apostolus doctrinam de universali Christi merito tandem in rem transfert, cum ait: Christus* dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, *Gal. 11, 20. Prius a., seu, Deum omnium hominum misereri velle, fidem demum gignit ac producit, ut poßim credere scilicet, si Deus omnibus hominibus fidem & salutem dare vult, ergo & mihi eadem largiri decrevit. Quare doctrina illa de universali Dei benevolentiâ æque ac altera de fide speciali ad finem quidem concurrit, etsi non ita immediatè, quia tamen nec admodum remotè à fundamento abest, ideò & ipsa quoque fundamentalis & principalis, vel saltem proximo ordine à primo primis statuenda est.* Cum his conferantur quæ Dnn. Rintelenses Epistola Apologetica tum alibi, tum inprimis pag. 39. edit. in Folio, disputant. Apparebit, triumphare veritatem.

FINIS.



